L U X
M O R A L I S

Bipartita Illuſtratione

UNIVERSAM QUASI MORALEM
Theologiam ſummatim elucidans,
CLERICIS ORDINANDIS, & CONFESSARIIS
inſtituendis in Examine, atque Exercitio aptè reſulgens,
ne in errorum, aut hucuſque à SUMMIS PONTIFICIBUS
damnatarum Theſium ſcopulos offendant:

E X P O S I T A

A P. FR. SABINO BONONIENSI
Theologiæ, & Sacrorum Canonum Profeſſore, Ordinis Minorum
Strictioris Obſervantiæ Reformatorum SANCTI PATRIS FRANCISCI
Provinciæ Bononiæ.

ILLUSTRATIO SECUNDA,
ſive PARS SECUNDA.

EDITIO NOVISSIMA, CUI PRÆTER ALIAS ADDITIONES ſparſim poſitas, additur Tractatus de Sancta Cruciata Bulla.

VENETIIS, MDCCXXVIII.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES TRACTATUUM

Secundæ Partis hujus Lucis Moralis.

XLI. DE Sacramentis in genere, ſeu in communi diffusè. pagina 5
XLII. De Sacramento Baptiſmi. pag. 38
XLIII. De Confirmatione. pag. 47
XLIV. De SS. Euchariſtia. pag. 52
XLV. De Tremendo Miſſæ Sacrificio. p. 62
XLVI. De Extrema-Unctione. pag. 72
XLVII. De Matrimonio. pag. 75
XLVIII. De Ordine, ſeu Ordinatione in genere diffusè. pag. 80
XLIX. Examen pro Prima Tonſura. pag. 93
L. Examen pro quatuor Minoribus Ordinibus pag. 100
LI. Examen pro Subdiaconatu, & Diaconatu pag. 107
LII. Examen pro Concionatore. pag. 115
LIII. Examen pro Presbyteratu. pag. 124
LIV. De Horis Canonicis.... pag. 129
LV. De Beneficiis Eccleſiaſticis. pag. 133
LVI. De Simonia.... pag. 138
LVII. De Cenſuris.... pag. 141
LVIII. De Irregularitate. pag. 148
LIX. De Immunitate Eccleſiaſtica.... pag. 151
LX. De Sacramento Pœnitentiæ diffusè.... pag. 155
LXI. De Materia, & Forma Sacram. Pœnitentiæ. pag. 160
LXII. De Contritione, & Attritione. p. 167
LXIII. De Confeſſione peccatorum. pag. 176
LXIV. De Satisfactione Sacramentali. p. 183
LXV. De Indulgentiis. pag. 189
LXVI. De Miniſtro Sacram. Pœnitentiæ, ſeu Confeſſario.... pag. 204
LXVII. De Approbatione, & Juriſdictione Confeſſarii..... pag. 210
LXVIII. De Confeſſario Regulari Ordinis Minorum de Obſervantia. pag. 224
LXIX. De Confeſſario pravo, ſeu ſollicitante ad turpia.... pag. 236
LXX. De Sigillo Confeſſionis. pag. 242
LXXI. De Prudentia Confeſſarii. pag. 249
LXXII. Miſcellaneus: ubi de Propoſitionibus damnatis: & de Regulis Juris Canonici, &c. pag. 259

TRACTATUS de Sanctæ Cruciatæ Bulla.

CAPUT I.

De Communi vivorum Bulla.

Dub. 1. QUid ſit Bulla, & quiſnam eam concedere valeat. pag. 282
Dub. 2. Quibuſnam Cruciatæ concedatur Bulla. pag. 283
Dub. 3. Quantum temporis Bulla duret. p. 285
Dub. 4. Quænam perſonæ privilegiis Bullæ gaudere poſſint. pag. 287
Art. 1. An qui Bullam accipit in gratia eſſe debeat, uti privilegiis Bullæ potiri valeat. *ibid.*
Art. 2. Utrum catechumeni, pueri, fatui, excommunicati, & hæretici gaudere poſſint Bullæ. pag. 288
Art. 3. An Religioſi gaudere poſſint Bulla. *ibid.*
Art. 4. An vivorum Bulla poſſit defuncto aſſumi in ordine ad aliquem uſum. pag. 289
Dub. 5. Quid debeat facere quis, ut Bullæ privilegiis gaudere poſſit. *ibid.*
Dub. 6. Reſolvuntur difficultates aliquæ circa dicta in dubio proximo. pag. 290
Dub. 7. De aliis difficultatibus, tam de Clericis, quam Religioſis, qui adeunt Bellum, ut milites in ſpiritualibus adjuvent. p. 292
Art. 1. Quidnam hic nomine Clericorum, & Regularium intelligatur, & quamnam licentiam habere debeant ut exercitum adeant, & quæ miniſteria ibi exercere teneantur. *ibid.*
Art. 2. Quænam particularia privilegia concedantur Clericis, & Regularibus ad exercitum euntibus. pag. 293
Dub. 8. De aliis duobus privilegiis, quæ militibus conceduntur. pag. 294
Dub. 9. De aliquibus difficultatibus erga taxationem eleemoſynæ pro Bulla. *ibid.*
Dub. 10. De Indulgentiis Bullæ. pag. 295
Art. 1. Quænam Indulgentiæ concedantur in Bulla. *ibid.*
Artic. 2. De Indulgentia plenaria, quæ euntibus,

tibus, vel mittentibus ad exercitum conceditur. pag. 296
Art. 3. De Indulgentia plenaria, quæ conceditur accipientibus ſummarium Bullæ. pag. 297
Art. 4. De Indulgentia quindecim annorum, & participatione piorum operum. p. 299
Art. 5. De Indulgentiis quæ obtinentur viſitando quinque altaria. pag. 300
Art. 6. An Indulgentia quam obtinet viſitans quinque Eccleſias, aut altaria, poſſit applicari defunctis. pag. 302
Dub. 11. Quænam privilegia obtineantur per Bullam tempore interdicti. pag. 303
Art. 1. Reſolutiones circa celebrandam Miſſam, & audiendam, & circa officia divina. *ibid.*
Art. 2. De Privilegio accipiendi Sacramenta, & poſſe ſepeliri in loco ſacro cum moderata funeris pompa tempore interdicti. pag. 304
Dub. 12. De Privilegiis Oratoriorum. p. 305
Dub. 13. De privilegio veſcendi carnibus ex Conſilio utriuſque medici, & ovis, & lacticiniis in diebus quibus prohibentur. p. 306
Art. 1. De privilegio veſcendi carnibus. *ibid.*
Art. 2. De privilegio veſcendi ovis, & lacticiniis in Quadrageſima. pag. 307
Art. 3. De privilegio quod Eccleſiaſticis datur per aliam Bullam, ut ovis & lacticiniis veſcantur. pag. 308
Dub. 14. De electione Confeſſarii approbati ab Ordinario, quæ conceditur per Bullam. pag. 310
Art. 1. De approbatione neceſſaria in Confeſſario, ut per Bullam eligi poſſit. *ibid.*
Art. 2. De poteſtate Confeſſarii electi virtute Bullæ quoad abſolutionem culparum reſervatarum, & non reſervatarum. pag. 312
Art. 3. An poſſint Regulares eligere virtute Bullæ Confeſſarium, qui eos abſolvat à peccatis reſervatis, & non reſervatis. pag. 314
Dub. 15. De poteſtate Confeſſarii in virtute Bullæ quoad abſolutionem à cenſuris. p. 315
Art. 1. De Cenſuris in generali. *ibid.*
Art. 2. De Cenſuris in particulari. pag. 317
Dub. 16. De poteſtate commutandi vota virtute Bullæ. *ibid.*
Art. 1. Reſolvuntur dubia aliqua. pag. 318
Art. 2. De votis, quæ virtute Bullæ commutari nequeunt. pag. 319
Dub. 17. De aliquibus difficultatibus Bullæ, quæ explicandæ reſtant. pag. 321
Art. 1. An debeat aſſervari ſummarium Bullæ, & inſcribi nomen accipientis. *ibid.*
Art. 2. An acceptis Bullis duabus poſſint aliqua privilegia obtineri duplicata. pag. 322
Art. 3. De ſuſpenſione & revalidatione indulgentiarum, & gratiarum, quas Bullæ Commiſſarius concedit. *ibid.*
Art. 4. De ſuſpenſione interdicti, dum Bulla promulgetur. pag. 324

C A P U T II.

De Bulla Compoſitionis.

Dub. 1. De bonis in communi, de quibus Commiſſarius poteſt compoſitionem facere. *ibid.*
Art. 1. Quænam quantitas componi poſſit. *ibidem.*
Art. 2. Cujuſnam qualitatis futura ſint bona, ſuper quæ fieri poſſit compoſitio. pag. 325
Dub. 2. De particularibus caſibus, quos Bulla compoſitionis intrat. pag. 327
Art. 1. De primis ſex caſibus qui ponuntur in Bulla. *ibid.*
Art. 2. De ſex aliis caſibus qui ponuntur in Bulla. pag. 328
Art. 3. De ſex ultimis caſibus qui ponuntur in Bulla. pag. 330
Art. 4. Concluſio hujus Bullæ. pag. 331

C A P U T III.

De Bulla Defunctorum.

Dub. 1. De Indulgentia plenaria, quæ per Bullam conceditur animæ in Purgatorio. pag. 332
Dub. 2. De aliis difficultatibus circa Bullam. pag. 333

C A P U T IV.

De facultatibus Commiſſarii Generalis Cruciatæ.

Dub. 1. De facultatibus in ordine ad bonam Bullæ expeditionem. pag. 334
Dub. 2. De facultatibus, quas habet quoad animarum ſalutem. *ibid.*

Additio.

Breves notitiæ, ſimulque confutatio propoſitionum damnatarum ab Alexandr. VII. pag. 351
Innocentio XI. pag. 364
Et nonnullarum ab Alex. VIII. pag. 376

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS XLI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, ſeu in communi.

TRactaturus magnam, ſacramque molem quaſi immenſam, novæ Legis Sacramentorum, per quæ omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta angetur, vel amiſſa reparatur; (enim verò gratiam, quam ſignificant, continent, & conſerunt ſemper, ac omnibus ritè ſuſcipientibus, & obicem non ponentibus) exordior à Sacramentis in generali; quia diſtincta cognitio particularium dependet à cognitione diſtincta univerſalium; nam magis univerſalia ſunt partes minùs univerſalium rerum, ſicut genera ſunt partes ſpecierum, & ſpecies individuorum; partes verò oportet, ut priùs diſtinctè cognoſcantur, quàm totum ex eis compoſitum. Tum quia hæc notitia *de Sacramentis in genere* valdè neceſſaria eſt ad habendam fundamentalem notitiam ſingulorum. Tum tamdem quia à peritis Examinatoribus ſolent interrogari Clerici ordinandi quovis Ordine de hac materia. In gratiam igitur iſtorum ſolita brevitate, ac poſſibili claritate inſtituo præſentem Tractatum.

De eſſentia Sacramentorum.

Quæro I. *Quid eſt Sacramentum novæ Legis?*

1 ℞. I. Sacramentum dicitur à *ſacrando*: quia mentem ſacrat, & animam ſacram, & Sanctam facit, homo enim per Sacramenti virtutem ſacratur, ac initiatur Deo.

℞. II. Sacramentum eſt viſibile ſignum invisibilis gratiæ, ad populum Dei ſanctificandum, divinitùs inſtitutum. Ita ex Magiſtro ſententiarum, ac D. Thoma.

℞. III. Sacramentum eſt ſignum ſenſibi- 2
le, gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum, ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris. Ita ex Scoto, *in 4. diſt. 1. qu. 2.* Hanc definitionem, velut clariùs, & firmiùs exprimentem Sacramenti naturam, & eſſentiam, breviter explico per ſingulas partes.

Dicitur *ſignum ſenſibile*: ideſt, externum, ac in materia ſenſibili inſtitutum; quia iſte modus ſanctificandi eſt valdè congruus homini pro ſtatu iſto, quo Anima in operando dependet à ſenſibus; juxta illud D. Joann. Chryſoſtomi Homilia 60. ad Populum: *Si incorporeus eſſes, incorporea dediſſet ipſe* (Deus) *ſibi dona: ſed quia corpori conjuncta eſt anima tua, ideò rebus ſenſibilibus ſibi intelligibilia prabet.*

Dicitur: *efficaciter ſignificans gratiam Dei.* Quia Sacramentum eſt ſignum efficax gratiæ, nam gratiam, quam ſignat, vel ſignificat, etiam cauſat in homine *ex opere operato*, nempe virtute, & efficacia meritorum Chriſti; & hanc gratiam confert infallibiliter dignè ſuſcipienti.

Additur: *vel effectum Dei gratuitum*: 3
quia in Sacramento Euchariſtiæ res Sacramenti non eſt gratia habitualis Animæ inhærens, ſed gratia ſubſiſtens per ſe, ſcilicet, *Chriſtus ipſe*, qui eſt ibi præſens: & ideò, ut utramque gratiam includeret, appoſuit Scotus illam particulam, *vel effe-*

Digitized by Google

ſtum gratuitum; tum quia ex gratuita Dei voluntate nobis datur Chriſtus ad manducandum, & fit miro modo præſens illis ſpeciebus per tranſubſtantiationem panis in ipſum, quod eſt opus Divinæ gratiæ. Ita Maſtrius, *in* 4. *ſent. diſp.* 1. *n.* 13.

Vel additur ly *effectum gratuitum*, eò quia Euchariſtia eſt Sacramentum permanens, continens Gratiam ſubſtantialem, ideſt, Authorem omnis Gratiæ Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; Majoris itaque claritatis cauſa Doctor ſubtilis utramque Gratiam diſtinctè poſuit, dicens: *Gratiam Dei, vel ejus effectum gratuitum*: ideſt: gratiam accidentalem, vel ſubſtantialem. Ita Joan. de Boſco, *in ſua Theol. Sacramentali, part.* 1. *diſp.* 1. *ſect.* 1. *concl.* 2.

Vel additur in definitione allata: *effectum Dei gratuitum*: quia Euchariſtiæ Sacramentum primò, & immediatè ſignificat verum corpus, & ſanguinem Chriſti realiter contentum ſub ſpeciebus Euchariſticis ex gratuito dono ſupernaturali; quamvis poſtea idem Sacramentum etiam gratiam ſanctificantem dignè ſumentibus conferat ex opere operato. Ita Anacletus noſter, *in Theol. moral. tract.* 14. *diſt.* 1. *n.* 6. Et ſic ferè omnes noſtri Scotiſtæ.

4 Dicerem, ly *vel effectum Dei gratuitum* importare characterem Sacramentalem; nam aliqua Sacramenta ultra gratiam accidentalem, & Sacramentalem, cauſant characterem, qui eſt qualitas ſpiritualis, ſupernaturalis; & benè dici poteſt *effectus Dei gratuitus*; quia ex Divina ordinatione, ac voluntate nobis imprimitur indelebiliter; tum quia in Sacramentis imprimentibus characterem, ſi gratia habitualis non conferatur propter obicem, ſaltem confertur iſte effectus gratuitus, nempe character; tum quia per illam particulam *Gratiam Dei* poteſt optimè intelligi & *Gratia accidentalis*, & *ſubſtantialis* pro diverſitate Sacramentorum; ergo per ly *vel effectum Dei gratuitum* poterit benè intelligi alius effectus aliquorum Sacramentorum, nempe *character*. Hæc dicta ſint ſine præjudicio meorum DD.

5 Dicitur: *Signum ex Divina Inſtitutione*, ſeu à Deo inſtitutum; quia Sacramentum non eſt ſignum naturale, ſicut eſt V. G. fumus ſignum ignis, ſed voluntarium, & ad placitum Divinum; ratio eſt: quia nulla res creata ex ſui natura habet talem virtutem, ut poſſit eſſe ſignificativa Gratiæ Dei; Gratia enim non ſolùm non poteſt ab Agente creato naturaliter produci, ſed neque nobis ejus poſſibilitas innoteſcere poteſt, niſi per Fidem Divinam. Cùm enim Gratia ſit ſpecialis participatio Divinæ Naturæ, nulla Creatura habet ex natura ſua virtutem illam producendi, ſed ſolus Deus, ut Auctor Gratiæ. Cùm igitur ſolius Dei ſit cauſare Gratiam, & ſanctitatem, ſolius etiam Dei erit inſtituere practicum ſignum ejuſdem ſanctitatis, & Gratiæ: & conſequenter Sacramentum debet eſſe ſignum ex D. Inſtitutione.

Dicitur tandem *Ordinatum ad ſalutem* 6
hominis viatoris; quia Sacramenta à Chriſto Domino Deo inſtituta ſunt in ſalutem humani generis; ipſe enim eſt ille piiſſimus Samaritanus, qui ſpoliatum videns hominem donis Gratiæ, & Gloriæ, & atrociter ſauciatum vulneribus peccatorum *Originalis*, & *actualis*, miſerationis affectu compatiens, medicinam proprio cruore confectam ei attulit efficaciſſimam, qua curatis illius vulneribus, ac plena reddita ſanitate, in ſui principium, ac Finem ultimum, à quo deviaverat, finaliter reducatur; ut igitur inſinuetur finis, ob quem Deus voluit Sacramenta conficere, nempe ad æternam hominis viatoris ſalutem, dicitur, quòd Sacramentum ſit ordinatum *ad ſalutem hominis viatoris*, ideſt, degentis in hac vita, quæ eſt via, qua ad Patriam noſtram Cœleſtem pergimus feſtinanter.

Quæro II. *Quinam fuit Author Sacramentorum novæ Legis?*

℞. Chriſtus Jeſus Deus homo: *ut Deus* 7
principaliter, & authoritativè: *ut homo* inſtrumentaliter, miniſterialiter, per poteſtatem Excellentiæ, inſtitutione ſtabili, perpetuò, ideſt, uſque in mundi finem duratura, inſtituit omnia, & ſingula Sacramenta, determinando materiam, & formam, ac eorum uſum imponendo, & præcipiendo, ut habetur *ex Concilio Trid. ſeſſ.* 7. *Can.* 1. *& ſeſſ.* 6. *cap.* 7.

Quæro III. *Quot ſunt Sacramenta?*

℞. Sunt ſeptem, nec plura, nec pau- 8
ciora: videlicet, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium. Eſt aſſertio certiſſima, notiſſima, & de Fide apud omnes Catholicos. Ut habetur *ex Conc. Trid. ſeſſ.* 7. *Can.* 1.

Quæro IV. *Quare ſunt tantùm ſeptem, nec plura, nec pauciora?*

Digitized by Google

9 ℟. *I.* Ratio à priori alia non habetur, niſi ſola Inſtitutoris rectiſſima voluntas.

℟. *II.* Ratio congruentiæ eſſe poteſt: quia hæc ſeptem Sacramenta, *ſeptem illæ ſunt Columnæ*, quas æterna Sapientia de Cœlo deſcendens, & formam noſtræ humanitatis ſuſcipiens excidit de monte Sancto Corporis ſui, ut ſuper eas Domum Eccleſiæ ſuæ firmiſſimam conſtrueret, contra quam portæ inferni non prævalebunt unquam. Hæc inſuper ſunt *ſeptem illa Candelabra aurea*, quibus refulgentibus Divinæ Gratiæ lumen ad omnes Fideles in domo Domini diffunditur. Rurſus hæc ſunt *ſeptem illæ ſtellæ*, quas filius hominis, ideſt, Salvator noſter, in dextera manu miſericordiæ ſuæ, ad illuſtrandam Eccleſiam ſuam habuiſſe legitur, *Apoc. cap.* 1. Et tandem, quia Sacramenta Eccleſiæ figurantur in volumine illo *Apocalypſis*, *cap.* 5. ſcripto intùs, & foris, ac ſignato *ſigillis ſeptem*, quod nemo fuit dignus aperire, niſi Agnus ille ſtans tamquam occiſus, habens *cornua ſeptem*, *& oculos ſeptem*; quoniam occiſus eſt, & redemit nos in ſanguine ſuo, ex quo *ſeptem fontes aquarum* manarunt, divinarum, videlicet, gratiarum, ut hauriamus aquas iſtas cum gaudio de fontibus Salvatoris.

10 ℟. *III.* Ratio item congruentiæ deſumpta à poſteriori, & veluti ab effectibus, eſt iſta: Ex comparatione progreſſus vitæ corporalis cum progreſſu vitæ Spiritualis Animæ; quia nimirum congruum erat, ut progrederemur in vita, ac via Gratiæ, ſicut progredimur in Natura ad vitam, & viam corporalem. *Ordo naturæ eſt*, ut primò naſcatur homo: ſecundò, ut adoleſcat, ac roboretur: tertiò, ut nutriatur valido, ſolidoque cibo: quartò, ut quando in morbum inciderit, curetur, ac ſanetur: quintò, ut à reliquiis morbi, ac debilitatis relevetur: ſextò, ut regatur, benèque reguletur à Superioribus in Republica: & ſeptimò tandem, ut multiplicetur in individuis ſpeciei humanæ. Ita ſe habet *Ordo Gratiæ* per Sacramenta; Primò enim Spiritualiter homo naſcitur per *Baptiſmum*: Secundo adoleſcit, ac roboratur in Fide vera, & viva per *Confirmationem*: Tertiò Spirituali alimonia nutritur per *Euchariſtiam*: Quartò ſanitatem Animæ per peccatum amiſſam recuperat per *Pœnitentiam*: Quintò à morbi reliquiis, ideſt, à culpis venialibus, ac cæteris peccatorum debilitatibus expiatur per *Extremam-Unctionem*: Sextò Chriſtiana Reſpublica ſpiritualiter regitur, & gubernatur per idoneos Miniſtros, Sacerdotes, Prælatos, &c. electos, ac creatos *per Sacram Ordinationem*. Septimò tandem Communitas, Domus, Eccleſia Dei conſervatur, & multiplicatur *per Sanctum Matrimonium*.

Quæro V. *Quænam eſt differentia inter Sacramenta veteris Legis, & Sacramenta novæ Legis?*

℟. Magna, & multiplex eſt differentia. 11
Primò enim Sacramenta Legis antiquæ, ſeu Moſaicæ non conferebant, nec cauſabant gratiam ex opere operato, ſicuti conferunt, & cauſant Sacramenta Legis novæ, ſeu Euangelicæ. Secundò, *illa* faciebant hominem Sacrum, & Sanctum extrinſecè, ac civiliter, ideſt, reddebant idoneum, & aptum ad communicationem cum Populo Dei in cultu Divino publico; *iſta* efficiunt hominem ſacrum, & ſanctum intrinſecè, ac realiter: quia conferunt veram juſtitiam, ac ſanctitatem, qua homo verè juſtus, Sanctus, & Deo charus, & amicus efficitur. Tertiò *illa* erant umbra, & figura myſteriorum futurorum; *iſta* ſunt Lux, veritas, & realitas, veraque myſteria Divina Fidei noſtræ.

Quæro VI. *Quænam erant illa Sacramenta Legis antiquæ?*

℟. Multa, & varia: nimirum Conſecra- 12
tiones Levitarum, & Sacerdotum: Purificationes, & expiationes diverſæ: Purgationes à tactu morticinii, à lepra, à pollutione, à puerperio, &c. Aſperſio ſanguinis hircorum, & vitulorum, & multa alia, quæ non conferebant gratiam ex vi propria, ſed ſolùm ex opere operantis, quatenus fiebant ex obedientia Legis in cultum Dei.

Quæro VII. *Eratne antiquitùs aliquod verum Sacramentum conferens gratiam ex opere operato?*

℟. *I.* Pro ſtatu Innocentiæ, nempe ante 13
lapſum Adami, & Hevæ in Paradiſo terreſtri nullum fuit inſtitutum Sacramentum verum, ac proprium: neque eo ſtatu feliciſſimo perſeverante, probabiliùs fuiſſet inſtitutum Sacramentum ex illis, quæ de facto poſt lapſum fuerunt, vel ſunt. Ut probat P. Joannes Boſco noſter, *part.* 1. *diſp.* 1. *ſect.* 2. *concl.* 3.

℟. *II.* In Lege Naturæ nullum fuit Sa- 14
cramentum propriè captum præter remedium peccati Originalis. Sicut probat ci-

tatus Boſco, *concl.* 4. — Illud autem remedium pro delendo peccato originali tempore Legis naturæ ante Circumciſionem, conſiſtebat in aliquo ſenſibili, certo, ac determinato ſigno. Ut probat idem Author, *concluſ.* 5. — Et Scotus *in* 4. *diſt.* 1. *qu.* 7. *num.* 2. ubi dicit: Cum ergo non ſolùm adultis cultoribus ſuis providerit Deus de remedio neceſſario ad ſalutem, ſed etiam parvulis eorum: ſequitur, quòd tempore Legis Naturæ erat à Deo inſtitutum aliquod ſignum certum, & efficax deletionis peccati Originalis.

15 ℟. *III.* Hoc autem Sacramentum fortè conſiſtebat in proteſtatione fidei in Deum, ac futurum Redemptorem, vel Meſſiam, facta vel in verbo aliquo invocandi Deum, vel offerendi parvulum Deo, vel in aliquo alio ſigno revelato alicui Patrum, cum quibus tunc frequentiùs Deus loquebatur, licèt cui, & quando, ſcriptura non dicat, quæ ab Adam uſque ad Abraham ſatis ſuccintè pertranſit. Ita ex Scoto, *loc. cit.*

16 ℟. *IV.* Probabilior eſt ſententia affirmans Circumciſionem, & aliud remedium peccati originalis fuiſſe Sacramentum efficax, conferens nempe gratiam ex opere operato. Ut cum Scoto, & multis SS. Patribus, & Doctoribus optimè probat P. Boſco, *cit. concl.* 6. Quamvis contrariam opinionem negantem defendat cum aliis DD. P. Layman, *lib.* 5. *tract.* 1. *de Sacram. in communi, cap.* 3. *num.* 5.

17 ℟. *V.* Poſt datam Circumciſionem pro maſculis, dabatur aliquod Sacramentum pro fœminis ad delendum originale peccatum: Item aliquod alium remedium efficax pro parvulis maſculis, ſi in mortis periculo exiſterent ante diem octavum, quo circumcidi debebant ſecundùm legem, &c. Ut probat Layman. *cit. num.* 4. Quale autem fuerit hoc remedium pro Sacramento Circumciſionis inſerviens; probabiliter dici poteſt, quòd fuerit certum aliquod, ac determinatum ſignum externum, ut eſſet ſtabilis religioſa Cæremonia omnibus nota illistemporibus; nobis autem incognita.

Quæro VIII. *Quanam eſt differentia inter Sacramenta novæ Legis, & Sacramentalia?*

18 ℟. Eſt magna, & ſumma differentia; quia *Sacramenta* verè ſunt ſigna efficacia gratiæ, quam cauſant ex opere operato, ſeu ex vi propria infallibili, ex Divina inſtitutione, meritiſque Chriſti Domini Inſtitutoris Sacramentorum. *Sacramentalia* verò ſunt veluti circumſtantiæ Sacramentorum: ſuntque res, ſeu actiones ſacræ ab Eccleſia inſtitutæ ad ſolemnem adminiſtrationem ipſorum Sacramentorum, & remedia quædam ſpiritualia, quibus ſolent attribui effectus varii boni, & ſpecialiter remiſſio peccatorum venialium: atque auxilia ad pios motus, & actus Religionis faciliùs eliciendos.

Quæro IX. *Quot ſunt Sacramentalia?*

℟. Principaliora ſex enumerantur, ad 19
quæ cætera reducuntur, & continentur in hoc verſiculo:

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Orans: ideſt quotidiana Oratio Fidelium, præſertim Dominicalis oratio: *Pater noſter, &c.* de qua dicitur cap. de quotidianis: de Pœnit. diſt. 3. ibi: *De quotidianis, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio Fidelium ſatisfacit; eorum eſt enim dicere: Pater noſter, qui es in cœlis, &c. Delet omninò hæc Oratio minima, & quotidiana peccata.* Huc reducitur tunſio pectoris, inclinatio capitis, genuflexio, & ſimilia.

Tinctus ſignificat aſperſionem Aquæ benedictæ, de qua cap. Aquam: de Conſecr. diſt. 3. ſic legitur: *Aqua benedicta ſale aſperſa, divinisque precibus ſacrata populum ſanctificat, atque mundat*: Et cap. nequaquam: de Conſecr. diſt. 4. *Aquæ benedictæ innumeri ſunt effectus boni.* Huc reducitur unctio Sacra in quibuſdam Sacramentis ſolita adhiberi pro Sacra Cæremonia, unctio alicujus in Regem; impoſitio Cineris benedicti ſuper caput: & ſimilia.

Edens Significat devotam manducationem Panis benedicti, & ſimilia.

Confeſſus denotat Confeſſionem generalem publicam, quando recitatur *Confiteor Deo omnipotenti, &c.*

Dans denotat largitionem Eleemoſynæ ob amorem Dei: juxta illud Tob. cap. 4. *Eleemoſyna ab omni peccato liberat*: intellige de venialibus; nam de mortalibus ſolùm poteſt intelligi *diſpoſitivè*. Huc reducuntur alia opera miſericordiæ, tum corporalia, tum ſpiritualia.

Benedicens deſignat Benedictiones Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati alios benedicentis: quæ benedictiones devotè ſuſceptæ

Digitized by Google

præ venialia remittunt, ut habetur in Gloſſa, in Proemio Sexti Decretalium.

Quæro X. *An prædicta Sacramentalia remittant venialia peccata immediatè, an mediatè?*

20 ℟. Sacramentalia non habent vim remittendi venialia ex ſe, neque immediatè, ſed remotè ſolùm, & mediatè; quatenus propter Fidem, & preces, atque ſuffragia Eccleſiæ impetrantur nobis à Deo auxilia gratiæ prævenientis, & excitantis nos ad eliciendos actus bonos Pœnitentiæ, & aliarum virtutum, per ſe ſufficientes ad remiſſionem venialium: atque hujuſmodi Sacramentalia juvant ad impetranda alia Dei beneficia: V. G. Dæmonis compreſſionem, & fugam, præſervationem à periculis peccandi, ſanitatem mentis, & corporis. Ita ex Scoto, ac D. Thoma docet, & probat P. Anacletus noſter, *tract. 3. diſt. 2. à num.* 31. contra Azorium, *part. 1. libr. 4. cap. 11. quæſt. 4.* & nonnullos alios DD.

Quæro XI. *Quænam Sacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate medii?*

21 ℟. Sacramentum Baptiſmi eſt omnibus hominibus neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem æternam conſequendam. Sacramentum Pœnitentiæ omnibus, & ſolis adultis poſt Baptiſmum lapſis in mortale peccatum. Eſt certum de fide ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. Ubi habetur: *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ſicut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus*: Sed Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii (ut habetur ex eodem Concilio *ſeſſ. 6. cap. 4.*) Ergo & Pœnitentiæ Sacramentum; in re, vel ſaltem in voto. — Sacramentum *in voto*, ideſt, in deſiderio ad ſalutem præſupponit hominem jam perfectè contritum.

Quæro XII. *Quid ſignificat iſta neceſſitas medii?*

22 ℟. Neceſſitate medii illud dicitur neceſſarium, ſine quo finis ultimus, nempe ſalus æterna, obtineri non poteſt: licèt ex ignorantia, vel impotentia illud medium haberi, vel adhiberi non poſſit. Unde parvulus ſine Baptiſmo in re ſuſcepto nequit ſalvari; etiamſi ex impoſſibilitate phyſica, vel morali moriatur ſine tali Sacramento. Adultus autem peccator nondum baptizatus nequit ſalvari, niſi vel attritus ſuſcipiat in re Baptiſmum, vel contritus deſideret baptizari; nam illud deſiderium ſupplet defectum realis Baptiſmi; habet enim Sacramentum *in voto*. Idem dices de adulto baptizato, & poſtea lapſo in mortale peccatum; nequit enim ſalvari, niſi vel attritus confiteatur ſuum peccatum in Sacramento Confeſſionis, (quod eſt ſuſcipere Sacramentum *in re*) vel contritus deſideret confiteri, quod eſt habere Sacramentum *in voto*: Ita communis DD.

Quæro XIII. *Quænam ſunt Sacramenta neceſſaria neceſſitate tantùm præcepti?*

℟. Sunt reliqua Sacramenta; quamvis 23
non eodem modo ſint neceſſaria. Nam Sacramentum Euchariſtiæ eſt neceſſarium adultis neceſſitate præcepti Divini: ut colligitur ex verbis Chriſti Domini, Joan. cap. 6. ubi dicit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. Et etiam eſt neceſſarium neceſſitate præcepti Eccleſiæ: ut habetur in Can. *Omnis utriuſque ſexus, &c.*

De Sacramentis Confirmationis, & Extremæ-Unctionis, licèt non extet præceptum poſitivum, tenetur tamen unuſquiſque Fidelis adultus non contemnere, & non negligere ea, quando habet opportunitatem recipiendi. Sacramenta autem Ordinis, & Matrimonii, licèt neceſſaria non ſint ſingulis hominibus, ſunt tamen neceſſaria Communitati Eccleſiæ, ut conſervetur.

Quæro XIV. *Quænam ſunt Sacramenta, quæ non poſſunt iterari?*

℟. Sunt tantùm tria, videlicèt, *Ba-* 24
ptiſmus, Confirmatio, & Ordo; quia imprimunt Characterem indelebilem in Anima illius, qui ſemel validè ea ſuſcepit. Ut habetur *ex Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 9.*

Quæro XV. *Quænam ſunt Sacramenta, quæ dicuntur Mortuorum?*

℟. Sunt duo tantùm; ideſt, *Baptiſmus,* 25
& Pœnitentia. Dicuntur autem *Mortuorum*: quia præſupponunt animam mortuam ob peccatum originale, ut in baptizando: vel ob peccatum mortalè actuale, ut in confitente. Peccatum enim originale, ſicut & actuale mortale, privat Animam Gratia Dei Sanctificante, quæ eſt vita ipſius Animæ. Cætera autem Sacramenta dicuntur *Vivorum*; quia præſupponunt animam vivam vita gratiæ in eo, qui ea ſuſcipit.

Vel ℟. Sacramenta *mortuorum* ſunt, quæ per ſe, ſeu ex vi ſuæ inſtitutionis confe-

runt

runt Gratiam primam. Sacramenta autem *Vivorum* ſunt, quæ per ſe, & ex ſua natura, vel inſtitutione conferunt gratiam ſecundam, nempe augmentum Gratiæ. *Prima* enim *gratia* dicitur illa, quæ datur poſt peccatum originale, vel actuale mortale jam deletum. *Secunda* autem *Gratia* eſt alia nova Gratia, quæ ſuperadditur priori Gratiæ.

Quæro XVI. *Sacramenta Mortuorum poſſuntne aliquando per accidens conferre Gratiam ſecundam?*

26 ℟. Ita; quando nimirùm ſuſcipiens jam eſt perfectè contritus, & juſtificatus coram Deo antequàm vel baptizetur, vel confiteatur Sacramentaliter. Contritio enim perfecta cum Sacramento in voto habet vim delendi omnia peccata; igitur ſi adultus jam contritus baptizetur, aut abſolvatur, aliquam recipit Gratiam: non primam, quam jam habet, ergo ſecundam.

Quæro XVII. *Sacramenta vivorum poſſuntne quandoque per accidens conferre primam Gratiam?*

27 ℟. Maximè; quando videlicèt ſuſcipiens bona fide credit, ſe eſſe in ſtatu Gratiæ, cùm tamen reverà coram Deo non ſit. V. G. Titius Sacerdos volens celebrare Miſſam, examinat ſuam conſcientiam, nec venit ei in memoriam unum mortale peccatum, quod de facto commiſit, dolet tamen de omnibus in confuſo, & in generali per actum attritionis. Vel, ſi recordetur illius peccati, non poteſt confiteri ob carentiam Confeſſarii; facit tamen, neceſſitate celebrandi urgente, actum contritionis, qui revera coram Deo non fuit actus perfectæ contritionis; celebrat ergo Miſſam bona fide: recipit Corpus Chriſti; tunc Sacramentum Euchariſtiæ confert ei primam Gratiam.

28 Ratio theologica eſt: quia omnia Sacramenta habent cauſare Gratiam in ſuſcipiente non ponente obicem formalem; omnis Gratia quantumvis minima eſt de ſe remiſſiva peccati mortalis quantumvis maximi; nam peccatum, & gratia opponuntur privativè; ſed ſic eſt, quod Titius Sacerdos non ponit obicem formalem, ideſt, non habet in ſua conſcientia remorſum, aut recordationem illius peccati mortalis, neque ſcienter intendit ſacrilegè celebrare, & ſumere Euchariſtiam indignè; ergo Sacramentum tunc debet cauſare aliquam gratiam: non ſecundam; quia prima non ſupponitur; ergo hanc primam. Idem dices de aliis Sacramentis *Vivorum*. Et ex hoc caſu poteris plures ſimiles reſolvere ex Doctrina communi Theologorum apud Laymannum, *lib. 5. tract. 1. capit. 6. num. 2.* — Anacletum noſtrum, *tractat. 14. diſt. 2. num. 23.* — Maſtrium, *in 4. ſentent. diſp. 1. à num.* 348. Boſco, *diſp. 1. de Sacram. in genere, ſect. 5. concluſ. 5.* & alios DD.

Quæro XVIII. *Quid eſt Sacramentum validum, ſed informe?*

29 ℟. Sacramentum dicitur *validum* quando concurrunt eſſentialia requiſita ad ejus valorem, nempe materia, forma, & intentio. Sacramentum *informe* dicitur, quando validè quidem fit, & ſuſcipitur; tamen ob aliquod impedimentum ſuſcipientis, qui ponit obicem formalem, non producit effectum Gratiæ ſanctificantis, & ſacramentalis. Unde ly *Informe* ſignificat carentiam gratiæ, quæ eſt quædam forma, pulchritudo, decor, & ſplendor Animæ, quæ formoſa dicitur, quando gratia ornatur. Vel *Informe* idem eſt, ac deforme, infructuoſumque ſacramentum. V. G. Adultus Turca vult eſſe Chriſtianus, ideoque intendit ſuſcipere Baptiſmum, qui ei confertur ritè, & validè à Parocho; ſed non habet pœnitentiam, ſeu dolorem ſupernaturalem de ſuis peccatis, vel in actu Baptiſmatis peccat mortaliter per aliquam complacentiam de aliquo peccato olim perpetrato. *Vel* Clericus in mortali ſuſcipit Ordinem Sacrum. *Vel* Puer in ſtatu peccati gravis recipit Confirmationem: Iſti omnes recipiunt Sacramentum validum, ſed informe; quia Gratiam non acquirunt, imò mortaliter peccant ſic recipiendo Sacramentum. Illa Sacramenta fuerunt valida; quia conſtabant partibus ſuis eſſentialibus, materia ſcilicet debita, forma verborum requiſitorum, ac intentione iam miniſtri, quàm ſuſcipientis; fuerunt verò informia, ideſt, deformia, ſine forma gratiæ ſanctificantis, ob indiſpoſitionem, vel obicem formalem recipientium.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

Quæro XIX. *Quænam ſunt de eſſentia Sacramenti?*

30 ℟. Hæc tria, Materia, Forma, & Intentio

Digitized by Google

tentio Miniſtri. Ita decretum eſt à Conc. Florent. ſub Eugenio Quarto in Decreto Unionis: his verbis: *Sacramenta tribus perficiuntur: rebus tamquam Materia, verbis tamquam Forma, & perſona Miniſtri conferentis cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Ergo hæc tria erunt de eſſentia, ſeu neceſſariò requiſita, vel eſſentialia conſtitutiva Sacramentorum.

Quæro XX. *Quid eſt Materia Sacramentorum?*

31 ℞. Eſt res aliqua ſenſibilis applicata ſuſcipienti per actionem externam Miniſtri. Per *Rem* intelligitur ſubſtantia aliqua corporea, vel actus ſenſibilis, vel ſaltem aliquod Ens determinabile à Forma verborum pro diverſitate Sacramentorum: Ut ſunt, *Aqua* in Baptiſmo: *Oleum ſacrum* in Chriſmate, & Extrema-unctione: *Panis, & Vinum* in Euchariſtia: *Actus* pœnitentis in Pœnitentia: *Calix, Patena, Miſſale,* & cætera in Ordinatione: atque *corpora* apta generationi in Matrimonio.

Quæro XXI. *Quotuplex eſt iſta Materia?*

32 ℞. Duplex. Remota, & Proxima. Materia remota eſt illa res ſenſibilis, quæ applicatur à Miniſtro in actu conferendi, vel conficiendi tale Sacramentum. Ut V. G. *Aqua naturalis* in Baptiſmo. Materia proxima eſt applicatio ejuſdem materiæ in actione Sacramentali: Ut *ablutio* pueri baptizandi. Et ſic de cæteris Sacramentis diſcurres.

Quæro XXII. *Quid eſt Forma Sacramentorum?*

33 ℞. Sunt verba certa, ac determinata proferenda à Miniſtro, quando conficit Sacramentum. Ut V.G. in Baptiſmo verba iſta: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti*: Sunt forma Baptiſmi. Et unumquodque Sacramentum, ſicut habet ſuam propriam materiam, ita & formam. Ut videbimus ſuo loco tractando de ſingulis.

Quæro XXIII. *Quomodo Materia, & Forma Sacramentales debent eſſe ſimul unitæ?*

34 ℞. Talis, & tanta Materiæ, ac Formæ ſimultas, & unio requiritur, qualis, & quanta in actibus humanis ſolet requiri: ideſt, Materia, ac Forma debent eſſe ſimul vero, & humano modo. Indicatur autem hæc ſimultas, vel unio inter actionem, & verba prolata, quando, & ubi verba ita tempeſtivè proferuntur, ut prolatio non terminetur ante incœptionem actus, ſeu applicationis materiæ: neque actus, ſeu applicatio finiatur ante incœptionem formæ.

Quæro XXIV. *Conjunctio Materiæ cum Forma, & Formæ cum materia debetne fieri phyſico modo, an morali tantùm?*

℞. Debet fieri phyſico modo. Ratio 35 eſt: quia ſi quis voluntariè conjungeret morali tantùm modo materiam cum forma, exponeret Sacramentum periculo fruſtrationis, ſeu nullitatis, ac invaliditatis; nam licèt antiquitùs aliqui Doctores aſſererent, ſufficere ad valorem Sacramenti tactum moralem, ſeu conjunctionem moralem: multi tamen aſſerebant, non ſufficere, ſed requiri tactum realem, ac phyſicum, ſeu conjunctionem phyſicam, ac naturalem: & hæc ſententia, cùm ſit tutior, debet in praxi amplecti, & ſequi, ob vitandam propoſitionem damnatam ab Innocentio Papa Undecimo, qui inter alias hanc damnavit, quæ eſt la 1. & ſic ſonabat:

I. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, &c.*

Hæc propoſitio eſt falſa, & ſcandaloſa: igitur ejus contradictoria erit vera, & bona, & dicendum: eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relinquendo tutiorem; ergo tutior opinio erit ſemper eligenda (quando eligi poteſt) ubi agitur de valore Sacramentorum.

Quæro XXV. *Quanam cenſetur mutatio ſubſtantialis in materia Sacramentorum?*

℞. Quando in conficiendis Sacramentis adhibetur aliqua res, quæ nomine, 36 & ratione, vel ſaltem uſu humano differt ab illa re, quam Chriſtus Dominus inſtituit, & Eccleſia Catholica ſolet adhibere: V. G. Si quis in Baptiſmo adhiberet aut vinum, aut oleum pro aqua; tunc Sacramentum foret nullius valoris: quia mutatur ſubſtantialiter materia propria.

Quæro XXVI. *Quanam cenſetur variatio ſubſtantialis in Forma Sacramentorum?*

℞. Tunc Forma Sacramentalis dicitur 37 variari ſubſtantialiter, quando Verba non ampliùs habent eumdem ſenſum, quem Chriſtus intendit, & Eccleſia Catholica exprimit. V. G. ſi quis baptizans infantem diceret: *Ego te dealbo. Te mundo. Te refrigero.* Tunc nullum eſſet Sacramentum; quia variatur forma eſſentialis. Et ſic de ſimilibus.

Quæ-

Quæro XXVII. *Quænam cenſetur mutatio tantùm accidentalis?*

38 ℞. Patet, & deducitur ex dictis; quæ enim non eſt ſubſtantialis, nec eſſentialis mutatio, ſeu variatio formæ, vel materiæ Sacramenti, cenſeri poteſt mutatio tantùm accidentalis: & hæc non officit valori Sacramentorum; quia non variat rationem ſigni efficacis à Chriſto inſtituti. V. G. Si in Baptiſmo adhibeas aquam calidam. Si in Euchariſtia utaris pane fermentato. Si Sacerdos conſecrans diceret: *Hoc eſt corpus meum verum, & vivum*. Si baptizans dicat: *Ego te baptizo in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis: Dei Patris omnipotentis, & Filii omniſcientis, & Spiritusſancti clementis*, & ſic de ſimilibus; Peccaret tamen qui ſic variaret, aut mutaret etiam accidentaliter materiam, aut formam Sacramentorum. Unde Sacramentum eſſet validum, ſed illicitum; quia non eſt licitum addere, vel minuere, aut mutare, vel variare ſolitam, & conſuetam materiam, aut formam Sacramentorum contra praxim, & uſum Eccleſiæ Dei.

Quæro XXVIII. *Materia, & Forma Sacramentorum debentne eſſe certa?*

39 ℞. Quando poſſibilitas adeſt, via certa in materia, ac forma Sacramentorum omninò eſt tenenda. Si autem non adſit poſſibilitas viæ certæ eligendæ, tunc magis tuta eſt tenenda. Et quando tutior via nequit teneri, tutæ proxima eſt eligenda. Tandem ubi nulla alia adeſt via, niſi probabilis, & dubia; tunc in caſu neceſſitatis, hæc (ſub conditione ſaltem) eſt tenenda. Reſolutio eſt certiſſima, maximè apud DD. ſcribentes poſt propoſitiones damnatas: ut docet *Joan. de Cardenas* ſuper primam ex damnatis ab Innoc. XI.

40 Hinc deduces plures caſus. I. Peccat mortaliter qui, cùm poſſit habere materiam certam, adhibet probabilem, vel dubiam. Ratio eſt: quia tunc abſque neceſſitate exponit Sacramentum periculo fruſtrationis, & nullitatis. II. In Sacramento neceſſario ad ſalutem, quando non poteſt haberi materia certa, poteris, imò teneberis adhibere materiam probabilem, vel dubiam ſub conditione; nam tunc nulla fit irreverentia Sacramento, & ſimul conſulitur neceſſitati extremæ proximi.

Quæro XXIX. *Daturne parvitas materiæ in defectu verborum formæ Sacramentalis?*

41 ℞. *I.* In verbis eſſentialibus, quæ ſi alterentur, mutant ſenſum, non datur parvitas materiæ excuſans à mortali peccato Sacrilegii; quia tunc & illicitè, & invalidè conferetur Sacramentum; nam veritas, vel ſenſus verus verborum ſunt de eſſentia Sacramenti.

℞. *II.* Si autem talis defectus fuerit indeliberatus, & involuntarius tunc non peccaſti, quamvis Sacramentum fuerit invalidum. Cognito autem tali errore eſſentiali, cautè ſupplendus erit defectus, ſi poſſibilitas, & tempus permiſerint.

℞. *III.* In verbis non eſſentialibus dari poteſt parvitas materiæ excuſans à mortali; quia tunc (ut ſupponitur) ſecundùm rei veritatem accidentalis eſt talis defectus; ergo venialis erit.

℞. *IV.* Quod dixi de parvitate defectus ex parte formæ, poteſt extendi (ex paritate rationis) ad parvitatem defectus ex parte materiæ; ut ſuis in locis particularibus videbimus.

Quæro XXX. *Interruptio prolationis verborum formæ Sacramentalis poteſtne nocere valori Sacramenti?*

℞. *I.* Si talis, & tanta ſit interruptio, 42 ut verba ſequentia moraliter non connectantur cum præcedentibus, aut non conſtituant apud prudentes viros audientes unam continuatam orationem, aut verum ſenſum: tunc nocebit utique valori; ideòque tota forma repetenda erit, alias peccabis mortaliter ob dubium nullitatis Sacramenti.

℞. *II.* E contra verò, ſi interruptio modica ſit, & brevis. V. G. Si baptizans puerum, dictis jam his verbis, *Ego te baptizo:* expuas, tuſſias, aut ſternutes, & ſtatim proſequaris formam: *In nomine Patris, &c.* Validus erit Baptiſmus, nec opus erit, repetere totam formam. Benè tamen, & melius erit repetere, quia Forma nondum fuit perfecta: parvus labor, magna tamen cautela erit, & decor Sacramenti, ſi repetas.

Quare digni ſunt reprehenſione quidam 43 Sacerdotes vel ignorantes, vel ſcrupuloſi, qui, ut meliùs (ſuo judicio) exprimant ultimam ſyllabam formæ conſecrationis Hoſtiæ, interrumpunt ſenſum ultimi pronominis, reſpirando, ac dicendo diviſim *me-um*; quia Oratio conſecrativa debet, quantùm moraliter eſt poſſibile, recitari uno flatu: & quando neceſſaria eſt reſpiratio, debet prudenter, & aptè fieri, ne ſenſus verborum diſtrahatur, aut corrumpatur ex incongrua ſeparatione dictionum.

Quæ-

Digitized by Google

Quæro XXXI. *Eſtne licitum repetere totam formam verborum ſuper eamdem numero materiam?*

44 ℞. *I.* Quando Miniſter rationabiliter dubitat, ſe non rectè, ac ritè baptizaſſe, vel conſecraſſe, vel abſolviſse, &c. tunc licitè poteſt, & debet repetere totam formam Sacramentalem. Ratio eſt clara; quia omnis defectus eſsentialis cautè ſupplendus eſt, ne Sacramentum remaneat invalidum cum damno ſpirituàli proximi, &c. Sed iſte defectus, ſi adfuit, poteſt ſub conditione ſuppleri. ergo, &c.

℞. *II.* Quando Miniſter moraliter eſt certus, vel rationabiliter credit, aut credere debet, ſe rectè, & ritè pronunciaſſe formam Sacramenti, non poteſt ampliùs citra grave peccatum repetere formam, quia tunc, repetendo, gravem injuriam irrogat Deo, magnam irreverentiam Sacramento, & ſcandalum proximo. Etenim ſecunda vice rune proferens formam ſuper eamdem omninò materiam jam informatam, inutiliter, temerè ac irreligiosè tentat iterare Sacramentum.

℞. *III.* Quando Miniſter leviter tantùm dubitat, ſuſpicatur, aut ſcrupulizat, an debitè formam pronunciaverit? tunc non debet illam repetere; ne quidem ſub conditione; ſed prudenter, excuſſo ſcrupulo, inanique timore, ſe reſolvere, & credere debet, rectè, ſufficienterque pronunciaſse formam; aliàs temerè fieret repetitio; nam iteratio formæ Sacramentalis permittitur ſolùm (ſub conditione) in dubio rationabili.

℞. *IV.* Sacerdos autem, qui, ut moleſto ſe ſe expediat ſcrupulo, ſub conditione iterùm conſecrat, vel abſolvit, non effugiet ſaltem venialem culpam imprudentiæ, ac irreverentiæ. Quòd ſi admonitus à Confeſsario docto, prudenti, & pio, ne impoſterùm repetat formam Sacramentorum, contemnat ſanum conſilium, faciatque quaſi conſuetudinem ſic repetendi, tunc videtur temerè operari, nec effugiet culpam gravem; nam iteratio Sacramentalis formæ ſupra eamdem numero materiam facta ex inani dubio, vel ſcrupulo, eſt quædam irriſio Sacramenti, atque ſacrilega præſumptio, ac temeraria adminiſtratio. Ego ipſe novi quemdam Sacerdotem iterantem conſecrationem, & abſolutionem, qui nolens acquieſcere conſilio Confeſsariorum, incidit in miſerrimam amentiam, & alium audivi Sacerdotem juvenem Patavij ſe præcipitaſse in puteum.

Quæro XXXII. *Quænam eſt differentia inter Sacramentum in fieri, & Sacramentum in facto eſſe?*

℞. Eſt iſta; quod Sacramenta *in fieri* ſunt illa, quæ dicuntur, & ſunt tranſeuntia, & conſiſtunt in uſu; & hujuſmodi ſunt omnia Sacramenta, excepto ſolo Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quod eſt permanens, ac veluti *in facto eſſe* conſiſtit. In cæteris enim idem eſt Sacramentum, ac perceptio Sacramenti; nec poſt factum permanet aliquid, quod ſit Sacramentum, licèt permaneat effectus illius. Sacramentum autem Altaris, & eſt tale quando fit, & remaneat tale poſtquam factum eſt, donec ſpecies Euchariſticæ permanent incorruptæ. 45

Quæro XXXIII. *Materia, & forma Sacramentorum fueruntne determinata à Chriſto Domino?*

℞. Fuerunt determinatæ quoad ſubſtantiam; non tamen ejuſmodi determinatio in omnibus Sacramentis æqualiter facta eſt. Quia Dominus Jeſus Chriſtus omnia & ſingula ſeptem Sacramenta novæ legis inſtituit; ergo etiam determinare debuit eorum materiam, & formam, ſaltem quoad ſubſtantiam. Ità Suarez, *in 3. part. tom. 3. diſp. 1. ſect. 3.* -- Maſtrius *in 4. diſp. 4. num. 36. & 45.* -- Anacletus noſter, *tr. 14. diſt. 1. n. 20.* & P. Boſco noſter, *par. 1. diſp. 1. ſect. 3. concl. 2.* ubi doctiſſimè probat Reſolutionem noſtram explicando ſingulorum Sacramentorum materias, & formas. 46

Quæro XXXIV. *Eccleſia Catholica poteſtne mutare materiam, aut formam Sacramentorum?*

℞. Minimè. Ratio eſt, quia in ſubſtantialibus Sacramentorum numquam aliquid mutavit; ergo ſignum eſt, quòd non poſſit. Tum quia tota ſubſtantia Sacramenti à Chriſto inſtituta eſt; ergo à ſolo Chriſto mutari poteſt. Poteſt quidem mutare accidentalia; quia hæc accidentalia ſicut ab Eccleſia ordinata ſunt, ita & mutari poſſunt; & quandoque mutata ſunt: ut patet ex Conc. Trid. *ſeſſ. 21. c. 2.* 47

Quandonam fuerint inſtituta ſeptem Sacramenta? Vide ſuis in locis de ſingulis Sacramentis.

De Miniſtro Sacramentorum.

Quæro XXXV. *Quiſnam poteſt eſſe Miniſter Sacramentorum?*

48. ℞. *I.* Solus homo viator eſt ſufficiens miniſter. Quia Inſtitutor Sacramentorum Chriſtus dedit hanc poteſtatem ſolis hominibus viatoribus: ut colligitur, Lucæ cap. 22. Joann. cap. 20. & alibi. Id etiam declararunt Concilia.

℞. *II.* Non tamen omnis homo poteſt eſſe Miniſter omnium Sacramentorum. Patet ex Concil. Trident. ſeſſ. 7. Can. 10. Nam ut Eccleſia docet, & conſuetudo univerſalis Eccleſiaſtica probat, (excepto primo Sacramento, cujus Miniſter poteſt eſſe omnis homo utriuſque ſexus: & excepto ultimo Sacramento, cujus Miniſtri ſunt Vir, & mulier conjuges) Miniſter Sacramentorum eſt ſolus Sacerdos: & quandoque Epiſcopus requiritur: ut ſuis in locis videbitur.

Quæro XXXVI. *Ad validè conficiendum Sacramentum quænam conditiones requiruntur in Miniſtro?*

49. ℞. Duæ; nempe Poteſtas, & Intentio. Poteſtas requiritur, ut poſſit facere; Intentio, ut velit facere Sacramentum. Pro diverſitate autem Sacramentorum diverſa requiritur Poteſtas; ut videbimus de ſingulis.

Quæro XXXVII. *Fides Miniſtri eſtne neceſſaria ad valorem Sacramenti?*

50. ℞. Nequaquam. Quia Concil. Nicænum Can. 19. docet, Pauliniſtas hæreticos venientes ad Eccleſiam Catholicam eſſe rebaptizandos: quia vera forma non conficiebant Baptiſmum. — Ergo ſi vera forma baptizati fuiſſent, validus fuiſſet eorum Baptiſmus; ergo Fides non eſt neceſſaria, &c. Hæretici enim non habent Fidem Divinam. — Et Concil. Arelatenſe primum, Can. 17. definivit, Baptizatos ab Hæreticis in nomine Trinitatis expreſſæ, non eſſe rebaptizandos; ergo; &c.

Quæro XXXVIII. *Bonitas Miniſtri eſtne neceſſaria ad valorem Sacramenti?*

51. ℞. Non. Ratio eſt, quia Concil. Tridentinum, ſeſſion. 7. canon. 12. de Sacrament. in genere ſic docet: *Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit.* — Ergo eſt certum de Fide, Bonitatem intrinſecam Miniſtri non eſſe neceſſariam ad valorem Sacramentorum.

Ratio theologica eſt: quia Dei voluntas antecedenter ad omnem bonitatem Miniſtri decrevit aſſiſtere Sacramentis à ſe inſtitutis, & à Miniſtro confectis cum requiſitis eſſentialibus, ideſt, *Materia, Forma, & Intentione*: ergo poſitis his requiſitis, Deus ex pacto facto dat valorem Sacramentalem. Tum quia Sacramenta habent ſuum valorem *ex opere operato*, nempe ex virtute, ac meritis Chriſti, minimè verò ex virtute, ac meritis Miniſtri. Tum quia congruum fuit ut Chriſtus Inſtitutor ſic ordinaret, ne malitia Miniſtri impediret valorem, & effectum Sacramentorum. Si enim bonitas moralis ex parte Miniſtri neceſſaria eſſet, ſequerentur plurima, & graviſſima mala, & damna ſpiritualia irreparabilia toti Communitati Fidelium; ergo Divina Providentia ſapientiſſimè diſpoſuit, Bonitatem Miniſtri non requiri ad valorem Sacramentorum in bonum commune Eccleſiæ ſuæ inſtitutorum. 52.

Quæro XXXIX. *Quænam conditiones requiruntur in Miniſtro ad licitè conficienda, & conferenda Sacramenta?*

℞. Ultra illas duas requiſitas ad validè conficiendum Sacramentum, *Poteſtatem*, videlicet, & *Intentionem*: & ultra requiſita eſſentialia, *Materiam*, ſcilicet, & *Formam*, requiruntur in Miniſtro, neceſſitate præcepti Divini, & Eccleſiaſtici ad licitam adminiſtrationem aliæ conditiones diverſæ pro diverſitate Sacramentorum, quarum una (communis ad omnia Sacramenta licitè adminiſtranda) eſt ſtatus Gratiæ: nempè, ut Miniſter non habeat conſcientiam gravatam peccato aliquo mortali. Ratio fundamentalis eſt: quia Concilium Tridentinum, nempe Eccleſia Catholica legitimè congregata, ſeſſ. 13. capit. 7. docet, quòd *Non decet ad Sacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſanctè*. Et perpetua traditio Eccleſiaſtica, ac unanimis conſenſus Sanctorum Patrum docent, *Sancta ſanctè tractanda eſſe*. Tum quia Miniſter ſpecialiter conſecratus, ac deputatus conficiens Sacramentum in mortali magnam irrogat irreverentiam Domino Deo Inſtitutori, ac ipſimet Sacramento ordinato ad ſanctificandas Animas: quod eſt peccatum Sacrilegii contra Virtutem. 53.

tutem Religionis; ergo neceſſariò neceſſitate præcepti requiritur in Miniſtro ſtatus Gratiæ.

Quæro XL. *Quiſnam eſt Miniſter ſpecialiter conſecratus ad Sacramenta miniſtranda?*

54 ℞. Eſt ſolus Sacerdos Euangelicus, qui in ſua Ordinatione conſecratur, ac deputatur ad ritè miniſtranda Sacramenta veluti ex Officio; tunc enim datur ei Poteſtas & ſuper Corpus Chriſti verum, & ſuper Corpus Chriſti myſticum: manuſque ejus conſecrantur, ut quidquid benedixerit, benedicatur, & quidquid conſecraverit, conſecretur.

Quæro XLI. *Quiſnam eſt Miniſter non conſecratus?*

55 ℞. Eſt quilibet homo, qui non ex Officio, ſed ex mera neceſſitate, ac permiſſione Eccleſiæ conficit aliquod Sacramentum, aut miniſtrat. Ut V. Gr. Laicus, qui in caſu neceſſitatis baptizat. Item Sacerdos ſimplex, quando urgente neceſſitate domi, vel in Eccleſia baptizat, &c. nam ad baptizandum ſolemniter, requiritur Juriſdictio Parochialis.

Quæro XLII. *Miniſter non conſecratus ex neceſſitate baptizans in ſtatu peccati mortalis, peccatne mortaliter?*

℞. *I.* Aliqui DD. affirmant; ratio eorum eſt: quia tam tranſgreditur Divinum mandatum *de ſanctè Sancta tractando* ille, qui ex neceſſitate conficit, quàm qui ex Officio confert Sacramentum in ſtatu peccati mortalis; uterque enim non ſanctè ſancta miniſtrat. Tum quia uterque eſt in illo actu Miniſter Chriſti, Miniſter Gratiæ ſanctificantis; ergo valdè indecens, ac repugnans Sanctitati, quòd mancipium Diaboli, & inimicus ipſiuſmet Chriſti faciat illud opus Divinorum Diviniſſimum, nempe cooperari Deo in Salutem Animarum, adminiſtrando nimirùm Sacramentum. Ita Vaſquez, *diſp. 136. cap. 3. à numer. 26.* cum aliis DD. quos citat, & ſequitur Eminentiſſimus de Lugo, *diſput. 8. num. 148. & 149.* Et Brancatus, *tom. 1. de Sacram. in genere.*

℞. *II.* Multi alii DD. negant. Ratio eorum eſt: quia tunc non ſe exhibet ut Miniſter ex Officio, ſed ut inſerviens neceſſitati proximi; & ſic deficit à perfecta ratione Miniſtri. Tum quia nimis durum, ac rigidum videtur, obligare Miniſtrum exercentem opus miſericordiæ ſpiritualis proximo extremè indigenti, ut ſe priùs conſtituat in ſtatu Gratiæ, antequam baptizet infantem moribundum, aliàs peccet mortaliter baptizando; poſſet enim reſpondere, ſe nolle baptizare infantem periclitantem, quia ipſe eſt in malo ſtatu, ergo multi infantes morituri eſſent ſine Baptiſmo. Tum quia in caſu neceſſitatis prædictæ magis urget præceptum Baptiſmi conferendi, quàm Contritionis eliciendæ; & neceſſitas extrema proximi morituri aufert omnem irreverentiam ex parte Miniſtri peccatoris. Multa enim licent in extrema neceſſitate, quæ non licerent extra illam. Tum tandem quia Rituale Romanum, titul. de iis, quæ in Sacramentorum adminiſtratione generaliter obſervanda ſunt, dicit: *Sacerdos ergo ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius (quod abſit) ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi priùs corde pœniteat.* Sed ibi loquitur de Miniſtro ex Officio: ut patet ex verbis antecedentibus: *Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem Sacramentorum adminiſtratio pertinet.* Item loquitur extra caſum extremæ neceſſitatis: ut patet ex illis verbis: *Non audeat accedere ad Sacramentorum adminiſtrationem;* Ergo Miniſter non conſecratus, vel alius Sacerdos in caſu neceſſitatis extremæ non obligatur ab Eccleſia Romana (*Rituale* enim *Romanum* juſſu Summi Pontificis Pauli Quinti, editum fuit) ad ſe priùs conſtituendum in ſtatu Gratiæ. Præceptum igitur Charitatis erga proximum periclitantem præponderat præcepto Religionis. Non quòd poſſit in neceſſitate irreverenter tractari Sacramentum; ſed quòd ratione ipſius neceſſitatis ceſſat irreverentia, quæ alioquin fieret.

Pro confirmatione hujus ſecundæ Reſponſionis poſſem citare unum Doctorem Claſſicum æquivalentem multis, nempe D. Thomam *in 3. part. quæſt. 64. artic. 6. ad 3.* Ubi dicit: "In articulo neceſſitatis non peccaret Sacerdos baptizando in caſu, in quo etiam Laicus poſſet baptizare; ſic enim patet, quòd non exhiberet ſe Miniſtrum conſecratum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti; *hæc D. Thom.* loquens in caſu noſtro de Miniſtro exiſtente in peccato, &c. Sed huic Sancto Doctori Angelico addo P. noſtrum Boſco doctiſſimum Theologum *in prima part. Theol. Sacram. diſp. 1. ſect. 7. concl. 11.* P. Anacletum noſtrum, *T. 14. diſt. 1. à num. 45.* Summam Armillam P. Bart. Fumi, *V.*

Baptiſ-

Baptiſmus , *num.* 43. -- Eminentiſſimum Cajetanum , *in comm.* 3. *part. quæſt.* 64. *art.* 6. -- Sotum, Valentiam , & alios in Advit. Toleti , *lib.* 1. *cap.* 91. Filliucium, *Tract.* 2. *num.* 88. *in fine*. Suarez *tom.* 3. *ad* 3. *part. diſp.* 16. *ſect.* 4. Reginaldum, *lib.* 26. *num.* 58. -- Tamburinum *de Sacr. lib.* 1. *cap.* 2. §. 3. *num.* 5. -- & Dianam coordinatum, *tom.* 1. *tr.* 1. *reſol.* 11. cum aliis DD. ibi citatis.

57 Prædictæ autem rationes allatæ pro ſecunda Reſponſione non ſolùm probant de Baptiſmo miniſtrato in caſu neceſſitatis , ſed etiam de alio Sacramento ex neceſſitate collato à Sacerdote non ex Officio miniſtrante . V. G. de Abſolutione data moribundo inter anguſtias temporis . Ratio ulterior eſt ; quia Sacramentum Pœnitentiæ eſt eodem modo neceſſarium ad ſalutem lapſis in mortale poſt Baptiſmum, ſicuti ipſe Baptiſmus nondum baptizatis. Tum quia hæc duo Sacramenta *Baptiſmus* & *Pœnitentia* in periculo mortis obligant quemcumque Miniſtrum idoneum ad eorum adminiſtrationem . Sicut enim quis tenetur ea recipere, ita & Miniſter quiſque, idoneus , obligatur conferre, ut ſaluti æternæ proximi conſulatur.

Quæro XLIII. *Quare in dicto caſu Miniſter conſecratus, ſeu ex officio baptizans, aut abſolvens moribundum in ſtatu peccati mortalis, peccat mortaliter , & Miniſter non conſecratus, ſeu non ex Officio ſic adminiſtrans non peccat?*

58 ℞. Ratio patet ex verbis Ritualis Romani, loc. citat. Ubi dicit : *Sacerdos quivis , ad quem Sacramentorum adminiſtratio pertinet, meminiſſe in primis debet, ſe Sancta tractare , atque omni ferè temporis momento ad tam Sanctæ adminiſtrationis Officium paratum eſſe, oportere* . -- Igitur cùm Parochus, vel quivis Sacerdos vices Parochi gerens, debeat ſemper eſſe paratus ad Sacra dandum ; hinc ſequitur , quod etiam in caſu repentino alicujus moribundi teneatur eſſe in ſtatu Gratiæ ; & ſi non eſt, tenetur ſtatim conteri ; quia ei Officium injungitur, quod ex Juſtitia exercere debito modo obligatur.

Quæro XLIV. *Miniſter conſecratus exiſtens in ſtatu peccati mortalis , volens conficere aliquod Sacramentum , teneturne priùs confiteri?*

59 ℞. Communiſſima Sententia DD. eſt, non reperiri præceptum Divinum, vel Eccleſiaſticum de præmittenda Confeſſione Sacramentali ante adminiſtrationem , vel etiam ſumptionem Sacramentorum , *præter Eucharistiam Sanctiſſimam*, de qua ſpecialiter id conſtituitur, vel declaratur à Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 13. *c.* 7.

Sufficit ergo ut præmittatur Contritio , quam ſi bona fide putat ſe Sacerdos conſecratus elicuiſſe , poterit à novo peccato mortali irreverentiæ per iſtam bonam fidem excuſari . Confirmatur ex verbis Ritualis Romani citati: ubi dicit: *Sacerdos ergo ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius , ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi priùs corde pœniteat , ſed ſi habeat copiam Confeſſarii , & temporis , locique ratio ferat , convenit confiteri*. Non dicit (nota benè) *debeat* confiteri, ſed *convenit confiteri* ad denotandum conſilium , non præceptum de Confeſſione tunc præmittenda . Multum ergo conſultum erit , habita copia Confeſſarii , præmittere Confeſſionem propter majorem reverentiam , facilitatem , & ſecuritatem recuperandæ Gratiæ ; at hoc non cadit ſub præcepto , Ita ſentiunt DD. Catholici, Canoniſtæ, & Theologi infraſcripti , videlicet:

Sylveſter *in ſum. V. Confeſſio* 1. §. 2. ubi citat inter alios etiam D. Thomam *in* 4. *diſt.* 17. *& quolibet* 1. *q.* 6. *art.* 2.

Filliucius, *tom.* 1. *tractat.* 1. *numero* 86. ubi citat Soto, *diſt.* 17. *quæſt.* 2. *artic.* 6. *concl.* 4. & Petrum Soto , *ſect.* 3. *de neceſſitate pœnis.*

Laymannus, *lib.* 5. *tr.* 1. *cap.* 5. *nu.* 10. *verſ. Denique*.

Cardinalis de Lugo, *diſp.* 15. *n.* 40. *de Pœnit.*

Antonius de Eſcobar, *tom.* 2. *de Sacram. li.* 15. *ſect.* 2. -- *Problema* 9.

Navarrus *in Manuali* , *c.* 2. *n.* 6.

Henriquez *lib.* 4. *de Pœnit. ca.* 3. §. 4. *junctâ litt.* O

Fagundez *de quinq. præcept. Eccl. præcepto* 2. *lib.* 1. *c.* 1. *n.* 10.

Victoria *in Sum. n.* 135.

Angelus *in Sum. V. Confeſſio* , *n.* 31.

Franc. Suarez *tom. de Pœnit. diſp.* 35. *ſect.* 3. *n.* 13. *& ultimo*.

Sporer *tom.* 3. *de Sacram. in genere*, *p.* 1. *c.* 3. *ſect.* 3. *n.* 170.

Maſtrius *Moral. Theol. diſput.* 21. *num.* 210.

Dupaſquier *Theolog. tom.* 8. *diſput.* 8. *concl.* 4. *Objicies* 2. Et alii, quos me piget citare.

No-

Digitized by Google

Noviſſimè P. Franciſcus Henno noſter, *tom. 2. diſp. 4. qu. 3. art. 4.*

Vide etiam Boſco noſtrum mox citandum num. ſequenti.

Miniſter igitur conſecratus, ſeu ex Officio volens adminiſtrare, vel conficere aliquod Sacramentum, tenetur facere quod, & quantum in ſe eſt, ut in Gratia miniſtrare poſſit; poterit ergo aut confiteri cum ſola attritione, aut conteri cum voto Confeſſionis. Si autem vult Miſſam celebrare, obligabitur præmittere Confeſſionem; & ſi deſit commoditas Confeſſarii, atque urgeat neceſſitas celebrandi, tenetur elicere actum Contritionis, & quamprimùm confiteri obligabitur.

Dices. Contritio perfecta non eſt in poteſtate hominis omni tempore; eſt enim actus difficillimus, & rarus; ergo, &c.

60 ℞. Cum P. Boſco, *part. 1. diſp. 1. concluſ. 11. num. 165.* Quando actus ſupernaturales jure naturali, vel Eccleſiaſtico præcipiuntur, ſunt etiam poſſibiles nobis cum Gratia Dei, quæ non deeſt facienti, quod in ſe eſt, juxta commune Theologorum Axioma: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat Gratiam*. Et ut habetur in Regulis Juris: *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*. Igitur ſi Deus obligat me, & te ad actum ſupernaturalem Contritionis, promptus, & fidelis eſt nobis ſubminiſtrare Gratiam neceſſariam ad actum iſtum eliciendum; alioquin omiſſio illius non imputaretur mihi, & tibi in peccatum. Ergo (via ordinaria Divinæ Providentiæ) qui facit quod, & quantum in ſe eſt ad eliciendam Contritionem, verè, & certò moraliter poteſt judicare, ſe eſſe contritum.

Nec aliam diſpoſitionem exigit communiſſima, & veriſſima ſententia DD. ad miniſtrationem, & ſuſceptionem Sacramentorum, quàm prædictam bonam æſtimationem, & probationem. Non quòd noſtra æſtimatio aliquid conferat ad rem, & juſtificationem, ſi vera contritio non ſit; (contingere enim poteſt, quòd qui magis contritus eſt, minùs ſe æſtimet contritum; & è contra, qui minùs eſt contritus, magis ſe judicet contritum;) ſed quia hæc æſtimatio poſſibilis eſt, (ſcit enim unuſquiſque Catholicus non infimæ plebis ob quale motivum doleat de peccatis,) & reverentia debita Sacramentis videtur eam tantùm requirere diſpoſitionem, quæ nobis eſt poſſibilis hic, & nunc.

Negatur ergo antecedens, nempe quòd Contritio non ſit in poteſtate hominis omni tempore opportuno: & quod ſit actus difficillimus, & rarus.

Quæro XLV. *Sacerdos in mortali conficiens, vel adminiſtrans Sacramenta, peccatne mortaliter* toties, quoties *conficit, vel adminiſtrat?*

℞. I. Reſolutio hujus Quæſiti pendet 61
ex dictis, *parte prima, Tractat. 39. num. 109.* ubi de diſtinctione numerica peccatorum egimus: & diximus, Peccata, quæ opere, vel actu externo perficiuntur, toties numero multiplicari, quoties actus ipſi repetuntur; quia unus actus non habet connexionem phyſicam, nec moralem cum alio actu ſubſequente, & unus non ordinatur ad alium, & quilibet eſt in ſe completus, & conſummatus in ſua ſpecie, ac malitia.

℞. II. Mihi omninò non placet Opinio 62
P. Marchantii noſtri, qui *tom. 3. Tribunalis Confeſſ. tractat. 3. tit. 4. quæſt. 2. concl. 2. regul. 2.* tenet, quòd Sacerdos, qui ſe expoſuit ad audiendas Confeſſiones: etiamſi centum pœnitentes ſucceſſivè ſe præſentent, & ab eo in peccato mortali exiſtente abſolvantur, unum tantùm peccatum mortale committit: quia nimirùm exercet unica vice Miniſterium, & actionem natura ſua communem omnibus accedere volentibus, quam explicamus per Verbum: *Pro Tribunali ſedere: Judicium facere: Cauſas dicere*. Hæc Marchant, quem ſecutus eſt P. Anacletus noſter *in Theol. Moral. Tractat. 14. diſtinct. 1. numero 53.*

Sed neque hæc opinio placet P. noſtro 63
Boſco, qui *diſput. 1. de Sacram. in genere, ſect. 7. concluſ. 11. num. 179.* optimè confutat Marchantium, & inter multa dicit: Certè non video rationem convincentem contrarium, cùm diverſæ Confeſſiones ſint Judicia omninò diſtincta. Ponamus, Judici alicui inferiori prohibitum eſſe per Superiorem ullam Cauſam judicare: nihilominus ille audax ſedet pro Tribunali, judicat decem cauſas; quidni committat decem peccata? Ergo à ſimili de Confeſſario plures pœnitentes audiente, & abſolvente.

℞. III. Major difficultas eſt de Sacerdo- 64
te diſpenſante Euchariſtiam pluribus ſucceſſivè. In hoc tres ſunt Opiniones diverſæ. *Prima* dicit, Sacerdotem peccare mortaliter toties, quoties, & quot hoſtias, ſeu

particulas diſtribuit. Ratio eſt: quia cùm ſint plures Sacramenti diſtributiones, & plures actiones terminatæ, & completæ, etiamſi fiant ſucceſſivè: & iſtæ diſtributiones fiant à Miniſtro malo, (ſeu in ſtatu peccati mortalis) qui ex officio, & ratione officii ſuſtinet Perſonam Chriſti in adminiſtratione digniſſimi ſui Sacramenti, ad quam ſpecialiter eſt conſecratus, & in qua major requiritur veneratio, quàm in reliquis; nam ſi non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſanctè; certè quò magis ſanctitas, & Divinitas Cœleſtis hujus Sacramenti Viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs cavere debet Sacerdos, ne abſque magna reverentia ad hoc Sacramentum diſpenſandum accedat; ergo ſi indignè accedit, graviter delinquit, & toties peccabit graviter, quoties indignè tractabit, & diſpenſabit. — Breviùs formo rationem ſtrictam: Sacerdos eſt Miniſter deputatus ex Officio ad hoc munus diſpenſandi Corpus Chriſti verum, & eſt conſecratus ad Sanctum hoc Miniſterium cum gratia, & dono ſpeciali; ergo debet eſſe in Gratia; nam ſancta ſanctè tractanda ſunt; ergo adminiſtrans in malo ſtatu indignè tractat Sanctum Sanctorum; ergo mortaliter peccat toties, quoties, &c. Ita Dicaſtillo, Coninchius: & alii cum Bonacina, *diſp. 1. de Sacram. qu. 3. punct. 2. num. 15.*

Secunda opinio docet, peccare quidem mortaliter Sacerdotem diſpenſantem, ſed reum eſſe unius duntaxat peccati mortalis licèt gravioris, unica, & ſucceſſiva communicatione multorum accedentium. Ratio eſt: quia totus ille actus communicandi plures ſucceſſivè habet ſe per modum unius Convivii ſpiritualis exhibiti, & ipſa adminiſtratio continua cenſetur moraliter unum tantùm Miniſterium Sacrum indignè tractatum; ergo unum erit peccatum. Ita Marchant, Filliucius, & alii cum P. Anacleto, *Tract. 14. diſt. 1. num. 51.*

Tertia opinio tenet, talem Sacerdotem diſpenſantem Sacramentum Euchariſtiæ ſive uni, ſive pluribus accedentibus non peccare mortaliter, ſed venialiter. Ratio eſt: quia in hoc Miniſterio Sacerdos non conficit Sacramentum, ſed tantùm applicat, & diſtribuit: itaque tunc non eſt ita per ſe, & directè inſtrumentum Dei ad ſanctificandum populum, ſicuti quando actu conficit Sacramentum; ergo non videtur tam graviter obligari ad ſtatum Gratiæ, ut, ſi non ſit in Gratia, diſpenſando, peccet mortaliter. Quoniam verò aliqua intervenit irreverentia contra *Tantum Sacramentum*, erit pariter aliqua culpa venialis ex gravioribus in linea venialium. Ita Averſa, Nugnus, Vaſquez, Lugo, Diana, & alii apud Maſtrium *in Moral. diſp. 18. num. 73.*

Alii DD. non diſtinguunt *de toties, quoties*, ſed abſolutè dicunt, hujuſmodi Sacerdotem in malo ſtatu diſpenſantem Euchariſtiam, peccare mortaliter: ut videre poteris apud Maſtrium *citat.* Et apud P. Boſco, *diſp. 1. de Sacram. in genere ſect. 7. num. 172.* qui dicit, hanc opinionem eſſe communiorem in Scholis.

Alii tandem diſtinguunt de Sacerdote diſtribuente particulas à ſe conſecratas in Miſſa, & de diſpenſante eas ab altero jam conſecratas. De primo pronunciant, peccare mortaliter; de ſecundo verò, peccare venialiter. Heu! Quot diverſitates opinionum in uno puncto! Quænam autem ſententia ex his eſt vera? Deus novit. Interim melius erit mediam tenere viam, & declinare extrema.

Quæro XLVI. *Qui adminiſtravit, aut confecit indignè aliquod Sacramentum, teneturne, quando poſteà confitetur ſuum peccatum, explicare quodnam fuerit illud Sacramentum?*

℞. Quòd non; ſed ſufficiet, ſe accuſa- 65
re de peccato Sacrilegii facto, dicendo, *ſe miniſtraſſe Sacramentum in ſtatu peccati mortalis.* Quia omnia hæc ſacrilegia conveniunt in una ſpecie; & magis, & minus non variant ſpeciem.

Quæro XLVII. *Diaconus ex commiſſione Sacerdotis, vel Parochi diſpenſavit Euchariſtiam in ſtatu peccati mortalis, peccavitne mortaliter?*

℞. Aliqui DD. dicunt, quòd ſic. Quia 66
Diaconus etiam ordinatur, ut ex commiſſione Sacerdotis miniſtret quandoque SS. Euchariſtiam: *Diaconus quippe oportet miniſtrare ad Altare, baptizare, & prædicare;* ergo ſub miniſterio Altaris comprehendi poteſt diſtributio Euchariſtiæ ex officio. Alii autem DD. excuſant Diaconum à peccato mortali, cenſentes ipſum ad hoc non ordinari Jure Divino, ſeu vi Sacramenti Diaconatus, ſed ſolùm aſſumi quandoque (ex conceſſione Eccleſiæ) à Sacerdote committente; ergo non eſt Miniſter ad

hoc

Digitized by Google

hoc ordinatus, vel conſecratus: & conſequenter cùm non ex officio id præſtet, non peccabit mortaliter.

Quæro XLVIII. *Diaconus, & Subdiaconus miniſtrantes in ſtatu peccati mortalis ad Altare Sacerdoti celebranti, peccantne mortaliter?*

67 R. Nequaquam, ſed venialiter tantùm. Quia iſti verè non adminiſtrant Sacramentum, ſed tantùm inſerviunt Sacerdoti. De Diacono tamen aliqui DD. tenent, quòd ſic; quia hic ex ſua ordinatione valdè propinquè concurrit ad tremendum illud Sacrificium, &c. Vide meliùs, *tract.* 51. *à num.* 18. *&c.*

Quæro XLIX. *Concionator prædicans in ſtatu peccati mortalis, peccatne mortaliter?*

68 R. Quòd non. Quia ſicut Diaconus ex officio cantans Evangelium, non peccat mortaliter ex dictis; ita à ſimili dicendum de Concionatore; niſi aliunde ſcandalum oriatur. Peccat tamen venialiter, per ſe loquendo, ſicut & Diaconus.

Dices. Concionatores in malo ſtatu prædicantes impediunt fructum ſanctæ Prædicationis, & conſequenter ſalutem Animarum; ergo videntur graviter peccare.

R. Ex D. Auguſtino lib. 2. contra Epiſt. Parm. cap. 10. & habetur in Can. Omnia 1. q. 1. Quòd *Omnia Sacramenta cùm obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus: ſicut & Verbum Dei. Unde dictum eſt: Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* Ubi annumerantur Concionatores inter Miniſtros Sacramentorum; quia tamen vera Sacramenta majorem continent Sanctitatem, & magis proximè diſponunt ad ſanctificandas Animas, quàm Conciones, quæ ſolùm remotè, vel mediatè diſponunt hominem ad veram Gratiam ſanctificantem recuperandam, vel augendam; hinc fit, ut Miniſtri Sacramentorum ad id ſpecialiter conſecrati peccent mortaliter miniſtrando in malo ſtatu; Concionatores autem prædicando Verbum Dei in peccato mortali, ſolùm venialiter, per ſe loquendo, peccant, &c. Non igitur ex hoc ſolo capite impeditur fructus Concionis, neque ſalus Animarum, ſed ex aliis capitibus, ut videbimus, *tract.* 52. *à num.* 55. ſicut nec malus Miniſter impedit (ex hoc ſolo capite) fructum, & effectum Sacramentorum.

Quæro L. *Sacerdos agens Sacramentalia, & alias Sacras functiones in ſtatu peccati mortalis, peccatne?*

69 R. Sacerdos V. G. benedicens aquam, infirmos, &c. mortuos ſepellens, Matrimonio aſſiſtens ex officio, & ſimilia agens in malo ſtatu, peccat tantùm venialiter. Quia iſtæ, & ſimiles functiones non tendunt immediatè ad ſanctificandas Animas. Tum quia, (ut inquit Gabriel *in* 4. *ſent. diſt.* 15. *art.* 2. *in fine*) incautum, & malum eſt, affirmare aliquod eſſe peccatum mortale, quando non probatur ſufficienti authoritate, vel ratione convincenti.

Quæro LI. *An Sacerdos peccet mortaliter miniſtrando Sacramenta indignis ſuſcipientibus?*

R. Quoties Sacerdoti certò moraliter conſtet indignitas, aut indiſpoſitio pœnitentis, aut petentis aliud Sacramentum in occulto, toties peccabit mortaliter peccato Sacrilegii, miniſtrando ei tale Sacramentum. Ratio patet: quia tunc infideliter, & ſacrilegè ageret, faciendo Sacramentum nullum contra Virtutem Religionis. Tum quia proximè cooperaretur peccato indignè ſuſcipientis. Tum quia hoc eſſet *ponere Margaritas ante porcos, vel Sancta dare canibus.* Matth. 7. 70

Quando autem Sacerdos tantummodò ſuſpicatur, aut dubitat de indiſpoſitione, aut indignitate petentis; tunc debet priùs prudenter deponere ſuſpicionem, vel dubium; nam in dubio quilibet præſumendus eſt benè, ac ſufficienter diſpoſitus; & dubia in meliorem partem ſunt reſolvenda: & in dubio potiùs favendum eſt reo. Nec ſufficit ſuſpicio levis; quia hæc vix ſuperat dubium. Imò neque ſufficit ſuſpicio probabilis; quia hæc non gignit moralem certitudinem, ſed adhuc relinquit probabilem partem oppoſitam faventem petenti. Debet igitur eſſe ſuſpicio violenta, quæ nequeat probabili ratione deponi. De cætero mente retinendum eſt illud Axioma, quod habetur, cap. fin. de Præſumptionibus. *Prima facie quis præſumitur idoneus; niſi aliud in contrarium oſtendatur.*

Pro praxi autem Confeſſarii: quando ſuſceptturus Sacramentum eſt tibi Miniſtro ſuſpectus de indignitate, aut indiſpoſitione, debes præmittere aliquod examen, quod ſolet fieri in ſimilibus Caſibus privatis juxta conditionem perſonæ, &c. & ſecundùm reſponſa judicabis talem petentem

eſſe vel dignum, vel indignum; ſicque ei concedere, vel negare, aut differre Sacramentum.

Quæro LII. *Quid, ſi indignus petat Sacramentum in publico?*

71 ℟. Si talis indignus non ſit notorius, & publicus peccator; tunc Sacerdos poteſt, & tenetur non negare ei Sacramentum Euchariſtiæ. Quia etiam Chriſtus Dominus non negavit Communionem Judæ proditori coram cæteris Apoſtolis; & indignitas Judæ nota erat Chriſto ſoli; ergo &c.

℟. *II.* Si autem hujuſmodi indignus ſit notorius, & publicus peccator; tunc Sacerdos poteſt, & debet etiam publicè negare Euchariſtiam; quia tunc nulla fit injuria petenti; cùm ſit notoria ejus indignitas; quinimò ſi daretur ei SS. Euchariſtia, (etiam in Paſcha) grave ſcandalum etiam daretur videntibus, & ſcientibus ejus indignitatem, &c. Vide Rituale Romanum, *tit. de SS. Sacram. Euchariſt.*

Quæro LIII. *Quomodo ſe gerere debet Sacerdos Confeſſarius quando coram pluribus aſtantibus negare, aut differre tenetur abſolutionem indiſpoſito confitenti?*

72 ℟. In talibus circumſtantiis, & anguſtiis debet admonere confitentem indiſpoſitum, ut ſit contentus recedere cum benedictione, quam loco abſolutionis ei dabit ad evitandam omnem malam ſuſpicionem in videntibus, & aſtantibus: ſicque poterit eum benedicere dicendo: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te benedicat: Et ego auctoritate ipſius te benedico: In nomine Patris, &c.* Sacerdos enim ſolet, etiam extra caſum prædictum, benedicere aliquos ad ſe accedentes ſine materia abſolutionis, ut notum omnibus eſt.

73 *Hic pro praxi* (licèt non ſit locus proprius, eſt tamen communis) adverto: Abſolutionem ordinariam dandam eſſe ſecretò; nam ſi hoc Judicium ſit in ſecreto; quare, abſolutio datur voce tali, ut à circumſtantibus audiri poſſit? Certè mihi videtur abſurdum; & tamen multi Confeſſarii exaltant vocem ſuam, & dant ſignum omnibus expectantibus, ſe abſolviſſe præſentem, &c.

Quæro LIV. *Ob aliquem metum gravem poteritne Sacerdos ſimulare adminiſtrationem alicujus Sacramenti?*

74 ℟. In nullo unquam caſu, etiam ob metum mortis, licitum eſſe poteſt ſimulare adminiſtrationem Sacramenti. Ratio eſt clariſſima: quia numquam poteſt eſſe licitum mentiri; ſed ſic eſt, quòd ſimulare Sacramentum eſt mentiri verbis, & factis: & hoc eſt intrinſecè malum; ergo, &c. Quare jure optimo damnata fuit ab Innocent. XI. hæc propoſitio, quæ eſt la 29. *Urgens metus, gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

Tum quia: ſimulatio in Sacramentis continet graviſſimam injuriam irrogatam Deo, & Sacramentis; nam Sacerdos ſimulans fingit diſpenſare merita Chriſti, & non diſpenſat; ergo illudit Chriſto, Eccleſiæ, ac decipit videntes.

Quæro LV. *Quomodo poteſt contingere iſta ſimulatio Sacramentorum?*

℟. Multis modis. I. Quando Sacerdos 75
data opera non apponit materiam aptam tali Sacramento. II. Si ſupra materiam aptam non proferat debitam formam. III. Miniſtrando, aut diſtribuendo particulam non conſecratam pro conſecrata. IV. Si in proferendis verbis Sacramentalibus expreſsè non intendit conficere Sacramentum. Et ſimilibus.

Quæro LVI. *Sacerdos teneturne etiam cum periculo vitæ miniſtrare Sacramentum Baptiſmi, aut Pœnitentiæ proximo extremè indigenti, aut periclitanti?*

℟. Dummodò ſpes æquè certa proxi- 76
mum juvandi appareat, nullumque gravius damnum inde ſecuturum putetur, utique tenetur feſtinanter ſuccurrere proximo; Ratio patet ex dictis *in 1. parte, Tract. 18. num. 15. De Ordine Charitatis erga proximum.* Et ita ſentiunt S. Auguſtin. D. Thom. Adrianus, Navarrus, Valentia, apud Laymannum, *libr. 2. tract. 2. cap. 3. num. 3.*

Quæro LVII. *Quid, ſi in caſu prædicto Sacerdos eſſet in malo ſtatu, & ob temporis anguſtiam, perturbationem animi, & periculum in mora, non poſſet elicere actum Contritionis?*

℟. *I.* Sacerdotem non peccare tunc 77
mortaliter, docent plures DD. ut Cardin. de Lugo, Mæratius, Præpoſitus, & alii apud Dianam coordinatum, *tom. 1. tr. 1. reſol. 12.* Vide rationes ſuprà, *num. 56.*

℟. *II.* Deum Benedictum ſpeciali Providentia fore in adjutorium illius Sacerdotis, ne ipſe moriatur in peccato mortali, dum ſic procurat proximum efficaciter liberare ab æterna damnatione. Nam Eleemoſyna corporalis tantam habet vim, ut faciat invenire miſericordiam, & vitam

tam

Digitized by Google

tam æternam; ergo à fortiori Eleemoſyna Spiritualis.

Nota hic obiter, quòd Sacerdos in prædicto caſu extremæ neceſſitatis proximi baptizandi, vel abſolvendi, tenetur feſtinanter currere. Ita docet cum aliis DD. Barboſa, *tom. de Officio Parochi, capit.* 20. *num.* 46.

R. III. Si autem Sacerdos ille neſciat prædictam doctrinam, & timeat, ſe vel peccare mortaliter, vel ſubire periculum moriendi in peccato ſuo, aut neſciat ſe convertere ad Deum, &c. tunc tenebitur ſibi potiùs, quàm proximo ſubvenire: quia Charitas incipit à ſe ipſo.

De Subjecto, ſeu ſuſcipiente Sacramenta.

Quæro LVIII. *Quodnam eſt ſubjectum capax ſuſcipiendi Sacramenta?*

78 *R. I.* Solus homo viator. Quia Sacramenta inſtituta ſunt in ſalutem hominis Viatoris; ut patet ex definitione Sacramenti.

R. II. Omnis homo vivens eſt capax Sacramenti Baptiſmi. Quia eſt Regeneratio ſpiritualis neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem.

R. III. Omnis homo baptizatus eſt capax cæterorum Sacramentorum. Quia Baptiſmus eſt janua aliorum.

R. IV. Solus maſculus baptizatus eſt capax Sacramenti Ordinationis. Quia Chriſtus excluſit fœminas à miniſterio Altaris, & aliorum Eccleſiæ Officiorum Juriſdictionem habentium: ut patet tum ex Sacris ſcripturis, & Conciliis: tum ex perpetua praxi.

Circa diſpoſitionem requiſitam ad recipienda validè, & licitè Sacramenta, agemus in propriis locis, ubi de ſingulis.

Quæro LIX. *Fictè ſuſcipiens Sacramenta recipitne validè ipſa?*

79 Ut intelligas Quæſitum, oportet percipere ſenſum terminorum. *Fictio* in hac materia poteſt contingere dupliciter. *I.* in defectu intentionis. V. G. quando quis expreſsè intendit nolle recipere Sacramentum pro formali, licèt finat, aut permittat exteriùs baptizari, ordinari, &c. *II.* in indiſpoſitione Animæ impediente effectum formalem Sacramenti, quod tamen intendit recipere. Ut V. G. ſi quis velit utique baptizari, at non eſt pœnitens verus: vel ordinari, at eſt in peccato mortali. His notatis.

R. I. Fictio ex parte intentionis reddit Sacramentum invalidum. Quia in adulto requiritur actus liber, & voluntarius; ita ut ſit poſitivè volens recipere illud Sacramentum: ſeu habeat intentionem actualem, aut virtualem, aut habitualem. Quia Deus non juſtificat invitum. 80

R. II. Fictio autem ex parte indiſpoſitionis Animæ in aliquibus Sacramentis reddit Sacramentum invalidum. Ut in Sacramento Pœnitentiæ; quia in hoc diſpoſitio pœnitentis eſt pars eſſentialis materialis conſtitutiva illius Sacramenti. In aliis verò, licèt non reddat ea invalida, impedit tamen effectum formalem, nempe Gratiam. Ut in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine. 81

R. III. Hæc tria Sacramenta imprimentia characterem, recedente fictione, ſeu indiſpoſitione, reviviſcunt, ideſt, conferunt ſuum formalem effectum Gratiæ, quem non contulerunt à principio propter obicem. Ita P. Anacletus noſter *T.* 14. *diſſ.* 2. *à num.* 52. cum aliis DD. 82

R. IV. Quò ad *Baptiſmum* omnes docent, quod nuper dixi; quò verò ad alia duo, nempe *Confirmationem*, & *Ordinem* non eſt ita certum apud DD. multi enim concedunt: multi negant reviviſcentiam prædictam: ut videre potes apud P. Boſcum noſtrum, *diſp.* 1. *ſect.* 6. *à num.* 63. *tom.* 1. *de Sacrament.* Quoniam verò res eſt valdè ſpeculativa, & difficilis, non immoror ſuper eam. 83

Declarabo tantùm, *quid ſit hæc reviviſcentia Sacramenti*. V. G. Turca, vel Hebræus adultus vult eſſe Chriſtianus, vult baptizari, ſed non ſe pœnitet ſupernaturali motivo de malè acta vita, de peccatis ſuis: baptizatur more ſolito; utique validè eſt baptizatus, ſed Gratiam Divinam non recepit. Quandonam illam recipiet? Recedente fictione: hoc eſt, quando ſe pœnitebit verè de peccatis ſuis; quia tunc recedit fictio, & removetur obex, ſeu impedimentum illud, propter quod Gratiam baptiſmalem non receperat à principio. 84

Petes. *Ille Turca, vel Hebræus debebitne poſt Baptiſmum confiteri hoc peccatum fictionis?*

R. Vel illa fictio fuit *negativa*, vel fuit *poſitiva*: explico: *fictio negativa* eſt, quando quis indiſpoſitus quidem ſuſcipit Sacramentum aliquod, ſed ex ignorantia invincibili; & hæc indiſpoſitio vocatur etiam 85

obex materialis, nempe obſtaculum, impedimentum Gratiæ Sacramentalis; *Fictio* autem *poſitiva* eſt, quando quis indiſpoſitus ſcienter, & malitiosè ſic indignè ſuſcipit Sacramentum, ita ut in actuali ſuſceptione peccet mortaliter novo peccato ſacrilegii; & hæc indiſpoſitio vocatur etiam obex formalis.

Igitur ſi fictio fuerit negativa tantùm, vel obex materialis, dico, quòd Turca, vel Hebræus ille non tenetur confiteri fictionem ſuam; quia non fuit peccaminoſa formaliter, ſed tantùm materialiter: ideſt, fuit ſola non diſpoſitio requiſita, ſeu fuit carentia diſpoſitionis ad effectum formalem Sacramenti requiſitæ, ſine actuali novo peccato mortali.

Si autem fuerit fictio poſitiva, vel obex formalis, dico, quòd tenetur aut conteri, aut confiteri; licèt aliqui DD. magni nominis teneant, ſufficere attritionem: Ut videre poteris apud P. Boſcum noſtrum, *loc. cit. diſp.* 1. *ſect.* 6. *num.* 49. Ratio noſtræ ſententiæ communis, (nempè quòd teneatur, aut conteri, aut confiteri) eſt: quia, peccatum in ſuſceptione Baptiſmi commiſſum eſt ſubjectum, vel ſubjiciendum clavibus Eccleſiæ; ergo per ſe, & directè remitti debet per Sacramentum Pœnitentiæ, vel certè per Contritionem, quæ includat votum Sacramenti ipſius Pœnitentiæ.

Turca igitur, vel Hebræus ille ad recipiendam Gratiam ſacramentalem Baptiſmi fictè ſuſcepti, ſeu ut Baptiſmus malè, & indignè ſuſceptus (validè tamen) reviviſcat, debet omninò elicere actum attritionis de omnibus peccatis ſuis; & de eo peccato commiſſo in actuali receptione Sacramenti Baptiſmi debet ſpecialiter conteri, vel illud confiteri cum attritione.

86 ℟. V. Alia tandem Sacramenta, ſi cum fictione poſitiva, novoque peccato ſacrilegii recipiantur, recedente poſtea fictione, non reviviſcunt, ſeu non conferunt effectum ſuum Gratiæ Sanctificantis. Diſparitas inter iſta, & priora eſt: quia iſta Sacramenta non imprimunt Characterem: & poſſunt iterari; ſicque eorum effectus alio temporé acquiri poteſt.

Si autem recipiantur cum fictione merè negativa: (hoc eſt prætermittendo debitam diſpoſitionem inculpabiliter, vel ex caſu inopinato, aut inadvertentia, aut ignorantia excuſante) multi Doctores arbitrantur hujuſmodi etiam Sacramenta validè ſuſcepta conferre effectum ſuum, recedente fictione per veram diſpoſitionem: quia hoc videtur conformius Infinitæ Bonitati Divinæ, & decori Sacramentorum; quamvis hoc ipſum punctum à multis aliis DD. vel negetur, vel in dubium revocetur, apud Anacletum noſtrum, *cit. tractat.* 14. *diſt.* 2. *num.* 56. *&* 57.

Quæro LX. *Eſtne licitum petere, & recipere Sacramenta à malo Miniſtro?*

Supponendum primò, ſuſcipientem non teneri inquirere bonitatem Miniſtri Catholici; ubi enim talis obligatio reperitur, aut imponitur? Certè difficilis ſæpè, imò injurioſa inquiſitio eſſet; nemo quippè præſumitur malus, niſi probetur: & in dubio non eſt præſumendum delictum; ut dicunt Juriſperiti. 87

℟. I. Licitum eſt communiter petere, & ſuſcipere Sacramenta à Miniſtro Eccleſiæ, quando moraliter non conſtat, ipſum indignè miniſtraturum; adeò ut ſi quis videret Sacerdotem nunc peccantem, adhuc poſſet licitè petere ab eo Sacramentum neceſſitatis, & etiam utilitatis, eſtò non ſit paratus, neque obligetur ex officio miniſtrare; quia petens ſperare, vel judicare poteſt, ac debet, talem Sacerdotem per veram Contritionem ſe diſpoſiturum ad dignam Miniſtrationem; niſi fortè ſit publicum, & notorium, talem Sacerdotem eſſe in diuturna conſuetudine peccandi mortaliter, V. G. quia eſt concubinarius, ſimoniacus, &c. -- Hæc eſt communis ſententia apud Dicaſtillum, *diſp.* 3. *num.* 302. & noſtrum Boſcum *diſput.* 1. *ſect.* 8. *num.* 60. 88

℟. II. Licitè petitur Sacramentum quodcumque à quolibet Miniſtro ſua culpa indignè miniſtraturo; modò id ſuadeat notabilis utilitas petentis. Probatur ex illo principio ab omnibus admiſſo: *Licitum eſt, permittere peccatum proximi, quando commodè non poteſt impediri.* 89

Dices. Petens Sacramentum à tali Sacerdote indignè miniſtraturo cooperari videtur peccato illius; ergo non licebit.

℟. Petere Sacramentum eſt actio ex ſe bona, & benè fieri poteſt à Miniſtro, ſi velit; ergo ut bona petitur, non ut mala; & ſi fiat malè, malitia proveniet, & dependebit à ſola ipſius miniſtrantis voluntate. Ita Doctor noſter ſubtilis, *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt.* 2. *num.* 6. *ibi: Ad ſecundum*: Dico, quòd ille, qui petit V. G. Baptiſmum à malo Sacerdote, non cooperatur illi directè 90

ad

ad peccatum mortale; petit enim ab eo actum debitum. Ille etiam actus debitus, & petitus poſſet ſolvi ſine peccato, ſi baptizans contereretur. Unde quantum eſt ex actu petentis, petens magis neceſſitat Sacerdotem ad pœnitendum, quàm ad peccandum. Si autem non pœniteat, nihil imputandum eſt petenti: quia non in quantum eſt peccatum petit, ſed in quantum debitum eſt. – Hæc Scotus.

Dices. Scotus loquitur de Sacramento ſummæ neceſſitatis, quale eſt Baptiſma; ergo non debet extendi ejus doctrina ad reliqua, &c.

91 ℞. Doctores citati extendunt ad cætera Sacramenta cum illa limitatione: *Modò id ſuadeat notabilis utilitas petentis*: ob paritatem rationis valdè convincentis. Qui enim non ſolùm ob neceſſitatem, ſed & notabilem utilitatem facit actionem ex ſe bonam, ex qua proximus ſua malitia ſumit occaſionem peccandi: aut etiam qui petit actionem ex ſe bonam, licèt prævideat proximum ex ſua libera voluntate, aut malitia in ea mortaliter peccaturum, ipſe reverà non peccat: quia jure ſuo utitur; ergo à ſimili de eo, qui ob notabilem utilitatem ſpiritualem petit Sacramentum.

92 Item præcitati magni DD. advertunt, quòd iſta notabilis utilitas Animæ erit, quando occurrit magna Feſtivitas, aut Indulgentia, aut conſuetudo rationabilis diutiùs non differendi Confeſſionem, & Communionem, aut extraordinaria tentatio, aut periculum labendi, aut ne devotio, vel fervor amoris Divini tepeſcat, & ſimilia. Ergo à fortiori quando adeſt neceſſitas recipiendi Sacramenta.

93 Inſuper advertunt, quòd minor cauſa requiritur reſpectu Miniſtri obligati ex Officio, quàm reſpectu alterius; ſimiliter minor cauſa reſpectu parati ad miniſtrandum, quàm reſpectu non parati.

94 ℞. *III.* Illicitum tamen eſt petere, & accipere Sacramentum à malo Miniſtro notorio, etiam parato, quando æquè commodè poteſt peti, & accipi à bono Miniſtro, & privilegiato. Quia hoc dictat Regula Charitatis, quæ nos obligat impedire peccatum proximi, quando facilè, & commodè poſſumus.

95 ℞. *IV.* Eligi nihilominùs poteſt miniſter malus, relicto bono; ſi ille meliùs noverit dirigere tuam conſcientiam, & ſolvere dubia, ac adhibere remedia certa pro ſalute Animæ tuæ, & tunc ob rationes prædictas *de notabili utilitate*.

℞. *V.* A Miniſtro non tolerato, ſeu vitando non niſi in periculo mortis licitè poteris Baptiſmum, Pœnitentiam, & veroſimiliter Euchariſtiam, ſubinde etiam Extremam Unctionem petere. Ita docet, & probat P. noſter Boſco, *loc. cit. ſect. 8. concl. 5. à num. 79.* 96

Quæro LXI. *Eſtne licitum dare pecuniam Miniſtro malo, qui aliàs non vult mihi dare Sacramenta neceſſitatis?*

℞. In caſu extremæ neceſſitatis tibi licebit hoc facere. Ratio autem eſt: quia tu das pecuniam, non ut pretium Sacramenti; ſed ut medium hic, & nunc neceſſarium ad alliciendum animum avari Sacerdotis, & ad redimendam vexationem. Si enim quidam ſceleratus impediret Sacerdotem, ne Baptiſmum infanti conferret, vel ne accederet ad te ægrotum abſolvendum, nonne liceret tibi donare pecuniam illi ſcelerato, ut ceſſaret à vexatione? Utique; ergo à ſimili in caſu noſtro. Vide Dianam coordinatum, *tom. 1. tract. 1. reſol. 27.* 97

De Intentione Miniſtri Sacramentorum.

Quæro LXII. *Quid eſt Intentio Miniſtri in conficiendis Sacramentis?*

℞. Eſt actus volentis facere quod Chriſtus Dominus inſtituit, vel quod facit Eccleſia Dei in talibus ſignis Sacramentalibus. 98

Eſt autem triplex hæc Intentio, nempe actualis, virtualis, & habitualis. *Intentio actualis* eſt, quæ actualiter elicitur, dum fit Sacramentum: quando nimirùm Miniſter in corde ſuo dicit: *Volo baptizare: volo conſecrare: volo abſolvere &c. – Intentio autem virtualis* eſt, quæ virtute intentionis præhabitæ, modò apparet in effectu, & perſeverat, & influit in hanc actionem baptizandi, conſecrandi, abſolvendi, &c. V. G. ſi manè tu Sacerdos habuiſti intentionem celebrandi Miſſam, poſtea pergis in Sacrarium, induis te veſtibus ſacris: quando autem actu conſecras non attendis ad verba conſecratoria ob mentis diſtractionem. Quare conſecras? Quia jam habuiſti intentionem celebrandi Miſſam, & conficiendi Sacramentum, & Sacrificium, ergo quod modò agis procedit à virtute

Intentionis jam habitæ, & ſic habes adhuc virtualem Intentionem. — *Intentio* tandem *habitualis* eſt illa, quam aliquando habuiſti, & numquam repetiſti, nec unquam revocaſti, quæ nec actu, nec virtute, nec alia morali efficacia modò influit in actionem Sacramentalem, V. G. Die Solemni tuæ Ordinationis habuiſti intentionem quotidie celebrandi Miſſam juxta Ritum S. Romanæ Eccleſiæ, ſi hanc numquam renovares, replicares, repeteres, ſed neque retractares, dicereris quotidie etiam per annum habere intentionem habitualem.

99 Non igitur accipienda eſt hic *Intentio habitualis* pro habitu acquiſito ex frequentatis intentionibus celebrandi; quia ſi ſic velimus eam recipere, poſſumus ſic definire: *Eſt facilitas, & promptitudo animi habendi actualem intentionem celebrandi*, & hæc includit repetitionem omnium intentionum tam actualium, quàm virtualium; & tunc eſſet melior, quàm aliæ. Quoniam verò à Theologis *Intentio habitualis* communiter accipitur pro minima, & infima Intentione, ideò accipienda eſt in ſenſu jam explicato poſt virtualem.

Quæro LXIII. *Qualis ergo ex dictis tribus intentionibus requiritur ad validè conficiendum Sacramentum?*

100 ℞. *I.* Rituale Romanum §. de iis, quæ in Sacramentorum adminiſtratione generaliter ſervanda ſunt, docet nos ſic: *In ipſa adminiſtratione Sacramentorum Sacerdos actualem attentionem habere ſtudeat, vel ſaltem virtualem cum intentione faciendi, quod in eo facit Eccleſia.* Ergo virtualis attentio, vel intentio erit ſufficiens. Tum quia, Deus-Benedictus non obligat nos ad moraliter impoſſibile; atqui eſt nobis moraliter impoſſibile, habere ſemper attentionem, vel intentionem actualem. Tum quia ſi Intentio actualis eſſet neceſſaria ad valorem, panderetur via latiſſima infinitis ſcrupulis, dubiis, anxietatibus, & timoribus de validitate Sacramentorum; nam, ut inquit D. Thomas, *tertia parte, quæſt. 61. artic. 8. Dum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare.* Et D. Auguſtinus ait: *Impoſſibile eſt, quin viſis tangamur*: ideſt, non eſt in poteſtate noſtra, quòd non diſtrahamur à rebus viſis. Tum quia Intentio virtualis ſufficit ad operandum humano modo, & ad merendum; ergo etiam ſufficiet ad valorem Sacramentorum. Ad quid tot probationes in re notiſſima?

℞. *II.* Ad Valorem Sacramenti non eſt 101
ſufficiens Intentio habitualis. Ratio eſt, quia Sacramentum debet conferri, vel confici ex Intentione faciendi quod facit Eccleſia; ergo Intentio debet proximè, vel remotè eſſe cauſa Sacramenti. Porrò præterita voluntas, in nullo ſuo effectu permanens, nequit ullatenùs influere in Sacramentum; adeòque Sacramentum non confertur, vel non conficitur ex vi illius Intentionis, quæ habitualis dicitur. — Tum quia Intentio habitualis reperitur etiam in homine dormiente, vel ebrio, qui non poteſt ex ea quidquam humano modo operari; ergo neque ſufficit homini vigilanti, ut dicatur agere, & velle aliquid humano modo operari.

Dices. Ad applicandum fructum Sacrificii Miſſæ ex communi ſententia DD. ſufficit Intentio habitualis; ergo etiam ſufficiet ad valorem Sacramenti.

℞. Concedo antecedens; & nego con- 102
ſequentiam, & paritatem. Ratio diſparitatis eſt: quia Intentio efficiendi Sacrificium, aut Sacramentum eſt intentio factiva operationum realium, quæ fiunt in Sacrificio, aut Sacramento: V. G. *Intendo proferre verba conſecrationis*: vel in aliis Sacramentis, *intendo baptizare, abſolvere, &c.* quæ actiones reales non poſſunt fieri niſi ex intentione reali phyſicè exiſtente aut in ſe, aut in aliquo effectu ex illa intentione derivato. Intentio verò applicandi Miſſam pro tali, vel tali Perſona non eſt factiva alicujus actionis realis, quæ debeat ex ipſa intentione procedere; ſed tantùm eſt applicativa valoris Miſſæ; ad hoc autem ſufficit, quòd voluntas præceſſerit, & non ſit revocata. Nam applicatio fructus ſpecialis Miſſæ eſt quædam quaſi donatio, & diſpenſatio emolumenti ſpiritualis; atque ideò ſequitur naturam Donationis, & diſpenſationis, ad quarum valorem in humanis actibus, & contractibus ſufficit voluntas donantis, & diſpenſantis non retractata. Cùm igitur alia ſit ratio Sacrificii, vel Sacramenti, & alia ſit ratio applicationis valoris ipſius Sacrificii; hinc fit, ut ad applicationem ſufficiat minor Intentio, quæ eſt habitualis, & non ſufficiat ad valorem Sacrificii, vel Sacramenti. Valor enim Miſſæ, aut Sacramenti eſt quid majus, quàm ſit applicatio, vel donatio ipſiuſmet valoris.

Quæ

Digitized by Google

Quæro LXIV. *Sacerdos, vel Miniſter ſive conſecratus, ſive non conſecratus, volens conferre, aut conficere Sacramentum aliquod, debetne neceſſariò habere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia?*

103 ℟. Saltem virtualiter neceſſaria eſt iſta Intentio: *Intendo facere quod facit Eccleſia Dei* in tali actione. Patet ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 7. can. 11. *Si quis dixerit; in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia: anathema ſit.*

Tum quia: Actus, ad quem obligatur Miniſter Sacramenti, eſt actus virtutis Religionis Catholicæ Eccleſiæ: ergo debet dirigi in ſuum finem; iſte finis eſt, faciendi quod Eccleſia Catholica facit: ergo.

Sed quid intendit facere Sancta Eccleſia?

104 ℟. Intendit facere quod Chriſtus Dominus inſtituit talibus ſignis, verbis, & rebus; hoc eſt, facere verum Sacramentum.

Quæro LXV. *Si quis intenderet facere ſolam actionem illam externam, quam facit Eccleſia, conficeretne Sacramentum verum?*

105 ℟. Minimè. Quia Eccleſia ultra ritum illum externum, & materialem intendit facere ſignum efficax, & formale, ſeu intendit formalitatem Sacramenti; ergo ſola actio externa V. G. abluendi corpus infantis, & proferendi illa verba: *Ego te baptizo in Nomine Patris, &c.* quantùmvis ſeriò, & liberè facta à Miniſtro Baptizante, non ſufficit ad valorem Sacramenti. Ergo Miniſter volens validè baptizare, &c. debet habere intentionem faciendi id, quod facit Eccleſia ſecundùm ritum internum, & externum. Ritus igitur externus ſine interno nihil prodeſt ad validitatem Sacramenti.

Quare meritò damnata eſt ab Alexandro Papa Octavo hanc propoſitionem, quæ eſt la 28. *Valet Baptiſmus collatus à miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat; intùs verò in corde ſuo apud ſe reſolvit*: Non intendo facere, quod facit Eccleſia.

Quæro LXVI. *Perverſa Intentio Miniſtri in conferendis, aut conficiendis Sacramentis suppleturne à Deo quoad effectum Gratiæ Sanctificantis?*

106 Pro fundamento Reſolutionis hujus graviſſimi Quæſiti ſupponendum *primò*: Concilium Florentinum in litteris Unionis definiſſe ſic: *Hæc omnia Sacramenta* (novæ Legis) *tribus perficiuntur; videlicet, Rebus ut materia, Verbis tamquam forma, & Perſona Miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia. Quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.*

Supponendum 2. Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. canone 11. ſic definire: *Si quis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri Intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia; anathema ſit.*

Supponendum 3. Damnatam fuiſſe propoſitionem ſuperiùs poſitam: *Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, &c.* ut ſuprà, in fine *num.* 106.

Supp. 4. doctrinam Theologorum magni nominis poſitam à P. noſtro Boſco cum aliis, *in p. 1. diſp. 1. ſect. 3. num. 14.* eſſe, quòd Intentio miniſtri, licèt non intret ad componendum intrinſecè Sacramentum, nec ſit pars eſſentialis, eſt tamen terminus extrinſecus eſſentialiter requiſitus ad valorem Sacramenti.

Supp. 5. Cum citato P. Boſco, *ſect. 7. num. 69.* Propter raros, & rariſſimos caſus, non debere Deum mutare ordinarium curſum ſuæ Providentiæ; aut ita inſtituere Sacramenta, ut numquam à Miniſtro poſſint irritè conferri ſuſcipienti. *His poſitis.*

℟. De potentia Dei ordinaria, ipſe 107
Deus non ſupplet perverſam Intentionem Miniſtri in adminiſtratione Sacramentorum dando, ſcilicet, effectum Gratiæ ſanctificantis Sacramento invalidè facto: & oppoſitum aſſerere non poſſumus ſine gravi ratione, vel auctoritate; at nulla lege, nulla promiſſione Divina, nulla ratione convincenti poteſt probari oppoſitum, nempe quòd Deus ſuppleat hunc defectum eſſentialem Sacramentorum, id eſt, *prava Intentionis miniſtri*; ergo non eſt ita facilè credendum, quòd detur gratis, ac miraculosè Gratia Sacramentalis in Sacramento nullius valoris. Tum quia, Intentio Miniſtri faciendi ſaltem quod facit Eccleſia neceſſariò requiritur: & hoc eſt certum de Fide, ut patet ex Conciliis citatis; ergo non eſt facilè credendum miraculum iſtud Divinæ ſuppletionis; Si enim ſemel hoc concedatur miraculum, in defectu eſſentiali Intentionis Miniſtri, deberet conſequenter etiam concedi in aliis defectibus ex parte materiæ, & for-

Digitized by Google

formæ; ſed in his non conceditur; ergo neque in illo.

Tum quia nullus modus ex univerſa Sacra Scriptura, ac Theologia colligitur à Deo ordinatus ad ſalvandas, vel juſtificandas Animas noſtras præter vel Sacramentum, vel Contritionem, vel actum Amoris Dei; ſed ſi Deus ſuppleret invaliditatem Sacramentorum, daretur novus modus juſtificandi, & ſalvandi; iſte autem modus non eſt faciliter admittendus, quia eſt ſuſpectus ob novitatem.

108 *His non obſtantibus*; non deſunt Doctores putantes, Deum miſericordia ſua ſupplere defectum eſſentialem Sacramenti neceſſarii ad ſalutem, non quidem faciendo, *ut Sacramentum ſit validum*; ſed conferendo (ex mera bonitate, & miſericordia ſua) Gratiam ſanctificantem, non autem Characterem. Ita tenent Alphonſus Salmeron; Sylveſter, Angelus, Alenſis, Durandus, Gabriel, Valentia, & alii apud Boſcum, *part. 1. d. 1. ſect. 7. à n. 49. & 50.* & etiam alii apud Dianam coord. *Tom. 1. tract. 1. reſol. 3.* quamvis & ipſe Diana, & Boſco noſter non conſentiant his DD. citatis.

109 *Dices*. Deus non eſt alligatus Sacramentis ad conferendam ſuam S. Gratiam: Et Chriſtus eſt Dominus meritorum ſuorum: Et potuit inſtituere Sacramenta independenter ab intentione Miniſtri pravi, & perverſi: Et magis congruum eſt ſuæ infinitæ miſericordiæ, bonitati, & clementiæ, ſic ordinaſſe, ne ex ſola malitia Miniſtri ſuſcipientes patiantur detrimentum adeò irreparabile, ut, niſi ſuppleatur defectus iſte, multi innocentes perituri ſint. Item ad evitandas continuas anxietates, & ſcrupulos omnium Fidelium circa valorem Baptiſmi, Ordinationis, & aliorum Sacramentorum jam ſuſceptorum.

110 ℞. Cum P. noſtro Boſco citato, *ſect. 7. à num. 63.* Etiam contingere poſſe ex malitia Miniſtri, ut, defectu materiæ, vel formæ, Sacramentum ſit invalidum. Quis autem propterea dicit, Deum Benedictum ſupplere defectum materiæ, & formæ? Et tamen potuiſſet Deus ita inſtituere Sacramentum, ut valeret in quacumque materia, vel forma collatum, dummodò circumſtantes, vel ſuſcipientes bona fide crederent eſſe legitimam. Et tamen hoc non fecit. *Quare?* Non ſunt quærendæ rationes à priori de Divina Ordinatione; quia *Summa Ratio* (Deus) *nequit agere ſine optima ratione, licèt nobis ignota*. Melius eſt pro nobis hoc non feciſſe: melius eſt, quod ipſe fecit.

Nullus quippe Miniſter ignorat neceſſitatem Intentionis, in qua elicienda nulla prorſus eſt difficultas; adeò ut non habere eam prorſus eſſet extremæ malitiæ, vel amentiæ, qualis non debet ulli Miniſtro Eccleſiæ adſcribi, vel affigi.

111 *Manet ergo apud nos Catholicos moralis certitudo de valore Sacramentorum*; qualem habemus de multis aliis actibus humanis, de quibus magis rationabiliter poſſemus dubitare: V. G. *quòd ſimus filii talis Patris legitimi: quòd talis contractus ſit validus ex mutuo conſenſu contrahentium*, & ſimilium multorum.

112 Præterea habemus firmiorem certitudinem de valore Sacramentorum ex parte Intentionis Miniſtri, quàm in prædictis humanis actibus; quia ſcimus ex fide, *Deum aſſiſtere Miniſtris ſuis, & Eccleſiæ*, ſpecialemque habere Providentiam in Adminiſtratione Sacramentorum à ſe inſtitutorum in ſalutem hominis viatoris; ergo non permittet, (regulariter loquendo) malum Miniſtrum malitiosè, fictèque conficere Sacramenta. Et experientia tot ſæculorum inſtruimur, rariſſimos fuiſſe caſus talis deceptionis, & fictionis; & quando evenerunt iſti caſus, Divina Providentia diſpoſuit, & ordinavit opportunum remedium in ſalutem deceptorum fidelium; ergo modò, & ſemper Deus pariter providebit.

113 Et ſanè (cùm hæc ita ſint,) nemo noſtrum anxius eſſe, nec ſcrupulizare, aut dubitare debet de validitate Sacramentorum ex defectu intentionis debitæ ex parte Miniſtrorum; nam licèt aliqui miniſtri ſint pravis moribus imbuti, malitia tamen ipſorum non ſolet ſe extendere ad hanc extraordinariam perverſitatem, ut non habeant, aut nolint habere *intentionem faciendi quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit*.

Quæro LXVII. *Eſtne neceſſarium ad valorem Sacramenti intendere expreſsè, vel habere animum conferendi effectum Sacramenti?*

114 ℞. Quòd non. Ratio eſt: quia cum voluntate etiam expreſſa non conferendi effectum Sacramenti ſtat Intentio faciendi quod facit Eccleſia. Tum quia Intentio finis, ultimati, ſive effectus Sacramenti nullo modo requiritur in Miniſtro: quia effectus non ſpectat ad eſſentiam Sacramenti,

Digitized by Google

nec dependet à Miniſtro, ſed à Deo; ergo Miniſter poteſt velle conficere verum Sacramentum nihil cogitando, vel etiam ignorando ejus effectum: per conſequens non intendendo effectum illius Sacramenti; ergo ad valorem non eſt neceſſaria intentio conferendi effectum Sacramenti. Ex Scoto *in* 4. *ſent. diſt.* 6. *quaſt.* 5.

115 *Unde infertur*. Hæreticus, qui ex errore putat Sacramentum non conferre gratiam, poteſt validè baptizare cum ſola intentione faciendi quod facit Eccleſia, adeòque verum Sacramentum.

Quid, ſi Hæreticus intenderet facere quod facit ſua Eccleſia, ſeu Congregatio Luterana, Anglicana, &c. non autem quod facit Eccleſia Romana?

116 ℞. Si talis intendat vel in particulari facere hunc Chriſtianum baptizando iſtum, vel in generali intendat facere circa iſtum, quod Chriſtiani ſolent facere circa ſuos, vel tandem intendat facere determinatè *quod Chriſtus inſtituit*, dico, quod validè baptizat. Ratio: quia habet veram Intentionem finis proximi, qui eſt conficiendi Sacramentum. Ex Scoto, *loc. cit.*

Quæro LXVIII. *Intentio Miniſtri deberne determinari ad certam materiam, aut Perſonam?*

117 *R. I.* Ex ipſiſmet verbis, ſeu formis Sacramentorum patet, quòd ſic. Miniſter enim dicit: *Ego te baptizo. Signo te. Abſolvo te. Hoc eſt corpus meum*: Ergo determinat ſemper vel Perſonam præſentem, vel materiam.

118 ℞. *II.* Non eſt autem neceſſarium, nec conveniens taliter determinare materiam, aut perſonam, ut excludatur quævis alia diverſa ab ea, quam oculis vides, vel imaginatis eſſe. Et hoc ad evitandum periculum erroris materialis, & nullitatis Sacramenti. Sed debet fieri hæc intentio: *Volo baptizare hanc Creaturam rationalem. Volo abſolvere hanc perſonam confitentem. Volo conſecrare omnem materiam mihi præſentem, & conſecrabilem*. Et ſic de ſimilibus.

119 ℞. *III.* Si quis ſcrupuloſus, vel ſophiſticus ita reſtringeret ſuam Intentionem: *Volo baptizare hunc infantem filium Titii, & non alium. Volo abſolvere te Cajum, & non alium*: & ſic de ſimilibus; tunc ſi contingat error etiam materialis, invalidum foret Sacramentum ob expreſſam reſtrictionem Intentionis, nam actus non extenduntur ultrà Intentionem Agentis liberi. Et peccaret mortaliter ratione periculi fruſtrationis Sacramenti.

Quæro LXIX. *Qualis error circa Perſonam obeſt valori Sacramenti?*

℞. *I.* Quando Miniſter eſt taliter diſpoſitus in animo ſuo, ut generaliter velit, nedum illi Perſonæ, de qua hìc, & nunc cogitat, ſed cuilibet ſibi objectæ, aut oblatæ capaci miniſtrare Sacramentum; tunc nullus error Perſonæ obeſſe poteſt valori. Ratio eſt clara; quia illa Intentio actualis non excludit, imò includit virtualem Intentionem generaliter conferendi Sacramentum cuilibet Perſonæ ſibi oblatæ, & capaci; ergo ſi per errorem offeratur mihi Miniſtro puella pro puero, Sempronius pro Titio, maſculus pro fœmina: ſive iſte error procedat à meo judicio, ſive à deceptione alterius: ſemper erit validum Sacramentum tali Perſonæ à me collatum. 120

℞. *II.* Hæc doctrina tamen non valet pro Sacramento Matrimonii; quia, ut videbimus, error Perſonæ vitiat contractum, & conſequenter annullat Sacramentum. At in cæteris valet. 121

℞. *III.* Quando autem Miniſter habet ſpecialem, & ſingularem Intentionem conferendi Sacramentum alicui determinatæ Perſonæ, cum excluſione expreſſa cæterarum; tunc (ut dixi) ſi accidat error circa Perſonam, invalidum erit Sacramentum; quia non poteſt eſſe intentio niſi terminetur ad Perſonam vel diſtinctè *hanc* cum excluſione alterius: vel diſtinctè *hanc* ſine excluſione alterius. Sed in caſu noſtro Miniſter habet Intentionem adeò ſingularem; ut excludat omnem generalem; ergo ſi contingat error circa hanc ſingularem, non conficitur Sacramentum ex defectu Intentionis. 122

Quæro LXX. *In ſuſcipiente Sacramenta requiriturne aliqua intentio recipiendi illud, vel iſtud Sacramentum?*

℞. *I.* Infantes, & perpetuò amentes; maximè ſi fuerint ex Parentibus Chriſtianis nati, debent baptizari; & in iſtis non requiritur Intentio propria, cùm ſint incapaces; ſed baptizantur in ſola Fide, ac Intentione Parentum, vel Patrinorum, vel S. Matris Eccleſiæ. Ut habetur *ex Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *can.* 13. *&* 14. — *& ſeſſ.* 5. *De pecc. origin.* §. *Si quis, parvulos.* — *Et ex capit. Majores de Baptiſmo.* §. *Verùm quidem*: Ubi dicitur: *Originale igitur, quod ſine conſenſu* (proprio perſonali) *contrahitur, ſine conſenſu etiam per vim Sacramenti remittitur*: 123

Digitized by Google

tur: actuale verò (peccatum) *quod conſenſu contrahitur, ſine conſenſu minimè relaxatur.*

124 ℞. *II.* In adultis uſu rationis gaudentibus ad validè ſuſcipienda Sacramenta neceſſariò requiritur aliqua Intentio recipiendi Sacramentum: vel actualis, vel virtualis, vel ſaltem habitualis; nempe, ut ſint poſitivè actu, aut virtute, aut habitu volentes recipere tale Sacramentum. Ita communiter DD. Ratio eſt: quia ſic Chriſtus inſtituit Sacramenta, ut conferant Gratiam volentibus, & conſentientibus. Deus enim non juſtificat invitum; ergo unuſquiſque proprio motu, conſenſu, ac Intentione debet ſe diſponere pro qualitate Sacramenti ad effectum recipiendum; patet etiam hoc *ex cap. Majores de Baptiſm.*

125 ℞. *III.* Adultus, qui nunquam conſentit, ſed penitùs contradicit, invalidè ſuſcipit Sacramentum. Ita expreſsè determinavit Innocentius Tertius, cap. Majores de Baptiſm. ibi: *Ille verò, qui nunquam conſentit, ſed pœnitùs contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti.*

126 ℞. *IV.* Idem decernit ibidem Pontifex de illo, qui in ſomno, vel in amentia ſuſcipit Sacramentum Baptiſmi, non retractata priori voluntate de Baptiſmo nunquam ſuſcipiendo: ibi: *Dormientes autem, & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent: quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare, ſi fuerint ſic baptizati, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti.* Hæc Papa.

127 ℞. *V.* Ut adultus validè ſuſcipiat Sacramentum, non ſufficit, quòd non repugnet, ſeu quòd habeat ſe negativè; ſed debet conſentire ſaltem implicitè, & habitualiter, non in actionem ſolam externam, ſed in ipſum Sacramentum. Ratio deducitur ex ſupradictis.

Confirmatur. Nam Concil. Carthaginenſe 3. cap. 34. dicit: *Ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerint, baptizentur, ſimiliter & de pœnitentibus agendum eſt.*

Concil. Arauſicanum 1. cap. 11. aliàs 12. dicit: *Subitò obmuteſcens, prout ſtatutum eſt, baptizari, aut Pœnitentiam accipere poteſt; ſi voluntatis præterita teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis voluntatis in ſuo nutu.* Ergo à contrario ſenſu non erunt baptizandi, aut *abſolvendi abſolutè*, ſi voluntatis præteritæ, aut præſentis non habeant Teſtimonium; idque ſive in infirmitate, ſive extra. Lege Rituale Romanum, *tit. de Baptiſme adultorum*: *& tit. de Sacram. Extremæ Unctionis.* De abſolutione conditionata, *vide T. 72. num.* 28.

℞. *VI.* Ut adultus licitè ſuſcipiat Sacramentum, requiritur diſpoſitio ad effectum Gratiæ obtinendum; aliàs peccaret peccato Sacrilegii mortalis. Patet ex dictis, & patebit ſuis in locis. 128

Quæro LXXI. *Ad miniſtranda, vel etiam ſuſcipienda validè, & licitè Sacramenta, requiriturne attentio ad id, quod agitur?*

℞. Cùm adminiſtratio, ſeu confectio Sacramenti ſit virtuoſus, ac pius actus humanus; & ad omnem actum humanum requiratur Attentio (quæ eſt actus Intellectus advertentis ad id, quod dicit, & facit) vel actualis, vel ſaltem virtualis; ſequitur neceſſariò requiri hanc Attentionem ad ipſum Sacramentum conficiendum. Tum quia ad vitandum periculum errandi in verbis eſſentialibus, & applicatione materiæ tempore, & modo debitis, neceſſaria eſt Attentio. Præterea ſi ad orandum, vel recitandum Officium Divinum requiritur ſub mortali aliqua Attentio, aliàs non eſſet Oratio: (ut probat Laymannus, *lib. 4. tract. 1. cap. 5. num.* 10. cum multis DD.) ergo à fortiori ad miniſtrandum, & conficiendum Sacramentum, cùm hoc ſit opus magis excelſum, & neceſſarium in ſalutem Animarum, ad ſanctificandum hominem. Lege Rituale Romanum, *tit. 1. de Sacram. generaliter.* 129

De ſuſcipiente autem, dico, quòd vel non eſt neceſſaria attentio ad valorem, vel ſufficit habitualis: vel quòd voluntariè non diſtrahatur. Quòd ſi voluntariè diſtrahitur, peccabit venialiter ob aliquam irreverentiam functionibus tam ſacris.

De Effectibus Sacramentorum.

Quæro LXXII. *Quotuplex eſt effectus Sacramentorum?*

℞. Duplex: generalis nempe, & particularis. *Effectus generalis* eſt, qui producitur ab omnibus Sacramentis validè, & licitè acceptis, & eſt Gratia ſanctificans prima, vel ſecunda; omnia enim Sacramenta novæ legis inſtituta ſunt ad Gratiam cauſandam in recipientibus aptis, vel augendam: cauſandam in non habente, augendam in habente. Effectus autem 130

tem particularis eſt gratia quædam ſpecialis, ſeu auxilium unicuique Sacramento proprium: & in aliquibus etiam Character Sacramentalis.

Quæro LXXIII. *Quid eſt Gratia Dei?*

131 ℞. Eſt donum Dei gratuitum homini viatori collatum intuitu meritorum Chriſti in auxilium ſalutis humanæ. Et eſt duplex: alia dicitur Gratia gratum faciens: alia gratis data. *Gratia gratum faciens* dicitur Gratia Juſtificans, Sanctificans, quæ datur principaliter ad ſalutem æternam recipientis, qua homo evadit Juſtus, Sanctus, Charus, Amicus Dei, ac Filius ejus adoptivus, & hæres Regni cœleſtis. Eſtque maximum, & excellentiſſimum inter dona creata, & creabilia: cujus unus gradus pluris valet, quàm univerſus mundus; quia eſt quædam participatio Divinæ Naturæ, & Amicitiæ Dei: eſtque velut flos vitæ Æternæ, juxta illud Apoſtoli: *Gratia Dei Vita æterna*, ad Roman. cap. 6.

Gratia autem gratis data eſt donum Dei gratuitum datum homini ad aliorum ſalutem principaliter ordinatum: ut V. G. Donum Prophetiæ, Miraculorum, Diſcretio ſpirituum, Donum linguarum, & alia, quæ enumerantur ab Apoſtolo in epiſt. 1. ad Corint. cap. 12.

Quæro LXXIV. *Quotuplex eſt Gratia juſtificans?*

132 *R. I.* Dividitur in habitualem, & actualem. *Gratia habitualis* eſt qualitas ſupernaturalis, & ſpiritualis à Deo immediatè creata, & infuſa Animæ, qua homo redditur acceptus Deo, aptus ad merendum, & ad obtinendam Gloriam ſempiternam; & iſta gratia dicitur etiam *ſanctificans*.

133 ℞. *II.* Gratia habitualis ſubdividitur in primam, & ſecundam. *Gratia prima* eſt, qua homo peccator primò juſtificatur, & ex inimico amicus Dei fit: & hæc regulariter datur in Baptiſmo, & Pœnitentia. — *Gratia* autem *ſecunda* eſt augmentum primæ: & ſolet dari in reliquis Sacramentis, ac operibus meritoriis.

134 ℞. *III. Gratia* verò *actualis* eſt influxus Dei ſupernaturalis, ſpecialis, & gratuitus ad benè, ac meritoriè hìc, & nunc operandum.

Et hæc ſubdividitur in Excitantem, Adjuvantem, & Perficientem. Vide plura apud Theologos.

Quæro LXXV. *Quænam ex dictis Gratiis datur in Sacramentis?*

135 ℞. Dignè ſuſcipienti Sacramenta confertur Gratia ſanctificans, juſtificans, Prima, vel Secunda: eſt certum de fide ex Conc. Trident. ſeſſ. 7. can. 6. ſic definiente: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere Gratiam, quam ſignificant: aut Gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, Anathema ſit.*

Ratio autem eſt: Sacramenta novæ legis, ut vidimus, ſunt ſigna practica, & efficacia Gratiam Dei ſignificantia in ſalutem æternam hominis viatoris: ergo ex pacto, vel promiſſione Dei infallibiliter debent cauſare Gratiam ſanctificantem, juſtificantem, quam ſignant, eamque conferre dignè ſuſcipienti.

Quæro LXXVI. *Ultra hanc gratiam ſanctificantem, cauſantne aliam gratiam?*

136 ℞. Cauſant gratiam ſpecialem, quæ vocatur propriè *Sacramentalis*, ordinata ad actus, & effectus, ad quos unumquodque Sacramentum inſtitutum, & ordinatum eſt.

Explica mihi has Gratias Sacramentales, & ſpeciales.

137 I. *Baptiſmus* confert gratiam ſpecialem per modum Regenerationis ſpiritualis, & inclinantis Animam ad cultum Veri Dei; quia unà cum Gratia Prima, ſeu habituali (qua remittitur peccatum originale, & omne actuale, ſi adeſt, totaque pœna temporalis peccatis actualibus jam remiſſis debita) confert vires ſpirituales, & jus ad auxilia Divina, quibus ritè baptizatus poſſit debitè colere Deum, ejuſque legem obſervare, & participare alia Sacramenta.

138 II. *Confirmatio* cauſat Gratiam ſpecialem roborativam hominis in Fide Jeſu Chriſti Domini noſtri: quia ſimul cum Gratia ſecunda ſanctificante tribuit vires, ac jus ad auxilia Divina ſuo tempore ſibi conferenda ad Fidem confitendam, & defendendam publicè.

139 III. *SS. Euchariſtia* confert Gratiam ſpecialem per modum refectionis Animæ: quia cum Gratia ſecunda ſanctificante tribuit jus ad auxilia Divina recipienda, adjuvantia ad proficiendum in Charitate, & cæteris virtutibus.

140 IV. *Pœnitentia* confert Gratiam ſpecialem ſanctificativam de novo, & roborativam: quia confitenti confertur ſpeciale robur, & jus ad auxilia Divina promerenda contra recidivam.

141 V. *Extrema-Unctio* confert Gratiam ſpecialem

cialem

Digitized by Google

cialem expiantem, ſeu delentem reliquias peccatorum, & auxilium ad tolerandas patienter moleſtias infirmitatis corporis, & terrores, ac tentationes dæmonum vincendas.

142. VI. *Ordinatio* præſtat Gratiam ſpecialem conformativam Chriſto Domino: & ad ejus auxilia Divina ſuo tempore conferenda Ordinato ad dignè, fructuosè, ac ſanctè exercendos actus talis Ordinis.

143. VII. Denique *Matrimonium* cauſat Gratiam ſpecialem conciliativam amoris ſupernaturalis, & pacis inter Conjuges, atque auxilia ad onera, & munia Conjugii rectè, ſanctèque obeunda, &c.

Quæro LXXVII. *Sacramenta cauſantne Gratiam ex opere operato?*

144. ℞. Concil. Tridentinum ſeſſ. 7. can. 8. decernit ſic: *Si quis dixerit, per ipſa nova legis Sacramenta non conferri Gratiam ex opere operato, Anathema ſit.* — Conferri autem Gratiam ex opere operato eſt conferri, cauſari, dari, & accipi talem Gratiam præcisè vi, ſeu virtute ipſiuſmet Sacramenti; quia Sacramentum eſt ſignum efficax Gratiæ, quam cauſat intuitu meritorum Chriſti inſtitutoris.

Dices. Adultus ſe diſponit ad Gratiam vel recuperandam, vel augendam in ſuſceptione Sacramenti; ergo tunc Sacramentum cauſabit Gratiam *ex opere operantis*: quia recipiens cooperatur ad talem Gratiam.

145. ℞. I. Diſpoſitio in adulto peccatore non requiritur per modum meriti, ut, intuitu ejus tamquam operis boni, Deus infundat Gratiam; Gratia quippè per Sacramentum infallibiliter confertur ſuſcipienti bene diſpoſito; quod utique non exigit meritum tantùm de congruo, ſed requiritur illa diſpoſitio ad tollendum obicem. Sacramenta enim conferunt quidem Gratiam, ſed *non ponentibus obicem*, id eſt, benè diſpoſitis ſubjectis.

146. ℞. II. Semper intuitu Sacramenti datur major Gratia, quàm mereatur illa diſpoſitio ſuſcipientis, ſive ſit Attritio, ſive Contritio, ſive in homine peccatore, ſive Juſto recipiente. Ergo ſemper aliqua notabilis Gratia datur ex opere operato. Ergo illa diſpoſitio eſt ſolùm conditio, non autem cauſa propriè dicta. Et licèt ea diſpoſitio, ſecundùm ſe, ſit meritoria de congruo, adhuc tamen non eſt cauſa propriè dicta, ſed conditio, ſine qua Chriſtus Dominus noluit nobis merita ſua per Sacramenta applicare, &c.

147 ℞. III. Breviùs, & ad formam. Adultus ſe diſponit ad Gratiam vel recuperandam, vel augendam in ſuſceptione Sacramenti: *Concedo antecedens*. Ergo tunc Sacramentum cauſat Gratiam ex opere operantis: *Nego conſequentiam*. Quia quamvis ipſa diſpoſitio, & receptio Sacramenti ſit opus bonum, & meritorium, non eſt tamen cauſativum Gratiæ Sacramentalis, ſed ſolùm proximè diſpoſitivum. Tum quia ſemper major Gratia datur per illud Sacramentum *ex opere operato*, quàm actus iſte bonus (quem elicit ſuſcipiens) mereatur extra Sacramentum.

Vel dic, & reſponde: quòd tunc Sacramentum cauſat Gratiam & *ex opere operato*, & *ex opere operantis*; quia unus effectus non impedit alium; diſpoſitio enim ad formam, non impedit effectum Agentis formam ipſam introducentis. Tu diſponens te ad Gratiam Sacramentalem non impedis effectum cauſatum à Sacramento, imò majorem effectum Gratiæ recipis; ut videbimus infrà, à n. 165. & ſeqq.

Quæro LXXVIII. *Sacramenta cauſantne Gratiam phyſicè, an moraliter?*

148 *Nota*, mi Lector tyro, quòd in rebus, quæ non ſunt de Fide certæ, datur locus opinandi. Numquam autem videbis, vel audies Doctores Catholicos Scholaſticos inter ſe eſſe diſcordes, & contrarios in Articulis Fidei, in Doctrina Catholica, & in cæteris punctis jam definitis à Summis Pontificibus Romanis, vel à Conciliis Generalibus.

Unde Hæretici inimici noſtri (ſine cauſa, & occaſione rationabili) reprehendunt Scholaſticos noſtros DD. & T. T. quaſi inter ſe litigent de Concluſione pertinente ad Fidem; quod eſt falſum. Non enim noſtri DD. diſputant, & inter ſe litigant: An hæc Concluſio ſit vera: *Sacramenta novæ legis cauſant, efficiunt, conferunt Gratiam*; ſed diſputant, & litigant *de modo*, quo Sacramenta producant Gratiam; quæ diſputatio, vel contentio ſcholaſtica eſt utilis, & acuta: at nullo modo pertinet ad Fidem; neque neceſſe eſt, hunc modum ſcire; ſed ſufficit, ut unuſquiſque Catholicus ſciat, quòd *Sacramenta efficiunt Gratiam, quam ſignificant ex vi Sacramenti, & virtute meritorum Chriſti*.

149 Hoc enim eſt commune multis Myſteriis Fidei, de quibus habemus in Scripturis ſacris,

Digitized by Google

ſacris , quòd ſunt , & tamen ignoramus modum , quo ſunt . Ita in propoſito de Sacramentis : omnes Catholici Scholaſtici ſciunt , & credunt , Sacramenta novæ legis efficere , & conferre , vel cauſare Gratiam ; ſed de modo (quem neſciunt) diſputant ; & in hoc puncto licitum eſt contendere , & quærere , inveſtigare , & ſcrutari , ac opinari de modo cauſalitatis ; *An ſcilicet Sacramenta cauſent Gratiam modo quodam phyſico: an modo quodam morali?*

350 *Nota etiam* : quòd hic non eſt ſermo : an Sacramenta ſint cauſæ principales, an inſtrumentales Gratiæ , quam cauſant ? Omnes enim DD. ſciunt , DEUM eſſe cauſam principalem , Sacramenta verò cauſam inſtrumentalem ipſius gratiæ : *His notatis.*

351 ℞. I. D. Thomas *in 3. parte ſumma , quæſt. 62. art. 1 & ſeq.* ac multi Thomiſtæ , ut Cajetanus , Soto , Capreolus , & alii tenentes , & ſequentes Doctrinam D. Thomæ , (ut P. Franciſcus Suarez , & alii) docent , & tenent probabiliter *Sacramenta cauſare gratiam phyſicè*. Multæ , & variæ adducuntur rationes ad probandam hanc Concluſionem . *Prima* . Homo per Sacramentum incorporatur Chriſto ; nam de Baptiſmo dicit Apoſtolus ad Galatas , cap. 3. *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis , Chriſtum induiſtis* . Sed homo non induit Chriſtum , neque fit ejus membrum , niſi modo quodam phyſico per Gratiam cauſatam ; ergo Sacramentum cauſat phyſicè gratiam .

Secunda . Ex authoritate D. Auguſtini ſuper Joannem : ubi loquens de Baptiſmo ait : *Quæ eſt tanta virtus aquæ , ut corpus tangat , & cor abluat ?* Sed cor non abluitur niſi phyſicè per Gratiam ; ergo &c.

Tertia . Sacramenta novæ legis non ſunt ſolùm ſigna nuda , & pura Gratiæ , ſed efficacia , quia illam efficiunt ; at omnis alia cauſalitas , præter inſtrumentalem phyſicam , non habet rationem ſigni efficacis ; ergo Sacramenta habent cauſalitatem phyſicam inſtrumentalem .

Quarta . Debemus magis dignificare Sacramenta , quàm commodè poſſumus : & illis tribuere majorem efficaciam , quæ ſit poſſibilis ; ſed major , & poſſibilis eſt cauſalitas phyſica , quàm moralis tantùm ; ergo &c. *Omitto alias brevitatis cauſa* .

352 ℞. II. Scotus Doctor ſubtilis *in 4. ſent. diſt. 1. qu. 5.* cum omnibus Scotiſtis , & Doctrinam Scoti ſequentibus docent , & tenent probabiliter , *Sacramenta non phyſicè , ſed moraliter producere , vel cauſare Gratiam* . Et multæ rationes ; & exempla adducuntur ad probandam hanc Concluſionem ; paucis , & melioribus ſum contentus .

Prima . Sacramenta , quatenùs Sacramenta , ſunt aliquid morale ; ergo ſunt etiam cauſæ inſtrumentales morales tantùm . Patet conſequentia : quia modus operandi ſequitur modum eſſendi . *Probo antecedens* . Sacramenta , ut Sacramenta , dicunt ſignificationem : ſunt enim ſigna ex Divina Inſtitutione , & ad placitum Dei Inſtitutoris ; ſed ſignificatio eſt quid morale tantùm : dum totam ſuam vim ſignificandi habeat , non ex natura rei , ſed ex D. Inſtitutione , ac voluntate ; ergo Sacramentum , ut Sacramentum , eſt quid morale , & non phyſicum ; ergo moraliter , & non phyſicè debet cauſare gratiam .

Secunda . Quidquid dicunt Concilia , & Patres de Sacramentorum cauſalitate reſpectu gratiæ , optimè ſalvatur per cauſalitatem tantùm moralem ; & hæc cauſalitas eſt facilior explicatu , & longè minores patitur difficultates , quàm cauſalitas phyſica ; ergo fruſtrà , & ſine neceſſitate recurritur ad cauſalitatem phyſicam .

Tertia . Concilium Moguntinum ſub Paulo Tertio celebratum cap. 11. de Sacramentis in genere novæ legis , & eorum efficacitate in gratia conferenda , ait : *Gratiam verò Sacramentalem non ex ipſa externarum rerum virtute , nec ex merito Miniſtri ; ſed ex interna , & Divina operationis virtute , æſtimandam eſſe* . Quibus verbis exprimit Concilium Gratiam nobis per Sacramenta collatam , non externo ſymbolo , vel ſigno Sacramentali tribuendam eſſe , ſed internæ virtuti , & operationi Divinæ. Et Concil. Tridentin. *ſeſſ. 6 cap. 7.* Ubi aſſignans cauſas noſtræ Juſtificationis in Baptiſmo , ait : *Hujus Juſtificationis Cauſa ſunt : Finalis quidem , Gloria Dei , & Chriſti , ac vita æterna : Efficiens verò , miſericors Deus , qui gratuitò abluit , & ſanctificat , &c. Meritoria autem , Dilectiſſimus Unigenitus ſuus , Dominus noſter Jeſus Chriſtus , &c. Inſtrumentalis item , Sacramentum Baptiſmi* , &c. Cùm igitur Concilium efficientem Cauſam ſolum Deum eſſe declaret , nobis innoteſcere facit , Sacramentum ab omni genere phyſicæ cauſalitatis exclu-

Digitized by Google

excludendum fore; nam *agere*, *cauſare*, *efficere* priùs dicuntur de Cauſa Phyſica (tam principali, quàm inſtrumentali) & magis propriè ei conveniunt, quàm Cauſæ morali tantùm. Cùm igitur Sacramentis attribuenda ſit aliqua cauſalitas inſtrumentalis reſpectu gratiæ, Deo autem ſoli omnis Cauſalitas phyſica: aſſerendum eſt, Sacramenta eſſe cauſam inſtrumentalem moralem gratiæ Sacramentalis, & ſanctificantis, quatenùs ſunt ſigna à voluntate Chriſti Domini noſtri aſſumpta, quibus poſitis, Deus ipſe ex promiſſione, & pacto facto ſuæ Eccleſiæ, & Miniſtris ejus, movetur ad gratiam cauſandam, & conferendam dignè ſuſcipientibus.

Si vis plura, vide Maſtrium, *in 4. diſp. 1. quæſt. 4. per totam* — Fabrum Faventinum, *in 4. diſp. 2. per totam*. Joan. Boſco, *parte 1. diſp. 1. ſect. 4. concl. 2. per totam*: & alios Scotiſtas, quos non cito brevitatis cauſa: qui optimè ſolvunt omnia argumenta opinionis contrariæ. Sed quia, (*præter intentum*) lapſus ſum in hanc difficultatem, reſpondebo cum *Fabro citato* ad rationes ſuperiùs adductas pro opinione Thomiſtarum.

153 *Ad primam*. Concedimus, quòd qui ſuſcipit Sacramentum Baptiſmi, induit ſpiritualiter Chriſtum, & fit membrum myſticum ejus; ſed negamus hoc fieri modo phyſico; nam Sacramentum non efficit gratiam propriè, & phyſicè attingendo creationem ipſius gratiæ, ſed tantùm diſpoſitivè; quia Sacramentum eſt ſignum Divina Ordinatione inſtitutum, ad cujus poſitionem neceſſariò, ſeu infallibiliter creatur à Deo gratia, & infunditur ſuſcipienti diſpoſito.

154 *Ad ſecundam*; nempe ad authoritatem D. Auguſtini: Aqua baptiſmalis corpus tangit, & cor, ideſt, animam abluit: non tamen quia cauſat aliquam phyſicam diſpoſitionem ad Gratiam, & multò minùs Gratiam ipſam; ſed quia eſt diſpoſitio moralis efficaciſſima ad Gratiam inducendam ex Divina Ordinatione: eo modo, quo dicimus, meritum inducere Beatitudinem, vel ipſam cauſare; utique moraliter, &c.

155 *Ad tertiam*. Negamus minorem, nempe negamus, quòd omnis cauſalitas, quæ non ſit phyſica, non habeat rationem ſigni efficacis; nam quando quis, V. Gr. præſentato ſigillo Regis, accipit magnam quantitatem pecuniæ, ſigillum Regis non eſt ſignum nudum, & purum, ſed ſignum efficax; ergo non ſolùm eſt ſignum, ſed & cauſa moralis traditionis pecuniæ; ergo non ſolùm cauſalitas phyſica eſt vera cauſalitas, ſed etiam moralis; quia licèt non influat phyſicè: moraliter tamen influit, & cauſat. Hoc magis patet de Cauſa finali, quæ licèt phyſicè non influat in effectum, adhuc tamen illum ſimpliciter cauſare dicitur. Item Judex per ſententiam latam dicitur occidere Reum, licèt in occiſionem phyſicè non influat. Item merita dicuntur ſimpliciter cauſa augmenti Gratiæ, & Gloriæ, &c. Ergo licèt Sacramenta ſint ſigna inſtrumentalia moralia Gratiæ, ſunt tamen efficacia; & conſequenter dicuntur, & ſunt Cauſa Gratiæ in genere moralis cauſalitatis.

156 *Ad quartam*. Concedimus majorem: nempe, quòd debeamus dignificare Sacramenta, ac tribuere eis omnem poſſibilem efficaciam, & cauſalitatem. Sed negamus minorem: ideſt, *Negamus primò* quòd Cauſalitas phyſica ſit dignior, vel magnificentior, quàm Cauſalitas moralis; nam Cauſa moralis nobilior quandoque eſt Cauſa, quàm Cauſa phyſica; ut manifeſtum eſt in Rege imperante moraliter, & in ſubditis phyſicè imperium Regale exequentibus; ergo hic concurſus phyſicus (ſi quis foret) non apparet nobilior, adeòque non poteſt Divina Potentia in eo magnificari.

157 Et eſtò cauſalitas phyſica conduceret ad Dignitatem Sacramentorum; dicant adverſarii, ubi revelatum eſt, vel qua ratione oſtenditur, omnem dignitatem poſſibilem tribuendam eſſe Sacramentis? Si Chriſtus ipſe, Dominus Sacramentorum, *ut homo*, non cauſat phyſicè Gratiam, ſed tantum *meritoriè*, ideſt, moraliter: qua ratione convincenti, vel congruenti cauſalitas phyſica tribuenda erit Sacramentis, quæ non cauſant Gratiam, niſi inquantùm ſunt ſigna inſtituta ab eodem Chriſto Domino?

158 Non ergo quidquid occurrit, vel apparet tibi melius, ſed *quidquid tibi vera ratione melius occurrerit* (ut dicit S. Auguſtinus, libr. 3. de liber. arbitr. capit. 5.) *ſcias feciſſe Deum, tamquam bonorum omnium Conditorem*.

159 *Negamus ſecundò* poſſibilitatem cauſalitatis phyſicæ reſpectu Sacramentorum: & dicimus, *hanc cauſalitatem phyſicam eſſe impoſſibilem*: & probamus ſic: Nihil poteſt phy-

phyſicè, & realiter cauſare, niſi phyſicè, & realiter exiſtat; atqui in Sacramentis nihil eſt phyſicè, & realiter exiſtens, à quo gratia poſſit dici cauſari; ergo &c. *Probo minorem*: primò: quia Sacramentum principaliter cauſat gratiam per ſignificationem: (eſt enim ſignum efficax) ſed ſignificatio non eſt quid phyſicum, & reale, benè quidem morale; quia eſt ſignum non naturale, ſed ad placitum Divinæ voluntatis; ergo &c.

160 *Probo ſecundò*: Excepto SS. Euchariſtiæ Sacramento, reliqua Sacramenta conſiſtunt in fieri, hoc eſt, in actione ſucceſſiva, tranſeunte, ac fluxa, cujus partes nulla phyſica unione cohærent: ut patet in forma V. G. Baptiſmi: *Ego te baptizo, &c.* in qua, dum ultima ſyllaba profertur, deſierunt jam priores; ergo dum effectus Sacramenti producitur, non adeſt ampliùs Sacramentum, &c.

161 *Probo tertiò*. Aliqua Sacramenta producunt ſuum effectum multo tempore poſtquàm facta ſunt: ergo cauſant Gratiam, quando non ſunt; ergo phyſicè nequeunt cauſare Gratiam; ergo moraliter tantùm; quia quando Sacramentum non eſt, non poteſt habere influxum phyſicum; quando enim ſol jam occidit, nequit nunc, & hic nos phyſicè illuminare. *Probatur antecedens*. Jam vidimus ſuperiùs, *num.* 82. *& ſeq.* aliqua Sacramenta validè quidem, ſed indignè ſuſcepta, recedente poſtea indignitate, vel obice, cauſare gratiam illam, quam in principio cauſare debebant, &c. Sed ſic eſt, quòd ſi poſt annum recederet fictio, vel obex, poſt illum annum Sacramentum illud cauſaret ſuum effectum, ergo &c.

162 Deinde evidentiùs, & clariùs conſtat in Sacramento Matrimonii, quando contrahitur per Procuratorem (ut ſolent facere Principes, qui ducunt Uxores in regione longinqua) nam tunc Gratia Sacramentalis producitur in Conjugibus contrahentibus, quando in ipſis non eſt ampliùs actu conſenſus (qui eſt forma) in tale Matrimonium; ſæpè enim contingit, ut conſenſus Principalis contrahentis deſierit eſſe (cùm ſit actus tranſiens) quando ejus Procurator verba pronunciat, & notificat Sponſæ conſenſum ſui Sponſi; ergo tunc manifeſtum eſt, tale Sacramentum Gratiam phyſicè non poſſe producere, ergo moraliter tantùm.

163 *Concludamus. Si vis ſequi opinionem Thomiſtarum*, debes dicere: Sacramenta cauſare Gratiam inſtrumentaliter phyſicè: hoc eſt: per veram, & propriam efficientiam ex ipſa ſubſtantia Sacramenti directè, & immediatè emanantem: & per verum, & phyſicum influxum: quomodo V. Gr. Anima mea in corpore meo exiſtens dicitur efficere actum viſionis hujus libri per oculos, tanquam per inſtrumentum phyſicum, & activum.

Si autem vis ſequi opinionem Scotiſtarum, debes reſpondere: Sacramenta cauſare Gratiam inſtrumentaliter moraliter: hoc eſt: ita, ut Gratia à ſolo Deo immediatè producatur, & ad præſentiam, ſeu exhibitionem ipſius Sacramenti, tamquam ſigni ab ipſomet Deo inſtituti, in Anima ſuſcipientis infundatur: quæ actio productiva Gratiæ non ab ipſo Sacramento directè, & immediatè egrediatur, ſed à ſolo Deo ad exhibitionem, vel poſitionem illius ſigni, ſeu Sacramenti: Sicut V. Gr. qui exhibet ſigillum, vel chirographum Regis alicui mercatori, qui, eo viſo, vel lecto, dat exhibenti magnam aureorum ſummam: qui modus cauſandi ſolam dicit cauſalitatem inſtrumentalem moralem. Vide Maſtrium *in quarto ſent. diſp.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 141. *& ſeq.*

Quæro LXXIX. *Quænam ſunt cauſæ concurrentes ad producendum effectum Sacramenti?*

℞. Iſtæ. I. Cauſa principalis, & efficiens, eſt ipſe Deus. II. Cauſa meritoria, eſt Chriſtus. III. Cauſa inſtrumentalis, eſt Sacramentum. IV. Cauſa finalis, eſt Gloria Dei, & Chriſti, atque ſalus Animarum. V. Cauſa miniſterialis, eſt Sacerdos, aut miniſter; ut patet ex dictis. 164

Quæro LXXX. *Sacramenta omnia, & ſingula conferuntne æqualem Gratiam?*

℞. *I.* Sacramenta ſpecie diverſa non conferunt æqualem Gratiam. Quia ſicut unum eſt altero dignius, & nobilius, ita etiam majorem Gratiam cauſat, quàm alterum. Ut habetur ex Concil. Tridentino ſeſſ. 7. Can. 3. ibi: *Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius... Anathema ſit.* 165

℞. *II.* Sacramenta numero tantùm diverſa: ut plures Baptiſmi pluribus perſonis collati, &c. Si æqualem inveniant diſpoſitionem in ſuſcipientibus, æqualem etiam conferunt gratiam. Quia quodlibet Sacramentum habet ſuum definitum, & limitatum 166

tatum effectum à Divina Ordinatione. Hinc deduces, omnes parvulos baptizatos ſemper eamdem menſuram Gratiæ recipere de Lege ordinaria.

167 ℞. *III.* Sacramenta ejuſdem ſpeciei ſubjectis inæqualiter diſpoſitis inæqualem etiam conferunt Gratiam. Ratio eſt: quia conveniens fuit, Chriſtum Inſtitutorem, & Dominum Sacramentorum perfectiùs, vel copioſiùs diſtribuere ſuam Gratiam ſuſcipientibus meliùs diſpoſitis. Unde V. G. Auguſtinus à D. Ambroſio baptizatus majorem creditur accepiſſe Gratiam, quàm infans, vel adultus non ita diſpoſitus. Confirmatur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. ubi loquens de juſtificatione hominis adulti facta per Baptiſmum; ait: *Juſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult: & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem.*

Quæro LXXXI. *Illa major Gratia, quæ confertur meliùs diſpoſito, daturne ex opere operato, an ex opere operantis?*

168 ℞. *I.* Ex verbis Concilii ſuperiùs allegatis, videtur deduci, quòd detur *ex opere operantis*. ℞. *II.* Non deſunt tamen DD. arbitrantes, & probantes, quòd etiam ex opere operato detur major, & copioſior Gratia meliùs diſpoſito. Vide P. Patritium Sporer noſtrum; *tom. 3. de Sacram.* . . . . & P. Boſco noſtrum, *tom. 1. de Sacrament. in genere, ſect. 5. concluſ. 1. num. 3.* ubi dicit: Enimverò Sacramentum confert Gratiam *ex opere operato* ad inſtar Cauſæ naturalis, quæ profectò eò perfectiorem producit effectum, quò ſubjectum invenit perfectiùs diſpoſitum. Conveniens planè fuit, ut Chriſtus ita inſtitueret Sacramenta, quòd accedens adultus cum maximo fervore, & devotione, plus Gratiæ acciperet etiam *ex opere operato*, quàm accedens cum parva, & remiſſa diſpoſitione. -- Quemadmodum ſi lapis V. G. & vitrum æquè diſtent à ſole, vitrum magis diſpoſitum magis etiam illuminatur, quàm lapis: cujus illuminationis Cauſa efficiens eſt Sol.

169 Unde infertur, fieri poſſe, ut Sacramentum, ex ſe minùs efficax, æqualem, vel etiam majorem producat Gratiam, quàm aliud, ex ſe magis efficax; ratione ſcilicet melioris diſpoſitionis in ſuſcipiente.

Quæro LXXXII. *Quotuplex eſt diſpoſitio requiſita ad Gratiam Sacramentorum recipiendam?*

℞. Eſt duplex. Una habitualis, altera 170
actualis. *Actualis diſpoſitio* in adultis conſiſtit in actibus ſupernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis, & aliarum virtutum. *Habitualis* potiſſimùm conſiſtit in habitibus ſupernaturalibus Fidei, Spei, & Charitatis in Sacramentis Vivorum.

Quæro LXXXIII. *Quænam ex his diſpoſitionibus eſt melior?*

℞. Actualis; quia actus (cæteris pari- 171
bus) in ratione diſpoſitionis præſtant habitibus. Habitus enim non diſponunt, niſi vel *impropriè*; quatenus per eos homo redditur dignior (ut ita dicam) receptione Gratiæ, quàm alius, qui iis caret: vel *remotè* ſolùm; quatenùs inclinant ad actus, qui ſunt proxima, & immediata, &, aliquando, neceſſaria diſpoſitio.

Nec dubitandum eſt, quin diſpoſitio præ- 172
ſens aptior ſit, quàm quæ præceſſit, & phyſicè evanuit, licèt moraliter permaneat, dum actu ſuſcipitur Sacramentum.

Inter actus autem præſentes ejuſdem 173
virtutis ii ſunt præſtantiores, qui ſunt intenſiores. Si verò ſint actus diverſarum virtutum, illi actus meliùs diſponunt, qui magis appropinquant ad copioſiorem Gratiam in hoc Sacramento diſpenſandam: vel qui perfectiùs à peccato avertunt, & Deo conjungunt. Et quidem melior diſpoſitio in *Sacramentis Mortuorum* apparet Contritio, quàm Dilectio; quia Contritio magis proportionata eſt Naturæ horum Sacramentorum. E contra verò in *Sacramentis Vivorum* melior erit Dilectio, quàm Contritio.

Poteſt tamen (per accidens) actus vir- 174
tutis, de ſe perfectioris, minùs perfectè diſponere, quàm actus virtutis imperfectioris; ſi nimirùm ille actus ſit valdè remiſſus, iſte verò intenſiſſimus. Loquimur hic in genere diſpoſitionis ad aliquod Sacramentum recipiendum. Qui legit, intelligat.

Quæro LXXXIV. *Major Sanctitas Miniſtri eſtne cauſa majoris Gratiæ in ſuſcipiente Sacramentum?*

℞. Nequaquam. Ratio eſt: quia Deus, 175
ante omnem diſpoſitionem Miniſtri ſui, decrevit aſſiſtere ſignis practicis à ſe inſtitutis ad cauſandam Gratiam ſignatam: & quia omnis effectus Sacramenti eſt immediatè à Deo. Deus enim Benedictus utitur Miniſtro etiam malo ad cauſandum effectum Sacramentalem, ut appareat, ſanctita-

ctitatem , & efficaciam Sacramentorum non pendere à Miniſtro , ſed à Chriſto: cujus Miniſter eſt ad inſtar canalis , per quem aqua vitalis Gratiæ ad ſuſcipientem confluit .

Confirmatur auctoritate D. Auguſtini , tract. 6. in Joann. *Quare ergo* , inquit , *ſi unus ab illo juſto , & Sancto baptizatur , alius ab alio inferioris meriti apud Deum ; unum tamen , & par , & æquale eſt , quod acceperunt , niſi quia hic eſt , qui baptizat?* ideſt , Chriſtus eſt , qui baptizat , efficiendo gratiam , &c. ergo bonitas , vel malitia Miniſtri nil confert ad valorem , & effectum Sacramenti.

Quæro LXXXV. Quænam eſt differentia inter hos terminos : *validè , licitè , fructuosè recipere Sacramentum?*

176 ℞. Differunt valdè; quoniam recipere Sacramentum *validè* tantùm, eſt quando Sacramentum ſubſiſtit eſſentialiter , quia conſtitit ex materia , forma , & intentione Miniſtri; ſed non produxit Gratiam ob aliquam poſitivam indiſpoſitionem recipientis: prout vidimus de adulto baptizato ſine Attritione *ſuperiùs , num.* 84. Recipere autem Sacramentum *licitè , & validè* tantùm , eſt ita illud ſuſcipere , ut recipiens non peccet mortaliter , etiamſi ſine fructu recipiat illud. Ut V.G. ſi quis adultus bona fide credens ſe eſſe attritum , cùm tamen non ſit, ſuſcipiat Baptiſmum. Recipere tandem Sacramentum *validè , licitè* , & *fructuosè* eſt illud recipere ſimul cum effectu , & fructu gratiæ; ut ſi adultus benè attritus baptizetur: vel baptizatus jam benè diſpoſitus ſuſcipiat aliud Sacramentum.

De Charactere Sacramenti.

Quæro LXXXVI. *Quid eſt Character Sacramentalis?*

177 ℞. *I.* Eſt ſignaculum ſpirituale impreſſum indelebiliter Animæ ſuſcipientis Sacramentum initerabile , ſignificans poteſtatem aliquam acquiſitam ex tali Sacramento.

178 ℞. *II.* Tria tantùm ſunt Sacramenta Charactetem imprimentia , ideſt , Baptiſmus , Confirmatio , & Ordinatio : ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. ibi: *Si quis dixerit , in tribus Sacramentis , Baptiſmo ſcilicet , Confirmatione , & Ordine , non imprimi Characterem in Anima , hoc eſt , Signum quoddam ſpirituale , & indelebile ; unde ea iterari non poſſunt : anathema ſit.*

℞. *III.* Iſte Character infallibiliter imprimitur , quoties prædicta Sacramenta recipiuntur *validè* , licèt *illicitè* , vel *etiam ſacrilegè* ; quia quando Sacramentum eſt validè adminiſtratum , & validè receptum , debet producere aliquem effectum ; primus autem effectus eſt Character ; ergo etiamſi Gratia non conferatur propter obicem , confertur tamen Character. 179

℞. *IV.* Characteres inter ſe diſtinguuntur ſpecificè ; ut patet à diſtinctione ſpecifica Sacramentorum , & à poteſtatibus diverſis ; nam Character *Baptiſmi* eſt ſignum diſtinctivum ovium Chriſti , ideſt , fidelium . Character *Confirmationis* eſt ſignum militum Chriſti : & Character *Ordinis* eſt ſignum Miniſtrorum Chriſti : Primus Character facit membrum , Secundus facit militem, Tertius facit miniſtrum Chriſti. 180

℞. *V.* Character non amittitur per peccatum ; quia non ſpectat ad Gratiam ſanctificantem , ſed ad gratis datam , neque corrumpitur per mortem corporalem , quia Animæ immortali inhæret ; unde remanet etiam in Chriſtianis damnatis . Quare , ſi V.G. Sacerdos mortuus jam reſuſcitaretur , non poſſet denuò baptizari , nec confirmari , nec ordinari. 181

℞. *VI.* Character priùs (prioritate naturæ , vel intelligentiæ) imprimitur in Anima , quàm Gratia ſanctificans : quia eſt diſpoſitio ad illam; licèt in eodem inſtanti temporis imprimatur cum illa , &c. 182

℞. *VII.* Cum Scoto ſentiens dico , quòd Character immediatè ſubjectatur in voluntate : quia eſt ſignum obligationis Animæ ad Chriſtum , & ad ejus Legem ; ſed voluntas eſt illa potentia , quæ obligatur immediatè , & per quam homo ſe obligat alteri ; ergo , &c. mediatè verò inhæret eſſentiæ ipſius Animæ : ideſt , mediante voluntatis potentia . 183

℞. *VIII.* Character , quoad ſuam entitatem , eſt forma accidentalis realis abſoluta : & reducitur ad genus , vel prædicamentum Qualitatis ; quia Character eſt diſpoſitio ad Gratiam : Gratia autem eſt de genere , vel prædicamento qualitatis ; ergo , &c. 184

℞. *IX.* Character eſt ſignum poteſtatis , & ſimul eſt ipſa poteſtas , vel quaſi ſcriptura , bulla , aut inſtrumentum poteſtatis traditæ homini per Sacramentum : & licèt non operetur phyſicè , operatur tamen moraliter , ſeu (ut alii dicunt) per exi- 185

Digitized by Google

gentiam quamdam phyſicam. Eſt enim Character quaſi bulla, vel ſignum Divinum, quo Deus teſtificatur, & profitetur poteſtatem datam, & jus, quod homo per tale Sacramentum acquiſivit.

186 ℟. X. Omnes tres Characteres (Baptiſmi nempe, Confirmationis, & Ordinationis) habent rationem potentiæ activæ moralis, quatenùs conjuncti cum Gratia ſacramentali exigunt ſpecialia auxilia Gratiæ Dei, quibus cum auxiliis præſtandis tempore opportuno, homo ritè obeat munus, quod per Characterem ſuſcepit: & quatenùs requirunt auxilia Divina, ut tentationes internæ, & externæ vel impediantur, vel certè minuantur, aut vincantur.

187 ℟. XI. *Character Baptiſmi* non ſolùm eſt potentia paſſiva moralis, quatenùs quicumque non eſt eo inſignitus, invalidè ſuſcipit reliqua Sacramenta, ſed etiam ſpecialiter habet rationem potentiæ activæ reſpectu Sacramenti Matrimonii: quia niſi contrahentes fuerint inſigniti hoc Charactere, non efficiunt Sacramentum Matrimonii.

188 *Character Confirmationis* non ſolùm eſt potentia pariter paſſiva moralis, quatenùs ſine eo minùs ordinatè ſuſcipiuntur aliqua alia Sacramenta; ſed etiam ſpecialiter habet rationem potentiæ activæ veluti perfectivæ, & conſummativæ Baptiſmi; adeò ut ſine eo Charactere quis non inveniatur plenus Chriſtianus, aut Miles Chriſti: ut habetur *arg. cap. Omnes Fideles, de conſecr. diſt. 5.*

189 *Character Ordinis Sacri Presbyteratus* ita habet rationem potentiæ activæ reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu Abſolutionis ſacramentalis, & Extremæ Unctionis, ut ſine eo nihil efficiatur. Habet etiam rationem potentiæ paſſivæ reſpectu Sacramenti Ordinis Epiſcopalis, quod (ex communiori Sententia Theologorum) invalidè ſuſciperetur ab illo, qui non eſt Sacerdos: ut, (apud P. Boſcum noſtrum, *diſput.* 1. *ſect.* 4. *num.* 132.) videre quis poterit.

Quæro LXXXVII. *Quandonam imprimitur iſte Character tanta virtutis?*

190 ℟. Tunc imprimitur Character (ſicut & Gratia habitualis, & Sacramentalis) quando Sacramentum, poſt realem ſui ſuſceptionem, completè ſignificat; tunc enim, & non antea ſimpliciter appellatur, & eſt Sacramentum; ergo ſi tunc, & non antea ſignificat, ſua ſignificatione efficaci tunc efficit, producit, cauſat Characterem, Gratiam juſtificantem, &c.

Quæro LXXXVIII. *Sed quandonam Sacramentum eſt ſufficienter completum, aut completè ſignificat?*

℟. Quando poſt debitæ materiæ poſitionem ita prolata eſt forma, ut tale Sacramentum habeat veraciter ſuam ſignificationem, unumquodque ſecundùm ejus naturam. Et hoc contingit in ultimo inſtanti, in quo ultima ſyllaba verborum formæ eſſentialis eſt prolata, ita ut faciat perfectum ſenſum, & verum ſit dicere: *jam eſt Sacramentum.* 191

Quæro LXXXIX. *Illa auxilia præſtanda tempore opportuno, de quibus dictum eſt ſuprà, quare non dantur ſtatim completo Sacramento?*

℟. Quia iſta auxilia ſunt gratiæ ſpeciales; & cùm non ſint quid unum permanens, & nonnumquam dentur ad diverſos effectus (pro diverſitate Sacramentorum,) qui quandoque ſimul exerceri non poſſunt, ac in præſenti ſæpè non ſit indigentia; hinc eſt, quòd commodiùs, opportunitate temporis, & officii exigente, conceduntur à Deo intuitu Sacramenti jam ſuſcepti, & characteris permanentis. Completo igitur Sacramento, ſtatim acquiritur jus ad illa auxilia, quæ commodiùs juxta ſubjecti, vel recipientis neceſſitatem diverſis, & opportunis temporibus conceduntur ex vi ipſius Sacramenti. 192

Gratia autem habitualis, ſeu ſanctificans, & habitus virtutum Theologalium, qui cum Gratia prædicta infunduntur à Deo (juxta doctrinam Concilii Tridentini, capit. 7. de Juſtificatione: ſeſſ. 6. ubi dicit: *In ipſa Juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, Fidem, Spem, & Charitatem.*) in Baptiſmo, cùm ſint quid ad modum permanentis, & ſimul conſiſtere poſſint, non eſt cur differantur, aut paulatim donentur, quando ſubjectum eſt diſpoſitum jam, & indigens. Idem dic de Charactere, & de ejus virtutibus. 193

Quæro XC. *An Sacramenta aliqua conferant aliquem effectum ex opere operato, antequam realiter ſuſcipiantur?* Quod idem eſt, ac quærere: *An Sacramentum in voto habeat vim cauſandi Gratiam ex opere operato antequam in re ſuſcipiatur?*

Circa hanc difficultatem attentè legi Thologiam Sacramentalem P. noſtri Joannis

nis Boſco, *part.* 1. *diſp.* 1. *ſect.* 4. *concl.* 10. ubi (more ſolito) fundatiſſimè, & acutiſſimè, ut magnus Theologus loquitur. Ex doctrina igitur tanti viri, ad Quæſitum.

194 ℞. Negativè. Ratio eſt: quia, ex communi ſententia, *Opus operatum* ſignificat opus exhibitum, & jam applicatum; atqui votum, ſeu deſiderium V. G. Baptiſmi non eſt Baptiſmus exhibitus, vel applicatus; ergo Gratia juſtificans, (quæ ſubinde acquiritur per votum Baptiſmi, ſi videlicet præceſſerit perfecta Contritio, vel formalis Amor Dei ſuper omnia) non confertur *ex opere operato*: benè quidem *ex opere operantis*, tamquam ex merito de congruo, (nam Contritio perfecta, vel formalis Amor Dei ſuper omnia: meretur ſaltem de congruo Gratiam juſtificantem) illius, qui talem actum ſupernaturalem elicuit.

Tum quia: ſi Sacramentum in voto haberet virtutem cauſandi gratiam ex opere operato, ſeu ex vi propria, illamque cauſaret, cauſaret quoque Characterem, cùm iſte ſit diſpoſitio ad gratiam in Sacramento Baptiſmi, quod tamen à nemine admittitur, ne admittens cogatur conſequenter aſſerere, Catechumenum poſt votum Baptiſmi non poſſe re ipſa baptizari; ergo &c. Etenim ſi tota Sacramenti Baptiſmi gratia ex ſolo voto illius poſſet haberi, mera cæremonia eſſet poſtea actu, & in re ſuſcipere Baptiſmum; & nonniſi præcepti ſervandi cauſa ad Baptiſmum accederet Catechumenus ille; ergo Baptiſmus non eſſet ampliùs neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem, contrarium definiente Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 7. *canone* 5. & *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. *in fine*. Et *ſeſſ.* 5. *in Decret. de pecc. orig.* §. *ſi quis parvulos*: *in fine*: (ubi citat illam Chriſti Domini ſent. Joan. 3.) *Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.*

Et quod diximus de Baptiſmo reſpectu Catechumeni, dicendum de Sacramento Pœnitentiæ reſpectu Chriſtiani adulti lapſi in mortale, quando elicit actum Contritionis perfectæ cum Sacramento in voto, excepto charactere, ut patet intelligenti.

Dices Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. capit. 4. de Contritione, docet ſic: *Etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominùs reconciliationem ipſi Contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Ergo Concilium videtur tribuere Sacramento Pœnitentiæ in voto, quod includitur in Contritione, virtutem reconciliandi, ideſt producendi gratiam juſtificantem; ſed ſic eſt, quòd omne Sacramentum novæ legis habet cauſare gratiam ex opere operato; ergo, &c. 195

Reſpondet P. Boſco: quòd Concilium hìc non tribuit effectum Gratiæ juſtificantis vel ipſi Sacramento in voto, vel ipſi Contritioni tamquam *ex opere operato*, ut patet intuenti verba prædicta; ergo auctoritas Concilii non eſt contra nos, imò pro nobis; nam Concilium tribuit effectum Gratiæ reconciliativæ ipſi Contritioni cum voto Sacramenti, quod votum in illa includitur; ergo non *ex opere operato*: (quia Sacramentum nondum adeſt in re, & conſequenter nequit cauſare *ex opere operato*:) ſed *ex opere operantis*. Scimus enim Sacramenta novæ legis habere virtutem cauſandi gratiam *ex opere operato* quando ſunt, vel ſaltem præfuerunt in re, & validè; at quando nec ſunt, neque fuerunt in re, quomodo poterunt cauſare?

Dabo aliam reſponſionem cum P. Maſtrio, *in* 4. *diſp.* 1. *q.* 10. *n.* 343. Quando, inquit, Theologi aſſerunt, adultos juſtificari per Sacramentum (Baptiſmi, vel Pœnitentiæ) *in re*, vel ſaltem *in voto* ſuſceptum; hoc planè non aſſerunt, quaſi eodem modo Sacramenta Gratiam conferant *in voto* ſuſcepta, ac *in re*; nempè *ex opere operato*; ſed quia Contritio, ad cujus intuitum, & menſuram datur Gratia extra Sacramentum, includit propoſitum ſuſcipiendi Sacramenta tempore ſuo; & in hoc ſenſu loquitur etiam Conc. Tridentinum; ergo *ex merito, & voto operantis* attribuenda eſt juſtificatio, non autem *Sacramento ex opere operato*. — Hæc ſufficiant pro hac difficultate. Accedamus ad explicanda ſingula Sacramenta.

Digitized by Google

TRACTATUS XLII.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

IN præſenti breviſſimo tractatu non erit ſermo de *Baptiſmo flaminis*, neque de *Baptiſmo ſanguinis*, ſed tantùm de *Baptiſmo fluminis*: quia hic ſolus abſolutè dicitur, & eſt verus Baptiſmus Sacramentalis: eſtque unicus in Lege nova, juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. cap. 4. *Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptiſma*; de quo dicitur in cap. Veniens, de Presbyt. non baptizat. *Eſt fundamentum omnium Sacramentorum, ante cujus ſuſceptionem non ſuſcipitur aliud Sacramentum*; unde Janua aliorum dici ſolet. Igitur.

Quæro I. *Quid eſt Baptiſmus?*

1 *Reſpondeo I.* Baptiſma, vel Baptiſmus græca vox eſt, quæ latinè ſonat Immerſio, ſeu Ablutio; à Sacris autem ſcriptoribus, & Patribus hæc vox *Baptiſmus* appropriatur ablutioni factæ in aqua cum certa forma verborum à Chriſto præſcripta, quæ ablutio ſacramentalis ab Apoſtolo Paulo ad Epheſ. 5. nominatur *Lavacrum aquæ in verbo vitæ*. Ipſe eſt Baptiſmus fluminis, quem Chriſtus præcepit Apoſtolis ſuis in Euang. Matth. cap. ult. dicens: *Euntes ergo docete omnes Gentes baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

℞. II. Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ. *Ita Catechiſmus Romanus*. Sacrum Baptiſma eſt Chriſtianæ Religionis, & æternæ vitæ Janua, primum tenens locum inter alia novæ legis ſacramenta à Chriſto inſtituta: eſtque cunctis ad ſalutem neceſſarium. *Ita Rituale Romanum*.

℞. III. Baptiſmus eſt ablutio hominis aliqualiter conſentientis, facta ab alio in aqua, ſimul verba certa cum intentione debita proferente: ſignificans efficaciter ex Inſtitutione Divina ablutionem Animæ à peccato. Ita Scotus, *in 4. diſt. 3. quæſt. 1.*

℞. IV. Baptiſmus eſt Sacramentum compoſitum ex ablutione corporis, & certa verborum forma, à Chriſto inſtitutum ad ſpiritualem hominis generationem. Ita Laymannus, *lib. 5. tract. 2. cap. 1.* His definiendi formulis clariùs exprimitur ſignificatio ſymbolorum, & colligitur Baptiſmi quidditas, & natura.

Quæro II. *Quandonam fuit inſtitutum hoc Sacramentum?*

℞. Dubium eſt tempus præfixum, & 2
præciſum hujus Inſtitutionis; quia dies præciſè non legitur in Euangelio; convincitur tamen ex textu, tempus Inſtitutionis fuiſſe ante illud tempus, quo Diſcipuli Chriſti baptizabant, ut legitur in Euangelio Joann. cap. 3. *Poſt hæc venit Jeſus, & diſcipuli ejus in Judæam, & ibi morabatur cum eis, & baptizabat::::; licèt Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus. cap. 4.* Ita Scotus, *in 4. diſt. 3. quæſt. 4.* -- S. Auguſt. *tractat. 5. in Joann. circa finem*. -- Magiſter Sentent. -- D. Thom. & alii plerique Scholaſtici apud Boſcum noſtrum, *diſp. 2. ſect. 1. num. 11.*

Sed quare Euangeliſta dicit, quòd *Jeſus baptizabat*: dum poſtea ſubjungit: *licèt* 3
Jeſus non baptizaret; ſed Diſcipuli ejus? Reſpondet S. Auguſtin. *Jeſus baptizabat poteſtate: Diſcipuli autem ejus miniſterio*; quia qui per alium facit, per ſe facere cenſetur.

Si vis autem ſcire magis localiter, quando Chriſtus inſtituerit hoc Sacramentum; 4
dicam tibi, quòd fuit paulò poſtquàm à Joanne ipſe Chriſtus fuit baptizatus: & poſt diſcurſum Chriſti cum Nicodemo.

Fuitne ille Baptiſmus, (quo Chriſtus 5
à Joanne baptizatus eſt) verum Sacramentum?

℞. Nequaquam; quia non erat Baptiſmus Chriſti, ideſt, in forma inſtituta à Chriſto, ſed in forma inſtituta à Joanne; Chriſtus tamen dedicavit tunc *Aquam* tamquam materiam idoneam ſuo Baptiſmo ex contactu ſuæ mundiſſimæ carnis. Concilium enim Trident. ſeſſ. 7. can. 1. de Baptiſmo dicit: *Si quis dixerit, Baptiſmum Joannis habuiſſe eamdem vim cum Baptiſmo Chriſti; anathema ſit.*

Quæro III. *Chriſtus Dominus baptizavitne aliquos per ſe immediatè, ſeu ſuis benedictis manibus?*

℞. Euthymius in Joann. cap. 3. dicit: 6
Scribunt quidam temporibus Apoſtolorum proximi, quòd Chriſtus baptizaverit Petrum,

trum, & Virginem Mariam; Petrus verò reliquos Apoſtolos; & hoc congruum fuit ob dignitatem ſui Vicarii, Matriſque ſuæ.

7 *Dices*. Si Beatiſſima Virgo caruit (ex ſpecialiſſimo Privilegio) culpa originali, ac immunis fuit etiam à veniali; quare ergo baptizata fuit? Ratio dubitandi eſt: quia Forma Baptiſmi: *Baptizo te*: ſignificat ſpiritualem ablutionem à peccatis; ut patet ex definitione ejus; ergo Beatiſſimæ Virgini Mariæ non potuit applicari veraciter talis Forma, utpotè, quæ fuit immunis ab omni peccato originali, & actuali.

℟. P. Joann. Baptiſta Novatus, *tom. 2. de Emin. Deiparæ, cap. 6. quæſt. 16.* dicit, quòd communis Theologorum ſententia docet, B. V. Mariam fuiſſe baptizatam: & inter alios citat Salazar *de Conceptione, cap* 24. *num.* 117. ubi dicit, *primarium effectum* Baptiſmi eſſe, imprimere Characterem Fidei Chriſtianæ, conſtituere hominem in Eccleſia Chriſti capacem cæterorum Sacramentorum; *Secundarium* verò effectum eſſe, emundare à macula peccati ſive originalis, ſive actualis: *tertium*; conferre gratiam. Ergo Baptiſmus collatus B. V. Mariæ, etſi non contulerit ſecundum, contulit tamen primum, & tertium effectum. Et Forma illa Baptiſmi, non tantùm ſignificat ſecundum, ſed & cæteros effectus; ergo in tali Baptiſmo verificari potuit Forma, *Baptizo te*, ideſt, confero tibi Characterem, & Gratiam.

8 *Præterea*; quando D. Petrus, & alii Apoſtoli fuerunt baptizati non ampliùs habebant originale peccatum; hoc enim fuit eis deletum per Sacramentum Circumciſionis; idem dicendum de cæteris Judæis tunc recipientibus Baptiſmum Chriſti; ergo Baptiſmus non conferebat eis remiſſionem peccati originalis: benè quidem alios effectus.

Quæro IV. *Quænam eſt materia hujus Sacramenti?*

9 ℟. Eſt aqua vera, & naturalis; nam Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 2. de Bapt. ſic dennivit; *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi: anathema ſit*. — Vide plures difficultates circa aquam, & qualitatem ejus in Rituale Romano, & apud Thom. Tamburinum, *libr. 2. de Bapt. cap.* 1.

Concil. Florentinum in Decret. Union. ſic docet: *Materia hujus Sacramenti* (Baptiſmi) *eſt aqua vera, & naturalis: nec refert frigida ſit, an calida.*

10 Unde infertur. I. Ad valorem Sacramenti ſufficere omnem aquam, ſive ſit fontis, ſive fluminis, ſive maris, vel putei, vel pluvialis, vel reſoluta ex nive, glacie, grandine, vel turbida: vel mineralis, quæ ſcilicet tranſit per ſulphureos terræ meatus: uno verbo, omnis aqua, quæ communi judicio vocatur, & æſtimatur aqua vera, & naturalis, eſt materia apta.

11 Infertur. II. Non valere ad Baptiſmum aquam artificialem, quovis nomine vocatam, nec roſaceam, nec diſtillatam ex aliis floribus, & herbis, & ſalibus, nec juſculum, nec cerviſiam, nec ſimiles aquas, quæ ſunt corpora mixta, nec dicuntur aquæ niſi æquivocè, ut dicit Scotus apud Boſcum, *diſp. 2. ſect. 1. num.* 31. Quia licèt aqua artificialis, vel æquivoca, vel mixta habeat aliqua accidentia ſimilia aquæ naturali; tamen habet aliqua alia diſſimilia à tota ſpecie, ex quibus ſequitur diſtinctio ſubſtantiæ; nam ex accidentibus principalibus cognoſcitur ſubſtantia.

12 In caſu tamen extremæ neceſſitatis licitum erit, (imò debitum) baptizare cum aqua dubia proferendo formam ſub conditione. Ut omnes ſciunt, & docent.

Quæro V. *Quænam eſt materia proxima hujus Sacramenti?*

13 ℟. Eſt ablutio corporis hominis baptizandi facta à baptizante, & verba formæ proferente; nam accedente verbo ad elementum, fit Sacramentum; non quidem in ipſo elemento, ſed in homine, cui adhibetur elementum aquæ per uſum ablutionis; ut dicit S. Thomas, *3. par. qu. 66. art.* 1. Patet etiam ex ipſa forma: *Ego te baptizo, &c.* quibus verbis exprimitur baptizatio, ſeu ablutio activa, & paſſiva.

Quæro VI. *Quæ quantitas aquæ eſt neceſſaria, ac ſufficiens ad valorem hujus Sacramenti?*

14 ℟. I. Regulariter loquendo, tanta aqua requiritur, ut homo, vel infans cenſeatur ablutus, vel aſperſus, vel immerſus, vel tinctus aqua; & conſequenter non ſufficiet una, vel altera gutta. Ita cum majori, & meliori parte DD. docet P. Boſco, *tom. vel part. 1. diſp. 2. concl.* 4. Ratio eſt: quia ex communi hominum æſtimatione, & praxi Eccleſiæ ſic fieri debet ablutio, ut homo baptizatus verè cenſeatur

madefactus, vel aſperſus, vel intinctus, vel ablutus aqua; ergo in quantitate notabili aqua debet infundi, vel effundi.

15 ℞. *II.* In caſu autem neceſſitatis, vel impoſſibilitatis moralis, vel phyſicæ, ſufficiet modiciſſima aqua. Ratio: quia non evidenter conſtat, quænam quantitas aquæ præciſè ſit neceſſaria ad valorem Sacramenti: & multi DD. tenent, ſufficere unam, vel alteram aquæ guttam. V. G. Si digito aqua madefacto imprimas ſignum Crucis in fronte moribundi pueri. Ita cum aliis DD. Filliucius tractatione ſecunda, numero trigeſimo quarto: Diana coord. *tom. 1. tract. 1. reſol. 51.* Et Maſtrius *in 4. ſent. diſput. 2. num. 48. in fine.*

16 ℞. *III.* Si ablutio fiat vel per infuſionem aquæ, vel per immerſionem, vel per aſperſionem, ſufficiens eſt ad valorem Sacramenti. Ita ex Rituale Romano: §. *De forma Baptiſmi.*

Quæro VII. *Quænam eſt forma hujus Sacramenti?*

17 ℞. Hæc eſt legitima, & Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ordinaria, & valida forma Baptiſmi: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.* Eamque omninò neceſſariam aſſerit Rituale Romanum, *titul. de Bapt. §. de Forma Baptiſmi*; Et ideò eam nullo modo licebit mutare.

18 Valet nihilominùs Forma Baptiſmi Græcorum, quæ hujuſmodi eſt: *Baptizetur N. Servus Chriſti in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.* Ut expreſsè traditur, & decernitur ab Eugenio Papa Quarto in Concil. Florent.

19 Sed *quare Eccleſia Græca noluit ſervare formulam præciſam Eccleſiæ Latinæ, ſeu Romanæ?*

℞. Quia ortum fuit inter Græcos ſchiſma circa formam baptizandi; & ad iſtud ſchiſma tollendum ordinatum fuit, ne Miniſter exprimeretur in propria perſona: *Ego*: nec actus in modo indicativo: *Baptizo*: ſed optativo in tertia perſona: *Baptizetur*: quia tunc Miniſter non ſignificatur eſſe Auctor Baptiſmi; ſed tantùm Miniſter deſiderans, volens, & orans, effectum Baptiſmi conferendum à Deo, & quòd ſuſcipiens Baptiſmum non exprimeretur in ſecunda perſona: *Te*: ſed in tertia: *N. Servus Chriſti, &c.* Ita ex Scoto noſtro, *in 4. diſt. 3. qu. 2.*

20 Qui tamen in Eccleſia Latina uteretur Forma illa Græcorum: & è contra, graviter peccaret; licèt validè baptizaret; quia quilibet Miniſter tenetur ſervare illam Formam, quam talis Eccleſia impoſuit Miniſtris, quamque Eccleſia Catholica ordinavit ſervari.

Sicuti V. G. Sacerdos in Eccleſia Latina validè conſecraret panem fermentatum; quamvis graviter peccaret; quia notabiliter immutaret (etſi dumtaxat accidentaliter) materiam hujus Sacramenti contra ritum ſuæ Eccleſiæ: & contra decretum Eccleſiæ univerſalis. Ita Reginaldus, *lib. 27. numer. 24.* & alii DD. communiter.

Prædicta autem Forma, ſi proferatur 21
lingua materna, ſeu idiomate vulgari, non videtur mortale; ſed neque veniale videretur; ſi per virum idiotam, & imperitum linguæ latinæ miniſtraretur in caſu neceſſitatis. Idem dic de muliere, vel obſtetrice baptizante, cui tamen baptizandi locus numquam dari deberet, niſi in magna neceſſitate, cui nullo alio modo poſſet ſuccurri. Ita P. Antonius Naldus Faventinus. *Verbo Baptiſmus, num. 12.*

Si quis ex devotione adderet Formæ Ba- 22
ptiſmi nomen B. V. Mariæ, vel alterius Sancti: dicendo: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti: & Beatæ Virginis, vel S. Joannis*: baptizaretne validè?

℞. Si hoc faceret ex ſimplicitate, non vitiaret Baptiſmum. Si autem intenderet, quòd illa verba addita aliquid operarentur circa ſubſtantiam Sacramenti; tunc vitiaretur Baptiſmus. Ex D. Thoma, *3. part. quæſt. 60. art. 2. in corp.*

Invalidus autem eſſet Baptiſmus ſub hac 23
Forma collatus: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Amen.* Omittendo, ſive ex ignorantia, ſive ex oblivione præcedentia verba: vel ſaltem non addendo ſtatim: *Ego te baptizo*: Ita fuit deciſum ab Alexandro Papa Tertio, & habetur *in capit. Si quis 1. extra, de Bapt. & ejus effect.* ac noviſſimè ab alio Alexandro, nempe Octavo damnata fuit hæc eadem propoſitio, quæ eſt la 27. & dicebat: *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac Forma collatus. In nomine Patris, &c. prætermiſſis illis: Ego te baptizo.* Ratio eſt evidens: quia non exprimitur actio baptizandi, nec abluendi, nec quidquam aliud faciendi; ſed, ut Forma Sacramenti valeat, debet exprimere actionem Miniſtri:

ut

Digitized by Google

ut patet in aliis Sacramentis; ergo, &c.

24 Invalidus item foret Baptiſmus, ſi non exprimeretur ly *Te*, aut aliis verbis æquivalentibus, ac denotantibus perſonam ſuſcipientem. Ratio fundatiſſima eſt, & ſumitur ex verbis Chriſti Inſtitutoris, qui in Euangelio Matth. cap. ultimo dixit: *Baptizantes eos*, *&c.* ubi exprimitur, (utique verbis clariſſimis, & veriſſimis) actus Miniſtri, & perſona ſuſcipiens, ſeu baptizanda, non minùs, quàm invocatio expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis: *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

25 *Forma Baptiſmi eſſentialiter* requirit invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis per diſtincta nomina propria trium Divinarum Perſonarum; ut ſuprà. Nil certius eſt, ex communi, & perpetuo uſu Sanctæ Matris Eccleſiæ, & citato loco Euangelii maximè probatur, ſecundùm verum, ac litteralem ſenſum; prout eum ſemper intellexit Univerſalis Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & intellectu Sacræ Scripturæ.

26 *Dices*. Principio naſcentis Eccleſiæ valuit Baptiſmus in hac Forma collatus: *Ego te baptizo in Nomine Domini Jeſu Chriſti*; ergo expreſſio omnium trium Perſonarum non erit de eſſentia; quia ſi tunc valuit, valebit etiam modò.

℞. Scotus Doctor noſter *in 4. diſt. 3. qu. 2.* dicit, quòd Chriſtus diſpenſavit in hac lege pro tempore primitivæ Eccleſiæ, & ratio diſpenſandi fuit, ut divulgaretur Sanctiſſimum Nomen ejus; tamen illa ratione ceſſante, ampliùs non diſpenſavit, unde ſi quis modò ſic baptizaret, peccaret mortaliter, & omninò non baptizaret.

27 At Armacanus, Soto, Bellarminus, Vaſquez, Suarez, & alii DD. negant, valuiſſe unquam, aut uſurpatum fuiſſe Baptiſmum ſolis illis præcisis verbis: *Ego te baptizo in Nomine Jeſu Chriſti*: & ad authoritatem nonnullorum Sacræ Scripturæ locorum, & ſignatè Act. 2. v. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrùm in Nomine Jeſu Chriſti*. — Et cap. 8. v. 12. *Baptizabantur viri, ac mulieres in Nomine Jeſu Chriſti*, & alibi. Reſpondent: ibi, *In Nomine Chriſti* idem eſſe, quòd in Poteſtate, & Baptiſmo Chriſti. — Et ad rationem Scoti, reſpondent: ad divulgandum Sanctiſſimum Nomen JESU CHRISTI, non fuiſſe neceſſariam, nec opportunam illam tantùm verborum formulam truncatam, ſed iſtam ampliorem, & perfectiorem, nempe: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii ejus JESU CHRISTI, & Spiritus-Sancti*. Et quòd ſic factum fuerit, comprobant ex textu Actorum, cap. 19. ubi legitur, quòd Apoſtolus Paulus veniens Epheſum invenit quoſdam Diſcipulos, dixitque ad eos: *Si Spiritum-Sanctum accepiſtis, credentes? At illi dixerunt ad eum: ſed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati eſtis?* Quæ quidem Apoſtoli interrogatio omninò fuiſſet impertinens, ſi in ſolo *Chriſti Nomine* baptizari potuiſſent, & ſolerent; ergo etiam illis temporibus baptizabantur in Nomine Trinitatis expreſſæ, ut ſuprà exemplificatum eſt; ſic enim & ſalvatur manifeſtatio Nominis *Jeſu Chriſti*, & ſalvatur tota forma expreſſiva Divinarum Perſonarum.

Omiſſo alias difficultates de forma, & materia Baptiſmi; quia facilè reſolvi poterunt ex dictis de Sacramentis in genere.

Quæro VIII. *Quinam eſt, vel eſſe poteſt Miniſter hujus Sacramenti?*

℞. Miniſter Baptiſmi privati, ſeu in caſu neceſſitatis eſt quilibet homo viator ratione utens. 28 Miniſter verò Baptiſmi ſolemnis eſt Sacerdos proprius, vel Parochus, aut alius vicem gerens Parochi. Patet *ex Decreto Eugenii Papæ Quarti in Concil. Flor. ubi de Miniſtro Baptiſmi* ſic dicitur: "Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In caſu autem neceſſitatis, non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam Laicus, & mulier: imò etiam paganus, & hæreticus baptizare poteſt, dummodò formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia. Ita Papa."

Et capit. Firmiter de Summa Trinitate, "dicitur: Sacramentum verò Baptiſmi, tam parvulis, quàm adultis in Forma Eccleſiæ à quocumque ritè collatum, proficit ad ſalutem."

"Idem ſtatuit de Judæo baptizante Nicolaus P. Primus: & refertur *de conſecrat. diſt. 4. cap. 24.*"

29 Nec obſtat, quod dicitur in Carthaginenſi Concilio 4. cap. 100. ibi: *Mulier baptizare non præſumat*. Hoc enim communiter intelligitur: *extra neceſſitatem*: aut de Baptiſmo ſolemni. Et quòd hæc ſit mens Concilii, colligitur ex verbis antecedentibus, cap. 99. *Mulier, quamvis docta, & Sancta, viros in Conventu* (ideſt Eccle-

Eccleſia) *docere non præſumat*. Tum quia unum Concilium Generale in Regulis Fidei, & morum nequit eſſe contrarium alteri; nam à Spiritu-Sancto congregatur, & dirigitur.

30 Quando verò Baptiſmus privatè, ſeu in domibus conferendus eſt, ſi adſint Perſonæ diverſi ſexus, vel conditionis, ſervandus erit ordo, quem aſſignat Rituale Romanum: Lege ibi, *tit. de Bapt. §. de Miniſtro*. Hoc unum adverte: cavendum eſſe, ne, ob altercationem præeminentiæ adſtantium, quiſnam debeat baptizare, &c. interim moriatur puer ſine Baptiſmo.

Quæro IX. *An Religioſus profeſſus ex Ordine noſtro Fratrum Minorum S. P. Franciſci poſſit licitè baptizare?*

31 ℞. *I.* In caſu neceſſitatis nulla eſt difficultas: quia certè poteſt, & debet, ſi nullus alius aptior, vel dignior ibi ſit præſens, qui velit, & poſſit, &c. Ratio patet ex dictis. Tum quia, Lex Charitatis erga proximum tunc urget, &c.

32 ℞. *II.* Sacerdos noſtri Ordinis etiam extra caſum neceſſitatis, de licentia Parochi licitè poteſt baptizare etiam ſolemniter. Ratio eſt: quia quamvis *in Can. Placuit*, 2. 16. *qu.* 1. prohibeatur Monachis Baptiſmum conferre: hoc tamen intelligitur de Jure, vel ſine licentia Ordinarii, aut Parochi. Nam etiam *Clementina* 1. *de Privilegiis*: imponit pœnam Excommunicationis Regularibus miniſtrantibus Sacramenta Euchariſtiæ per modum Viatici, vel Extremæ-Unctionis, vel ſolemnitatem Matrimonii ſine licentia Parochi. Ergo de ejus licentia poterunt hæc præſtare; ergo & ſolemniter baptizare. Ita Magnus Suarez, *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 31. *ſect.* 4. *B.* -- Noſter Rodericus, *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 31 *art.* 1. & alii DD.

33 *Objicies*. In ſolemni adminiſtratione Baptiſmi Sacerdos contrahit Compaternitatem ſpiritualem: (ut habetur ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de Reform. Matrimonii*.) Sed Regula noſtra, cap. 11. expreſsè, & eminenter prohibet hoc, dicendo: *Nec fiant Compatres virorum, vel mulierum*; ergo non licebit Sacerdoti noſtro ſolemniter baptizare, etiam de licentia Parochi, vel Ordinarii.

℞. Regula noſtra prohibet Compaternitatem, quæ contrahitur in tenendo parvulum ex Sacro Fonte, ſeu exercendo officium Patrini; non autem quæ contrahitur in actuali Baptizatione. Ratio eſt: quia, generaliter, & propriè loquendo, tales Tenentes, &c. dicuntur *Compatres*. Nunc autem utendum eſt vocabulis ſecundùm propriam, & communem eorum ſignificationem; maximè ubi de mente Legiſlatoris aliter non conſtat. -- Confirmatur auctoritate Capituli Generalis Mechlinenſis celebrati anno 1499. ubi ſic declaratur: *Et cùm in Regula prohibeatur*, ne Fratres fiant Compatres, &c. *intelligendum eſt, quoad elevationem de fonte Baptiſmatis, non quoad Baptizationem*. Ita noſter Corduba *in expoſ. Regulæ*, *ſuper capit.* 11. Naldus V. Religioſus, num. 15. & alii DD. Unde colliges, nullo Jure Sacerdotibus noſtris interdictum eſſe, acceptare Officium Parochi, aut gerere vicem Parochi.

Quæro X. *Quinam tenentur ſuſcipere hoc Sacramentum?*

℞. Omnes homines totius univerſi in ſtatu præſenti Legis Euangelicæ poſt ſufficientem ejus promulgationem; unde, cùm jam ſit ubique terrarum promulgata ipſa Euangelica Lex, ſequitur, quòd etiam Judæi, Pagani, Turcæ, aliique infideles obligantur præcepto Divino recipiendi Baptiſmum: ut Theologi cum D. Thoma, *part.* 3. *quæſt.* 68. *art.* 1. & Scoto noſtro, *in* 4. *diſt.* 3. *qu.* 4. communiter docent. 34

Ratio etiam eſt manifeſta: quia omnes, & ſinguli homines viventes obligantur ad procurandam propriam Salutem Æternam, ob quam creati ſunt; ergo etiam tenentur ad illud medium adhibendum, ſine quo talem finem ſalutis æternæ conſequi non poſſunt; ſed ſic eſt, quòd ſine Baptiſmo nemo poteſt ſalvari; juxta illud veriſſimum Dogma Salvatoris noſtri Joann. capit. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*; ergo, &c. *v. Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 4.

Quæro XI. *Infidelium filii parvuli poſſuntne baptizari à nobis contra voluntatem eorum Parentum?*

℞. Ordinariè loquendo, non eſt licitum, nec expediens; quia illi parvuli ante uſum rationis ſecundùm jus naturale ſunt ſub poteſtate Parentum; ergo contra Juſtitiam eſſet, eos baptizare invitis ſuis Parentibus. Tum quia, periculoſum eſſet, tales infantes baptizare, eoſque relinquere ſub cura Parentum; nam de facili viverent poſtea non vita Chriſtiana, ſed vita ſuorum infidelium, propter affectum ad ſuos Parentes, &c. unde, ut patet experien- 35

Digitized by Google

perientia, neque Sancta Mater Eccleſia ſolet baptizare filios Hebræorum commorantium in ſuo Territorio, invitis eorum Parentibus.

36 Dixi, *ordinariè loquendo non eſſe licitum*; quia per accidens poteſt dari caſus licitè baptizandi aliquem puerum ex infidelibus Parentibus ortum: I. ſi infans conſtitutus ſit in articulo mortis; nam tunc ceſſat periculum prædictum, &c. ac proinde poterit occultè baptizari magna cum cautela, &c. II. ſi puer à ſuis Parentibus ſit derelictus, vel ſeparatus, nec ipſis amplius debeat reſtitui, &c. III. Si unus ex Genitoribus conſentiat, quamvis alter diſſentiat. IV. Si ipſemet puer uſu rationis utens velit baptizari, etiam invitis Parentibus: quia in iis, quæ concernunt Salutem Animæ, filius non dependet à conſenſu Parentum. Ita cum communi docet P. Anacletus noſter, *Tract. 14. diſp. 3. num. 10.*

Quæro XII. *An Parentes Fideles teneantur procurare efficaciter, ut filii ipſorum quamprimùm baptizentur?*

37 ℟. I. Ad rectam, & fundatam reſolutionem hujus quæſiti, præmitto auctoritates Conciliorum, & Sacrorum Canonum. Conc. Trid. ſeſſ. 7. de Bapt. can. 12. decrevit ſic: *Si quis dixerit, neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo; anathema ſit*; & *can. 13. ibi: Si quis dixerit, parvulos, eò quòd actum credendi non habeant, ſuſcepto Baptiſmo inter Fideles computandos non eſſe..., aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quàm eos, non actu proprio credentes, baptizari in ſola Fide Eccleſiæ; anathema ſit.*

℟. II. Eamdem veritatem jam definierat Concilium Milevitanum 2. cap. 2. ibi: *Quicumque parvulos recentes ab uteris Matrum baptizandos negat; anathema ſit.*

℟. III. Innocentius P. Tertius, *in cap. Majores de Baptiſmo*, ait: Tam adultis,
„ quàm parvulis Baptiſmus eſt conferen-
„ dus.... Abſit enim, ut univerſi parvuli
„ pereant, quorum quotidiè tanta multitu-
„ do moritur, quin & ipſis miſericors Deus,
„ qui neminem vult perire, aliquid reme-
„ dium procuraverit ad ſalutem. — Hoc autem remedium tempore iſto Legis Euangelicæ non eſt niſi Baptiſmus; ergo, &c.

38 ℟. IV. Et dico, Parentes Fideles obligatos eſſe ad procurandum efficaciter, ut quamprimùm eorum filii baptizentur; & in eorum defectum, Dominos, & Paſtores, ſeu Parochos ad hoc teneri. Ratio eſt: quia conſuetudo in re gravi obligat graviter; atqui adeſt conſuetudo quamprimùm baptizandi infantes; ergo, &c.

Unde Paulus Quintus *in Rituali Romano, titul. de Bapt. §. de baptizan. parvulis*: Opportunè, inquit, Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, *quamprimùm fieri poterit*, deferant ad Eccleſiam; ne illis Sacramentum tantoperè neceſſarium; nimiùm differatur, cum periculo ſalutis, &c.

Porrò ea cura pertinet primò ad Parentes; 39 & in eorum defectum, ad Dominos temporales, qui in Jura Parentum ſuccedunt; deinde ad Parochos, quibus etiam incumbit cura omnium Animarum ſibi ſubjectarum.

℟. V. Uſquemodò non reperitur præce- 40 ptum de ſpatio dierum, intra quod Parentes, & alii, ad quos ſpectat, teneantur baptizare, aut procurare, ut baptizentur infantes eorum; ſolùm inveni in Bulla 23. Eugenii P. Quarti edita de anno 1441. incipiente, *Cantate Domino*, §. 13. hoc Decretum, videlicet:

Circa pueros verò, propter periculum “
mortis, quod poteſt ſæpè contingere, “
cùm non poſſit ipſis alio remedio ſubve- “
niri, niſi per Sacramentum Baptiſmi (in “
re ſuſceptum;) Sacroſancta Romana Ec- “
cleſia admonet, non eſſe per quadragin- “
ta dies Sacrum Baptiſma eis differendum; “
ſed *quamprimùm commodè fieri poteſt, debe-* “
re conferri; ita tamen, quòd, mortis im- “
minente periculo, mox ſine ulla dilatio- “
ne baptizentur, etiam per laicum, vel “
mulierem, ſi deſit Sacerdos, &c. “

Et in quibuſdam Synodis Provinciali- 41 bus diverſos legi ſtatutos dies pro Baptiſmo Infantium: & Decreta Provincialia diverſa videre poteris apud Franciſcum Genetti, *tom. 3. Theol. moral. tract. 2. cap. 4. quæſt. 9.* — Et diverſas Doctorum opiniones invenies (apud Dianam coordinatum, *tom. 1. tract. 1. reſol. 28. & 29.*) circa intelligentiam illius particulæ *Quamprimùm*: nempè quamprimùm commodè fieri poteſt, debere conferri Baptiſma infantibus. Placet ſententia P. Suarezii, *3. parte tom. 3. diſput. 25. ſect. 2.* dicentis, *quamprimùm*, ideſt, *attentis circumſtantiis, & cujuſque Diœceſis laudabili conſuetudine.*

Hæc autem conſuetudo de baptizandis infantibus *quamprimùm*, eſt obligatoria ſub

Digitized by Google

ſub mortali: ut probat Diana loc. cit. cum aliis DD. Ego autem adderem, hanc obligationem, (ultra conſuetudinem) nobis ſufficienter innoteſcere ex Decreto citato Eugenii Papæ Quarti: ubi ponit verbum obligatorium, hoc eſt, *debere conferri quamprimùm, &c.*

Quæro XIII. *Eſtne licitum baptizare domi infantem, quando nulla alia ſubeſt neceſſitas, niſi cauſa expectandi Compatrem, vel Patrinum, aut propter majorem pompam poſtea faciendam in Eccleſia, ubi ſupplenda erunt omiſſa ſolemnitates?*

42 ℞. Quòd non. Ratio patet ex dictis; hoc enim eſſet operari contra conſuetudinem univerſalis Eccleſiæ, & Decretum Eugenii Papæ Quarti ſuperiùs relatum: & contra Rituale Romanum jam citatum. -- Tum quia differre Baptiſmum ſolemne ſine neceſſitate ultra ſeptem, vel octo dies, cenſetur culpa mortalis: Ut legi apud pleroſque DD. -- Tum quia nonnullæ Synodi Provinciales id prohibent ſub pœna excommunicationis. -- Tum quia adhibere Patrinum in ſolis ſolemnitatibus ſupplendis nulla oritur cognatio ſpiritualis. Tum quia hæc non eſt ſufficiens cauſa, vel neceſſitas ſic baptizandi. Vide Laymannum, *libr. 5. tract. 2. cap. 6. num. 9.* -- Summam Angelicam. *V. Baptiſmus 4. numer. 9.* -- Naldum *V. Baptiſmus, num. 2.* -- & Dianam *coord. loc. cit. reſol. 28. num. 3.*

Quæro XIV. *An infantes domi baptizati in caſu neceſſitatis ab Obſtetricibus, poſſint in Eccleſia rebaptizari ſub conditione à Parochis?*

43 *Nota I.* Certum eſt, quando non habetur moralis certitudo validitatis Sacramenti, poſſe repeti Baptiſmum ſub conditione: ut expreſſè habetur cap. 2. extra. de Bapt. & ejus effect. ibi: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis: Si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.* -- Et in Concilio Cartagi-
» nenſi V. capit. 6. ibi: Placuit de Infanti-
» bus, quoties non inveniuntur certiſſimi
» Teſtes, qui eos ritè baptizatos eſſe ſine
» dubitatione teſtentur, nec ipſi (infantes)
» ſunt per ætatem idonei de tradito ſibi Sa-
» cramento reſpondere, eos eſſe baptizan-
» dos (ſaltem ſub conditione;) ne iſta tre-
» pidatio eos faciat Sacramenti purgatione
» privari. *Hac Concil.*

Et Rituale Romanum, §. de Forma Ba-
» ptiſmi, docet: Hac autem conditionali
» forma non paſſim, aut leviter uti licet;
» ſed prudenter, & ubi, re diligenter per-
» veſtigata, probabilis ſubeſt dubitatio, in-
» fantem non fuiſſe (ritè baptizatum.

Nota II. Ubi non adeſt probabilis, vel 44
prudens aliqua ſuſpicio obſtetricem in aliquo eſſentiali erraſſe, minimè poſſe rebaptizari infantem. Ratio manifeſta patet ex dictis auctoritatibus. Tum quia abſque ulla neceſſitate, aut ratione exponeretur Sacramentum periculo nullitatis; tunc enim cenſeretur moraliter abſoluta rebaptizatio; quia in ordine ad culpam contrahendam *conditio impertinens habetur tamquam non appoſita*. His notatis tamquam certis.

℞. Ad quæſitum affirmativè; cùm, re 45
diligenter perquiſita, dubium relinquatur, aut certè non appareat, infantem baptizatum eſſe juxta formam S. Matris Eccleſiæ, per Teſtes fide dignos de viſu, & auditu circa talem functionem.

Probo primò auctoritate Epiſcoporum; quia in terminis præciſis, ſic decreverunt liber *Paſtoralis Mechlinienſis cap. 9.* -- Item *Synodus Iprenſis* ſub Martino Ruthovio, titul. 12. cap. 5. -- Item *Synodus Granatenſis* celebrata anno 1572. tit. de Bapt. num. 4. Item *Paſtorale Romanum*: volumen editum Antverpiæ anno 1607. aliæque Synodi Provinciales.

Secundò: auctoritate Doctorum, P. Antonii de Quintanadvenas, *tom. de ſeptem Sacram. tract. 1. ſingulare 5. per totum.* -- Franciſci Sylvii *in 3. p. q 66. art. 9. dub. 2.* -- Molani in Practica *tract. 4. cap. 3.* -- Bartoli, *in L. ſi quis, C. Ne Baptiſma iteretur, &c.* -- Adami Opatovii, *tractat. de Bapt. diſp. 1. qu. 6. num. 49.* -- Leandri *de Sacram. tom. 1. tract. 2. dub. 3. quæſt. 54.* -- Ægidii Coninch. *quæſt. 66. art. 9. num. 95.* -- Antonii à Spiritu Sancto Carmelitæ, *tom. Conſult. var. conſult. 114. num. 24.* -- Laymanni, *lib. 5. tract. 2. cap. 5. num. 3.* Antonii de Eſcobar *lib. 11. Problem. 123.* Gobat *de ſeptem Sacram. tract. 2. Baptiſmi, à num. 177.*

Præterea, licèt alii Doctores tenerent 46
oppoſitam, vel contrariam ſententiam, in praxi tamen ſequenda eſt noſtra; quia hic agitur de valore Sacramenti, & ſalute æterna infantium innocentium; ergo tutior pars eſt eligenda. Tum quia Parochus rebaptizans illum infantem ab obſtetrice domi baptizatum, prudenter rebaptizat ſub conditione; ergo nullo periculo

Digitized by Google

culo ſe exponit *vel* peccandi pro formali, (quia operatur ex motivo charitatis, & Zeli paſtoralis) *vel* incurrendi aliquam cenſuram; quia *Irregularitas inflicta contra Rebaptizantes* præſupponit actum conſummatum in ſua ſpecie, ſeu effectum ſecutum, ſed qui ſub conditione rebaptizat, is revera non baptizat, ſi ſubjectum eſt incapax; nam appoſita conditio, ſi ſubſiſtit, ſuſpendit, & impedit actum: ut docent Laymannus, *lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 2.* -- Filliucius, *tract. 20. in ordine*, & 10. *de cenſuris*, *num.* 180. & 181. cum aliis DD. ergo, &c.

47 Et tandem quia tunc ceſſat omnis irreverentia erga Sacramentum Baptiſmi, ubi ſub conditione iteratur in ſalutem infantis; non enim tunc intervenit temeritas præſumptionis, quando aliquid fit ex diligentia Paſtorali, & amore æternæ ſalutis; quoniam in omni dubio, vel ſuſpicione rationabili inclinandum eſt in favorem Pietatis, & Charitatis; ac ubi error eſt irreparabilis, cautiùs, & ſecuriùs eſt procedendum: prout eſt in propoſito caſu.

48 Ex qua doctrina plures ſimiles poteris reſolvere Caſus; quos hìc omitto, ne ſim contra propoſitum nimis prolixus.

Quæro XV. *An, quando in caſu neceſſitatis confertur Baptiſmus ſine ſolemnitate, adhibendus ſit, aut vocandus Compater, ſeu Patrinus?*

49 ℞. Negativè. Ratio eſt: quia de hoc nullum reperitur præceptum, aut ſtatutum Eccleſiaſticum; nam in ſimili caſu regulariter non habetur tempus quærendi, & expectandi Patrinum. Quòd ſi in promptu ſit, & adhibeatur aliquis tamquam Patrinus; non per hoc revera efficitur verus Patrinus; quia deficit ſolemnitas Baptiſmi, in quo ſolo caſu contrahitur Parentela ſpiritualis; non enim eſt in ſola poteſtate tenentis contrahere hoc ligamen cognationis ſacramentalis: ſed oportet facere Cæremonias requiſitas ab Eccleſia.

50 Ultra ſolemnitatem Baptiſmi, ad hoc, ut quis evadat Patrinus requiruntur, aliæ conditiones. I. Ut tenens habeat uſum rationis. II. Ut ſit ipſe jam baptizatus. III. Ut habeat intentionem gerendi tale munus juxta morem Eccleſiæ. IV. Ut teneat, vel tangat puerum baptizandum. V. Ut ſit deſignatus à Parentibus ipſius baptizandi; ita ut, ſi Parochus loco deſignati ſubrogaret (ſine neceſſitate) alium diverſum, peccaret graviter, & puniendus eſſet ab Ordinario: & talis deſignatio foret dubia; an ſcilicet deſignatus à Parocho contra voluntatem Parentum baptizandi contraxiſſet cognationem ſpiritualem, ut, ex Conc. Tridentino, *ſeſſ. 24. cap. 2. de Reform. Matrimonii*, colligitur.

Multi enim DD. tenent, quòd contraxerit, &c. alii verò tenent, quòd non contraxerit: & hæc opinio negativa magis videtur accedere decreto Concilii. In caſu tamen practico conſulenda eſſet Sacra Congregatio ejuſdem Concilii. 51

Obligatio autem veri Patrini eſt, inſtruere puerum à Sacro Fonte levatum in rebus Fidei, ubi, & quando opus fuerit; quia Patrinus evadit Pater Spiritualis illius infantis, quem de Baptiſmi fonte ſuſcepit: Item tenetur alere etiam temporaliter ipſum puerum filium ejus ſpiritualem, in caſu utique neceſſitatis, ubi Parentes evaderent nimis pauperes, aut Filius Parentibus ſuis orbaretur, nulloſque alios haberet conſanguineos potentes eum alere. Ut docent communiter DD. 52

De cæteris dubiis vide Rituale Romanum, & alios libros.

Quæro XVI. *Quinam ſunt effectus Sacramenti Baptiſmatis?*

℞. Multi, at præcipui ſunt iſti. *I.* Imprimit Characterem indelebilem. *II.* Confert primam Gratiam ſanctificantem. *III.* Delet peccatum originale, & omne actuale, quando adeſt; ut fit in adultis. *IV.* Remittit omnem pœnam tam æternam, quàm temporalem totaliter. *V.* Infundit habitus virtutum Theologalium, Fidei, Spei, & Charitatis. *VI.* Dat ſpecialem Gratiam Sacramentalem, quæ conſiſtit in auxiliis ſpecialibus: ut vidimus *Tract. 41. num.* 138. -- *VII.* Januam Cœli aperit ſtatim baptizato, ſi ſtatim moriatur poſt ſuſceptionem ejus: Et alii boni effectus, quos videre poteris in aliis libris. 53

Dum hæc ſcripta conficerem, quidam Amicus me interrogavit de hoc dubio, videlicet: *An Fides Parentum poſſit ſupplere defectum infantis vel in utero, vel extra uterum morientis ſine Baptiſmo in re ſuſcepto?* Ratio dubitandi eſt: quia ſi in adulto ſufficit Sacramentum in voto ad ſalutem æternam, quare non ſufficit votum Sacramenti Parentum pro filio ſuo infanti? Tum quia; ſi ſufficit Fides Eccleſiæ pro Baptiſmo in re reſpectu infantium; quare non ſufficiet fides Parentum pro Sacramento in voto filii ſui?

℞. Cum

54 ℞. Cum D. Auguſtino *epiſt. 28. ad Hieronymum* his verbis : Quiſquis dixerit ,
„ quod in Chriſto vivificabuntur etiam par-
„ vuli , qui ſine Sacramenti (Baptiſmi) ejus
„ participatione de vita exeunt , hic profe-
„ ctò & contra Apoſtolicam prædicationem
„ venit , & totam condemnat Eccleſiam :
„ ubi propterea , cùm baptizandis parvulis
„ feſtinatur , & curritur , ſine dubio credi-
„ tur , aliter eos in Chriſto vivificari non
„ poſſe . Et *libr. 3. de origine Animæ , cap. 9.*
„ ait : Noli credere , noli dicere , Infantes
„ morte præventos , antequàm baptizentur ,
„ pervenire poſſe ad indulgentiam origina-
„ lium delictorum , ſi vis eſſe Catholicus .

Ergo ex D. Auguſtino habetur , Catholicorum eſſe credere , Infantes ſine Baptiſmo reali , ſeu in re ſuſcepto , non poſſe ſalvari : Lex enim de Baptiſmo generalis eſt , & generaliter promulgata , & generaliter ſemper ab Eccleſia Catholica intellecta : Ita ex dicto Chriſti Domini Joann. cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua , &c.* probatur neceſſitas abſoluta , & generalis hujus Sacramenti , ut patet ex Decreto Concilii Tridentini , *ſeſſ. 5. §. ſi quis parvulos :* ubi in fine , dicitur : Propter hanc
„ enim Regulam Fidei ex Traditione Apo-
„ ſtolorum , etiam parvuli , qui nihil pec-
„ catorum in ſemetipſis adhuc committere
„ potuerunt , ideò in remiſſionem peccato-
„ rum veraciter baptizantur , ut in eis Re-
„ generatione mundetur , quod Generatio-
„ ne contraxerunt ; niſi enim quis renatus
„ fuerit ex aqua , & Spiritu-Sancto , non po-
„ teſt introire in Regnum Dei . Hæc Con-
„ cilium .

Dicere igitur , vel putare , aliquos parvulos in neceſſitate extrema poſitos , poſſe ſalvari ſine Baptiſmo in re , ob votum , vel Fidem , aut ob aliam ſpecialem ſuorum Parentum devotionem , eſt ponere , aut imaginari exceptionem ſingularem (ſine fundamento) ab illa Regula , vel Lege generali , quam Dominus Jeſus Chriſtus , fecit , & promulgavit . Vide P. Antonium de Eſcobar , *Theol. Moral. libr. 11. ſect. 1. num. 12.*

55 *Ad rationem autem dubitandi* , reſpondetur : Baptiſmum in voto ſufficere in adulto peccatore ſe pœnitente (contritione perfecta ,) imò & Martyrium ob Chriſti amorem toleratum : quia iſtæ duæ exceptiones ſunt fundatæ tum in Scripturis Sacris , tum in Sanctis Patribus , tum in definitionibus Conciliorum Generalium . Tum quia , patet apertiſſimè diſparitas inter votum Parentum infantis morientis , & votum adulti pariter morientis ſine Sacramento in re ; nam vota Parentum nihil diſpoſitionis cauſant in puero uſu rationis carente , votum autem adulti eſt ex parte ſua efficax , ponitque ſaltem de congruo diſpoſitionem ad ſuam Juſtificationem , & ſalutem ; ergo , &c.

Item , Fides Catholica (ut patet ex Concilio Tridentino , *ſeſſ. 7. can. 13.* de Baptiſmo) nos docet , parvulos validè baptizari in ſola Fide Eccleſiæ : nunquam autem docuit , nec docet , hanc Fidem ſolam , aut Parentum , aut Eccleſiæ ſufficere pro ſalute parvulorum ſine Baptiſmo reali morientium ; nam tunc plus valeret Fides , quàm Sacramentum ipſum ; vel ſola Fides ſufficeret ad Juſtificationem , quod eſt damnatum à Concilio prædicto , *canon. 8. de Sacrament. in genere* . Ubi dicitur : *Si quis dixerit , ſolam Fidem Divinæ Promiſſionis ad Gratiam conſequendam ſufficere ; anathema ſit* . 56

Dices . Ergo *tot parvuli Fidelium Chriſtianorum , qui ſine Baptiſmo in re ſuſcepto moriuntur , ſine culpa , & ſine cauſa damnantur* . 57

℞. Nego peſſimam hanc conſequentiam , & illationem ; quia ſi damnantur (hoc eſt , ſi pœnam damni ſuſtinent) ideò damnantur , quia habent culpam originalem . Peccatum enim primi Parentis Adami , non ſibi ſoli , ſed ejus filiis nocuit ; nam Adæ peccatum etiam unicuique noſtrum , *proprium eſt* ; ergo ex culpa quodammodò ſua damnantur . Lege Concilium Trid. *ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali* . Ubi plura ad propoſitum .

Audi tandem D. Auguſtinum , *lib. de bono Perſeverantiæ , capit. 8.* dicentem : Non ſimus ingrati , quòd ſecundùm placitum Voluntatis ſuæ , in laudem Gloriæ Gratiæ ſuæ tam multos (etiam infantes) liberat Miſericors Deus de tam debita perditione ; ut ſi inde neminem liberaret , non eſſet injuſtus ; ex uno quippè (homine) omnes in condemnationem , non injuſtam , judicati ſunt ire , ſed juſtam . Qui ergo liberatur , Gratiam diligat ; qui non liberatur , debitum agnoſcat . *Hæc Auguſtinus* . Vide plura ad propoſitum apud P. Boſco noſtrum , *diſp. 2. de Baptiſm. ſect. 4. concluſ. 2. per totam.* 58

Quæro XVII. *Adultus peccator ſolùm attritus cum voto , vel deſiderio Baptiſmi , poteſtne juſtificari , aut ſalvari ?*

℞. Ne-

59 ℞. Nequaquam; quia Attritio ſine Sacramento *in re* ſuſcepto non eſt ſufficiens diſpoſitio ad Gratiam. Ut patet *ex Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Vide Layman, *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 6.

Quæro XVIII. *Sacerdos vocatus ad baptizandum adultum infidelem, & ſimul eodem tempore ad abſolvendum Fidelem in periculo mortis conſtitutos, ad quemnam debet priùs ſe transferre?*

60 ℞. Debet ſe reſolvere prudenter, & accurrere ad infidelem; quia iſte magis indiget Sacramento, & inſtructione ad ſalutem æternam conſequendam; quod à fortiori faciendum eſſet, ſi vocaretur *ad baptizandum infantem*; quia iſte nullo pacto poteſt ſe adjuvare pro ſalute Animæ; ut patet intelligenti; Lex enim Charitatis nos obligat, ad ſuccurrendum extremè indigenti: & magis periclitanti, &c.

TRACTATUS XLIII.

DE SACRAMENTO Confirmationis.

1 SEcundum locum inter Sacramenta novæ Legis obtinet Confirmatio; nam Concilium tam Florentinum in Decreto Unionis, tam Tridentinum, ſeſſ. 7. ponunt hoc Sacramentum immediatè poſt Baptiſmum; & ratio aſſignatur ab Eugenio Quarto: quia, inquit, per Baptiſmum Spiritualiter renaſcimur: per Confirmationem verò augemur in gratia, & roboramur in fide. Quare antiquitùs poſt Baptiſmum conferebatur adultis, & parvulis ſtatim Sacramentum Confirmationis, tamquam quædam Baptiſmi conſummatio. De hoc ergo Sacramento pauca quæramus, & ſolidè reſolvamus. Igitur.

Quæro I. *Quare hoc Sacramentum vocatur Confirmatio?*

2 *Reſpondeo*. Nomen *Confirmationis* impoſitum fuit huic ſecundo Sacramento propter illud Apoſtoli dictum 2. Corinth. capit. 1. v. 21. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, &c.* eoque nomine à primis Eccleſiæ temporibus uſus fuit Papa Clemens Romanus, libr. 3. Conſtit. Apoſtol. cap. 17. ubi definiens hoc Sacramentum, ait: *Unguentum eſt Confirmatio Confeſſionis, ſeu Profeſſionis Fidei.*

Quæro II. *Quomodo definitur à Theologis Confirmatio?*

3 ℞. Sic: Eſt Sacramentum novæ Legis, quod baptizatis confertur ab Epiſcopo per Sacri Chriſmatis unctionem in fronte, ſignificans unctionem Animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum fiducia Fidem Chriſti.

Quæro III. *Quandonam fuit inſtitutum?*

4 ℞. In ultima cœna facta à Chriſto Domino cum Apoſtolis ſuis; & hoc habetur in Epiſt. 2. cap. 1. Fabiani Papæ: ibi: In illa die Dominus Jeſus, poſtquàm cœnavit cum Diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut à Sanctis Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit: *Hæc ibi*.

Sed ad quid docuit, niſi ad uſum hujus Sacramenti? Ergo credibile eſt, tunc etiam præſcripſiſſe formam; maximè cùm ſecundùm communem phraſim in libris Eccleſiaſticis, & Catechiſmis *Chriſma*, & *Confirmatio* idem ſignificant Sacramentum; ergo tunc inſtituit, &c.

5 *Dices*. Multiplex eſt uſus Chriſmatis in Eccleſia Dei, nempe in Confirmatione, Ordinatione, conſecratione Baſilicarum, Altarium, Sacrorum vaſorum; potuit ergo Chriſtus doctrinam *de Chriſmate* ad alias functiones tradere, & non ad hoc Sacramentum.

℞. Potuit: concedo; ſed unde tibi conſtat id feciſſe, & non potiùs contrarium, quando nulla ſit ratio aſſerendi alias Chriſmationes, præter Confirmatoriam à Chriſto immediatè eſſe inſtitutas? Quo ergo fundamento poſſumus interpretari verba Fabiani Papæ de aliis Chriſmationibus non neceſſariis ad valorem Sacramentorum, & re-

& relinquere propriam interpretationem de Chriſmate, materia Sacramenti? Aliæ Sacræ unctiones prædictæ ſunt meræ poteſtatis Eccleſiæ, materia autem Sacramenti, nequaquam, ſed tantùm Juris Divini; ergo cùm ſolus Chriſtus potuerit inſtituere materiam hujus Sacramenti, quæ eſt Chriſma, ly *Chriſma* debet ſumi propriè pro materia, vel pro Sacramento Confirmationis; ut probat noſter P. Boſco, *diſputat. 3. ſect. 1. concluſ. 2. de Sacram.*

Quæro IV. *Quænam eſt materia hujus Sacramenti?*

6 ℟. Materia remota eſt Chriſma compoſitum ex oleo olivarum, & balſamo, & Sanctificatum ſpecialiter ab Epiſcopo. Ita Scotus, *4. diſt. 7. qu. 1.* Et Concil. Florentinum in Decreto Unionis: ubi etiam explicat ſignificationem Chriſmatis compoſiti, &c. dicens: *Confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat Conſcientiæ, & Balſamo, qui odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto.*

Materia autem proxima eſt unctio facta in fronte in figura Crucis cum Chriſmate ſanctificato, vel benedicto.

Quæro V. *Ad valorem hujus Sacramenti eſtne neceſſaria benedictio Chriſmatis facta ab Epiſcopo?*

7 ℟. Quòd ſic: & hoc ex traditione Eccleſiæ à temporibus Apoſtolorum ad hoc noſtrum uſque ſæculum derivata per diverſos ſucceſſivè Pontifices, Concilia, & Sanctos Patres, ut patet ex Epiſt. cit. Fabiani Papæ: in qua etiam præcipit, ſingulis annis novum Chriſma conſecrari: Valere tamen etiam vetus, docent aliqui DD. & dant hanc rationem; quia nulla fit mentio hujus renovationis in Concilio Florentino in Decr. cit.

Quæro VI. *Quare unctio Chriſmatis fit in fronte?*

8 ℟. Ideò in fronte fit, ubi verecundiæ ſedes eſt, ne Chriſti nomen quis confiteri erubeſcat, & præcipuè Crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia: propter quod etiam ſigno Crucis ſignatur. Ita Conc. Florent. de hoc Sacramento §. *effectus autem.*

Quæro VII. *Quænam eſt ejus forma?*

9 ℟. Ordinaria eſt hæc: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis: in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.* Ut habetur in Pontificali Romano Clementis Octavi.

Quæro VIII. *In primitiva Eccleſia eſtne certum, quòd Apoſtoli aliquando confirmarent Fideles per manuum impoſitionem?*

℟. P. Joannes Boſco dicit, & probat, 10
quòd nec ratio, nec authoritas convincit, hoc eſſe certum. Vide cit. Auth. *diſp. 3. ſect. 1. concl. 7. per totam.*

Quæro IX. *Quiſnam eſt idoneus Miniſter hujus Sacramenti?*

℟. Ordinarius Miniſter Confirmationis 11
eſt omnis, & ſolus Epiſcopus legitimè conſecratus. Ut habetur *in Concilio Florentino, loc. cit.* Et in *Tridentino, ſeſſ. 7. can. 3. de hoc Sacram.* Et ante iſta Concilia hoc ſtatuit Innocentius Papa Tertius, *cap. unico, extrà. de Sacra Unction. §. Per frontis Chriſmationem*; ibi: « Unde cùm cæteras Unctiones ſimplex Sacerdos, vel Presbyter valeat exercere, hanc (Confirmatoriam) non niſi Summus Sacerdos, ideſt, Epiſcopus debet conferre. »

Ut autem quis non ſolùm validè, ſed 12
etiam licitè Sacramentum hoc adminiſtret, præter poteſtatem Ordinis Epiſcopalis, etiam requiritur poteſtas Juriſdictionis. Unde Epiſcopus confirmans alienos ſubditos, abſque licentia Ordinarii illorum, vel confirmans in aliena Diœceſi ſine licentia pariter Ordinarii loci, peccat mortaliter. Ut probat P. Boſco, *loc. cit. diſp. 3. ſect. 2. concl. 3. per totam.*

Relinquo alias difficultates data opera; quia non judico eas neceſſarias, nec utiles Confeſſario tyroni, nec Clericis Ordinandis, ſed potiùs Confeſſario Epiſcoporum, ac Theologo ipſorum, &c.

Quæro X. *Quænam in particulari ſunt neceſſaria diſpoſitiones ad validè, & licitè ſuſcipiendum hoc Sacramentum?*

℟. *1.* Omnis, & ſolus baptizatus non 13
confirmatus validè ſuſcipit Sacramentum hoc Confirmationis. Eſt communis ſententia DD. Probatur tamen: omnis enim homo baptizatus, parvulus ſit, vel adultus, ſanæ mentis, vel amens, benè valens, vel infirmus, imò etiam ſtatim moriturus, omnis, inquam, homo baptizatus eſt capax Characteris, gratiæ habitualis, Sacramentalis, atque aliorum auxiliorum, quæ hoc Sacramentum confert ad Fidem conſtanter confitendam, ergo, &c.

Quamvis enim infantes tempore infan- 14
tiæ, & amentes tempore amentiæ non ſint proximè capaces auxilii actualis ad Fidem conſtanter profitendam, & confitendam;

dam; ſunt tamen capaces remotè, puta, ex vi ſtatus viatoris; & ideò, quantùm ad Jus, poſſunt obtinere illa auxilia Divina ex virtute Sacramenti: ac tempore opportuno adveniente, illa habebunt; quando videlicet infantes pervenerint ad ætatem adultam, & amentes ad ſanam redeant mentem, & morituri ſupervivant, illiſque ſe offerat occaſio profitendi, & confitendi Fidem Chriſti.

15 ℞. *II.* Ut Chriſtianus licitè Confirmationis Sacramentum ſuſcipiat, debet eſſe in ſtatu Gratiæ. Patet ex dictis de Sacramentis Vivorum quorum unum eſt hoc; omnia autem Sacramenta Vivorum per ſe requirunt ſtatum Gratiæ; ergo & hoc. Tum quia Pontificale Romanum Titulo de Confirmandis, dicit: *Adulti deberent priùs peccata confiteri, & poſtea confirmari., vel ſaltem de peccatis, quæ admiſerunt, doleant*: nempe per veram contritionem.

16 ℞. *III.* Nullo generali præcepto Eccleſiæ decernitur ætas annorum ſeptem, vel plurium ad licitè ſuſcipiendam Confirmationem; ut fundatiſſimè, (more ſolito) probat noſter P. Boſco, *diſp. 3. ſect. 3. à num. 5. & ſeqq.*

17 ℞. *IV.* Cæterùm, cùm hoc non ſit Sacramentum neceſſitatis, ſi conſuetudo, aut Diœceſana Synodus obtineat, ut parvuli ante uſum rationis non confirmentur, excuſabitur Epiſcopus nolens eos confirmare, & per conſequens Parentes, Tutores, ac Curatores, ſi eos non deferant ad confirmandum.

18 ℞. *V.* Poterit tamen Epiſcopus ob aliquam rationabilem cauſam, præſertim quando non confirmati nunc temporis per multos annos expectare deberent novam occaſionem viſitationis Epiſcopalis, conferre hoc Sacramentum parvulis ante ſeptennium; & conſequenter Parentes eorum poterunt eos deferre ad recipiendam Confirmationem. Sic enim ſtatuit Concilium Provinciale Mediolanenſe V. part. 2. tit. de Confirm. ibi: Si Epiſcopus ob aliquam cauſam juſtam (atque adeò neceſſariam) parvulo, & infanti, qui non modò eam ætatem (ſeptennii) expleat, ſed nec attingat quidem, miniſtrandum aliquando (hoc Sacramentum) cenſuerit, &c. non eſt vetitum.

19 *Quare* P. Boſco *cit. num. 7.* cum Suarez, & aliis DD. dicit; Sine ſcrupulo affirmo, in locis remotioribus, ad quæ rarò veniunt Epiſcopi, præſtare, uſum rationis prævenire, quàm poſtea defectu occaſionis debere diu differre hoc Sacramentum, & aliquando omninò omittere. — Quæ autem Infantium, eadem eſt ratio amentium.

Hoc ſatis conſtat ex verbis Catechiſmi Romani, *part. 2. cap. 3. qu. 14.* ibi: Illud etiam obſervandum eſt, omnibus quidem poſt Baptiſmum poſſe adminiſtrari Sacramentum Confirmationis; ſed minùs tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint; quare ſi duodecimus annus expectandus non videatur: uſque ad ſeptennium certè hoc Sacramentum differre maximè convenit: *hæc Catechiſmus.* 20

Ubi, cùm dicat, *maximè convenit*: ſatis excludit obligationem ſtrictam: Convenit ergo, ubi alia ratio neceſſitatis non urgeat, expectare ſeptennium, tum ut pueri cum majori reverentia, & utilitate hoc Sacramentum ſuſcipiant, tum etiam ut recordentur, ſe confirmatos fuiſſe, ut evitetur periculum iterationis; tum quia ab illa ætate incipit tempus luctæ, & agonis contra inimicos, (carnem nempe, mundum, & diabolum,) in qua pugna armis militiæ Chriſtianæ, characteris virtute, & auxiliis Gratiæ Sacramentalis indui, & roborari debemus, ac reſiſtere fortes in Fide, ac ipſam Fidem factis profiteri.

℞. *VI.* Per ſe loquendo nemo obligatur, ſaltem graviter, ad ſuſcipiendam Confirmationem: benè quidem per accidens, ratione ſcandali, aut contemptus, aut alterius circumſtantiæ, V. G. inſtante certamine Fidei. Ita ex Scoto, *4. ſent. diſt. 7. qu. 2.* & cum communi probat P. Boſco, *cit. diſp. 3. ſect. 3. concluſ. 4.* & patet ex dictis *de Sacram. in genere, num. 23.* 21

Dices. Melchiades Papa in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniarum, cap. 2. relatus de Conſecr. diſt. 5. ait: *Et quamvis continuò tranſituris ſufficiant Regenerationis Beneficia* (ideſt Baptiſmus;) *victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia*; ergo Confirmatio erit neceſſaria, &c. 22

℞. Cum Boſco citato: Papa non ait: neceſſaria eſt Confirmatio, ſed *Confirmationis auxilia*, quæ aliunde haberi poſſunt, puta per Orationem, & alia opera bona; item per frequentem ſumptionem Euchariſtiæ; quamvis valdè congruum ſit, & quodammodò neceſſarium *ad melius eſſe*, ea auxilia infallibiliter conſequi per hoc Sacramentum, tamquam per opus operatum

ratum à Chriſto, & ad hunc finem ordinatum. Quoniam verò Sacramentum hoc facillimum eſt, & præſtantiſſimum, infallibiliter ſubminiſtrans arma ſpiritualia ad pugnandum contra adverſarios Fidei, ipſa ratio (fide illuſtrata) dictat, quàm maximè conveniens eſſe, quemlibet Fidelium his ſe induere armis, ſi non neceſſariis omninò, utillimis tamen ad vincendum.

23 Hinc nolo difficilis eſſe in admittendo aliquo peccato, veniali ſaltem cujuſdam prodigalitatis ſpiritualium donorum, quando quis, opportunitate oblata, negligit ſuſcipere hoc Sacramentum; quia tunc ſine ulla cauſa privat ſe ipſum magnis auxiliis, & bonis ſpiritualibus. Vide etiam Catechiſmum Romanum, *part. 2. qu. 13. in fine*: ubi perſpicies nullam fieri mentionem ſtrictæ obligationis ad hoc Sacramentum.

Quæro XI. *Qui acciperet primam Tonſuram, & cæteros Ordines ſine Confirmatione, peccaretne mortaliter?*

24 ℟. Reſolutio hujus Quæſiti pendet ab intelligentia unius Textus Concilii Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. de Reform. ubi ſic habetur: *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint*. Hæc verba videntur continere rigoroſum præceptum; ad quem tangit, aut ad quem dirigitur? Si ad utrumque, ideſt, tam ad initiandos, quàm ad Miniſtrum initiantem; tunc dico, ſi ſcienter faciant, peccant. Mortaliter? Eſt controverſia inter DD. Qui enim agnoſcunt gravitatem materiæ, dicunt, mortaliter peccare, &c. qui autem non agnoſcunt niſi levitatem materiæ, dicunt, peccare venialiter. Jam autem plerique DD. (apud Boſcum noſtrum, *diſput. 3. ſect. 3. concluſ. 5. num. 45. & 46.*) æſtimant, inverſionem ordinis inter Sacramentum Confirmationis, & Sacramentum Ordinationis eſſe materiam levem; ergo, &c. Item Summa Armilla *V. Confirmatio Sacram.* dicit: Qui ordinandi ſunt, priùs debent confirmari; quia Ordo præſupponit Characterem Confirmationis, non de neceſſitate, ſed de congruentia, ſecundùm D. Thom. *4. ſent. diſt. 24. qu. 1. art. 2. & quolib. 4.* — Vide etiam Anacletum noſtrum, *tract. 14. diſt. 3. quæſt. 5. numer. 48. & 49.*

Quæro XII. *Sacramentum Confirmationis poteſtne iterari?*

25 ℟. Nequaquam: ut patet ex dictis *de Sacram. in genere, n. 24.* Idquè nec licitè, nec validè. Qui autem temerè reiteraret, peccaret mortaliter peccato Sacrilegii, at non fieret Irregularis; quia nullibi in Jure Can. reperitur expreſſa talis pœna. V. Anacletum, *loc. cit. num 53.*

Quæro XIII. *In ſuſceptione hujus Sacramenti debetne adhiberi Patrinus?*

℟. Quòd ſic: tum ex perpetua praxi 26
Eccleſiæ: tum *ex cap. Pervenit. 36. qu. 1.* tum ex Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 2. de Reform. Matrim.*

Et iſte debet eſſe unus tantùm: diver- 27
ſus à Patrino Baptiſmi: qui confirmatus eſſe jam debet: *ex cap. in Baptiſmate*: & *cap. in Catechiſm. de conſecr. diſt. 4.* Unus Patrinus pro maſculo confirmando: Una Matrina pro fœmina confirmanda: *prout habetur in Pontificali Romano.*

Quæro XIV. *Si quis non confirmatus ſuſciperet confirmandum, quid incurreret?*

℟. Iſta ſuſceptio foret invalida; ideò- 28
que ſuſceptor non contraheret affinitatem; peccaret tamen mortaliter, ſi hoc ſcienter faceret. Ita plures DD. ut Suarez, Sylvius, Nugnus, & alii apud Dianam coordin. *tom. 1. tract. 1. reſol. 21. num. 2.* Quia hæc Cæremonia eſt gravis, & pro gravi recepta ab Eccleſia; ergo, &c.

Quæro XV. *Suſceptor, aut Patrinus ſi in ſtatu peccati mortalis ſuſcipiat aliquem baptizandum, aut confirmandum, peccatne?*

℟. Non peccat mortaliter; quia non eſt 29
Miniſter Sacramenti, ſed veluti aſſiſtens Sacramento; quoniam verò id aliquam involvit irreverentiam Sacræ functioni, facilè poterit eſſe culpa venialis.

Quæro XVI. *Ordinandus non confirmatus afferens dimiſſorias ſui Epiſcopi, ut ab alio ordinetur, poteritne ante Ordinationem confirmari ab illo extraneo Epiſcopo?*

℟. Affirmativè; quia qui concedit fi- 30
nem, concedit etiam conſequenter neceſſaria, vel convenientia ad illum finem; at Confirmatio præmittenda eſt Ordinibus ex Concilio Tridentino; ergo Epiſcopus dans dimiſſorias pro Ordinibus, cenſetur dare licentiam pro Confirmatione. Ita Zambranus, Henriguez, Fagundez, Laymannus cum Diana coord. *tom. 1. tract. 2. reſol. 12.*

Quæro XVII. *Poteſtne non confirmatus ſine aliqua culpa ſuſcipere alia Sacramenta?*

℟. Suppono, quòd iſte jam ſit baptiza- 31
tus; & dico, quòd (excepta Ordinatione, de qua *ſuprà, num. 24.* vidimus, non eſſe licitum, &c. ut etiam cum multis DD. probat Quintanadvenas, *tract. 2. ſin-*

Digitized by Google

gulare 4.) nulla adeſt obligatio præmittendi Confirmationem ante receptionem aliorum quinque Sacramentorum; ergo, per ſe loquendo, poterit quis ſine aliqua culpa (ex hoc capite) ſuſcipere alia Sacramenta. Ita Suarez, Granadus, Zambranus, Leander, Præpoſitus, Diana cum Quintanadvena, in tomo, cui titulus: *Singularia Theol. Moral. de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis: ſingul. 4. tract. 2. num. 1.*

Quæro XVIII. *Poteſtne licitè unus eodem die, eademque functione eſſe Patrinus plurium confirmandorum?*

32 ℞. Pontificale Romanum decernit ſic: *Nullus præſentet niſi unum, aut duos, non plures*; ergo ſtandum eſt huic rubricæ Eccleſiaſticæ, ſive præceptivæ, ſive directivæ; aliàs confunderentur omnes functiones, & unaquæque ſine lege, vel regula vagaretur, contra illud Apoſtoli ad Roman. 13. v. 1. *Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt.*

Quæro XIX. *Eſtne licitum in Confirmationis tempore nomen in aliud nomen commutare?*

33 ℞. Cum aliquali cauſa erit licitum: V. G. ex ſingulari devotione in aliquem Sanctum: vel propter averſionem, quam habes ad tuum nomen, ut puta quia eſt de nominibus Ethnicorum, aut Hebræorum, aut Sanctorum incognitorum; prout habetur in Decretis Synodalibus Provinciæ Mediolanenſis, *lib. 3. tit. 27. cap. 36.* Spectat autem nominis mutatio ad Epiſcopum, aut Parochum. Hæc tandem mutatio debet notari à Parocho in Libro Baptizatorum propter multas (quæ inde poſſent oriri) lites evitandas. Etenim etiam omnes Parochi tenentur ſcribere nomina eorum, qui in ſua Paræcia confirmantur, & Confirmatos ſuſcipiunt. Sicut benè probat Poſſevinus *de Officio Curati, cap. 12. num. 43.* & Barboſa *de Parocho, cap. 7. num. 16.*

Quæro XX. *Quare Epiſcopus dat alapam Confirmato, & dicit: Pax tecum?*

34 ℞. Ut intelligat Confirmatus, ſe contra ignominiam, & verbera (pro Chriſti imitanda patientia) armandum: & etiam in memoriam Sacramenti ſuſcepti; ut dicit Filliucius, *Tract. 3. num. 62.* Vel ad deſignandos effectus hujus Sacramenti.

Quæro XXI. *Quinam ſunt effectus Sacramenti Confirmationis?*

35 ℞. Varii; ſed præcipui ſunt I. Conferre augmentum Gratiæ ſanctificantis. II. Imprimere characterem ſpecie diverſum à charactere Baptiſmi. III. Conferre ſpecialia auxilia gratiæ *ad feliciter, & fortiter conſummandum certamen Fidei*; ut habetur ex Concilio Florentino in Decreto Union. ibi: *Effectus autem hujus Sacramenti* (Confirmationis) *eſt, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur Nomen.*

Unde Sancti Patres vocant hoc Sacramentum *Perfectionem Baptiſmi*: quo nimirùm accepto cenſetur homo fieri plenus, & perfectus Chriſtianus; non quòd homo tunc ſit ita perfectus, quin in gratia, & perfectione poſſit, ac debeat ſemper uſque in finem vitæ magis, magiſque perfici, & augeri, tum per bona opera, tum per alia Sacramenta, ſignanter SS. Euchariſtiam; ſed quia complet, ac perficit virtutem Baptiſmi. 36

Petes. *Quare dicitur dari Spiritus-Sanctus in hoc Sacramento?*

℞. Quia in primitiva Eccleſia tempore Apoſtolorum per hoc Sacramentum dabatur cum viſibili deſcenſu Spiritus Sancti Virtus, & robur ad Chriſti nomen confitendum: & quia in eo datur plenitudo Spiritusſancti ſecundùm jam dictam perfectionem. 37

Petes. *Quare ab aliquibus Patribus hoc Sacramentum nominatur, & dicitur majori veneratione dignum, quàm Baptiſmus?*

℞. Quia à Majoribus Miniſtris fit, id-eſt, à Summis Sacerdotibus, ſeu Epiſcopis confertur; non autem propter majorem, vel abundantiorem Gratiam ex ſe. 38

Quæro XXII. *Confirmatio eſtne Sacramentum nobilius Baptiſmo?*

℞. Poteſt dici nobilius ſecundùm quid: ratione ſcilicet nobilioris Miniſtri, & Materiæ; ſed non eſt ſimpliciter nobilius. Unum enim Sacramentum poteſt dici nobilius alio ob diverſos reſpectus, vel ex parte miniſtri, vel ex parte materiæ, vel ex parte effectus. Dignitas autem principalis, & (ut ſic dicam) ſubſtantialis eſt illa, quæ deſumitur à fine, vel effectu Sacramenti; quia formalis ratio Sacramenti conſiſtit in ratione ſigni practici; ſigni autem practici dignitas deſumitur ex ſignato, ſeu ſignificato, quod per tale ſignum fit, vel efficitur, aut cauſatur. Reſpice ergo ſignata; & quod nobilius erit, indicabit nobilius Sacramentum. 39

Inter ſignata nobiliſſimum eſt Corpus Chriſti verum, quod ſignatur à Sacramento 40

mento Euchariſtiæ; ergo Euchariſtia erit nobiliſſimum Sacramentum. Poſt hoc: ſignata ab aliis Sacramentis ſunt Gratiæ ſanctificantes; ergo ubi erit major Gratia ſanctificans, ibi erit nobilius Sacramentum; ergo major, aut minor abundantia Gratiarum denotat magis, vel minùs nobile Sacramentum.

41 Poteſt & ex alio reſpectu argui nobilitas Sacramenti, nempè *à neceſſitate*; & tunc illud erit nobilius, quod eſt magis neceſſarium. At iſta nobilitas eſt veluti per accidens, & extrinſeca, ut patet ſpeculanti: ſicut V. G. panis, & ſol; panis ad vivendum, ſol ad videndum eſt neceſſarius; major tamen eſt neceſſitas panis, quàm ſolis. Applica ad propoſitum. *Hæc ſufficiant pro Compendio*.

TRACTATUS XLIV.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

1 POſtquam tractavimus de *Baptiſmo*, quo regeneramur in Chriſto, & de *Confirmatione*, qua roboramur in Fide Chriſti, ſequitur hic agendum de Sanctiſſimo *Euchariſtia* Sacramento, quo nutrimur Divina alimonia, & in bono ſupernaturali conſummamur. Unde excellenter hoc Sacramentum *Euchariſtia* nominatur, ideſt, *bona Gratia*: quia in iſto cœleſti convivio non modò habetur augmentum virtutis, & Gratiæ, quemadmodum in cæteris Sacramentis Vivorum, ſed realiter continetur, & ille totus ſumitur, qui eſt fons, & origo totius Gratiæ, Dominus, ſcilicet, noſter JESUS CHRISTUS verus Deus, & homo: Quoniam autem *Euchariſtia* poteſt conſiderari vel ut Sacramentum, vel ut Sacrificium unicum novæ legis, hinc eſt, quòd de utraque ſignificatione breviter tractandum erit. Igitur

Quæro I. *Quid eſt Sacramentum Euchariſtia?*

2 *Reſpondeo*: Eſt Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti veraciter contenti ſub ſpeciebus panis, & vini poſt conſecrationem factam à Sacerdote ſub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex inſtitutione Divina veraciter ſignificans Corpus Chriſti, & ſanguinem ſub eis ſpeciebus realiter contineri. Ita ex Scoto 4. *diſt.* 8. *qu.* 1.

Breviùs: eſt Sacramentum Altaris, quod ex pane, & vino conficitur, ex D. Thoma 3. *part. quæſt.* 73. *art.* 1. -- *Vel*, eſt Sacramentum, quod ex ſpeciebus panis, & Corpore Chriſti conſtituitur. Ex eodem D. Thom. *in* 4. *diſt.* 7. *qu.* 1. *art.* 1.

Vel, eſt Sacramentum ſanctiſſimi Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, ad ſpiritualem Animarum refectionem divinitùs inſtitutum. Ex Laymanno, *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 1.

Quæro II. *Euchariſtia eſtne unum, vel duo Sacramenta Corporis, & Sanguinis Domini?*

℞. Eſt unum ſimpliciter, & abſolutè; 3
non quidem unitate indiviſibilitatis, ſed unum unitate integritatis, & perfectionis; alioquin ſi duo dicerentur Sacramenta Euchariſtiæ, non eſſent amplius ſeptem, ſed octo Sacramenta, quod eſſet contra decretum, & doctrinam catholicam Concilii Tridentini, *ſeſſ.* 7. *can.* 1. *de Sacram.* Eſt ergo unum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini ſub ſpeciebus panis, & vini; ſeu ſpecies panis, & vini ſunt unum tantùm Sacramentum, quarum ſingulæ ſpecies ſunt verum Sacramentum; quia, (ut docet Concilium Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 3.) ſub altera tantùm ſpecie ſive panis, ſive vini, totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumimus.

Quæro III. *Quandonam fuit inſtitutum hoc excellentiſſimum Sacramentum?*

℞. In ultima cœna, quam Chriſtus fecit cum Diſcipulis ſuis. Ut habetur clariſſimè in Euangeliis Matth. capit. 26. Marci cap. 14. -- Lucæ c. 22. in epiſt. 1. ad Corint. cap. 11. in Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. -- & in Canone Miſſæ. *Qui pridie, quàm pateretur. Et ſimili modo &c.* 4

Quæro IV. *Eratne præſens tunc Judas proditor?*

℞. Quòd ſic: & habetur in Euangel. 5
Marci

Marci c. 14. *Veſpere autem facto venit cum duodecim . . . Et diſcumbentibus eis, & manducantibus, &c.* Conſonat Eccleſia in Hymno Corp. Chr. *Cibum turbæ duodenæ ſe dat ſuis manibus.*

Quæro V. *Quare inter quatuor Euangeliſtas ſolus S. Joannes omiſit hiſtoriam Inſtitutionis hujus Venerabilis Sacramenti?*

6 ℞. Quia ipſe poſt alios ſcripſit ſuum Evangelium, in quo multa ab aliis omiſſa ſupplevit; tum quia jam cap. 6. pronunciaverat expreſsè futuram Inſtitutionem quam poſtea vidit ab aliis fuiſſe hiſtoricè, benèque declaratam.

Quæro VI. *Quænam eſt materia hujus Sacramenti?*

7 ℞. Materia remota, ſeu *ex qua* eſt duplex: una eſt panis pro conſecrando Corpore: altera eſt vinum pro conſecrando Sanguine, ut omnibus notum eſt, & patet ex Euangeliis l. c. & Conc. Trid *ſeſſ.* 13. 21. & 22. ubi de hoc Sacram. loquitur.

8 *Dices*. Euangeliſtæ Matthæus, Marcus, & Lucas faciunt quidem expreſſam mentionem de materia panis: at non ſic de materia vini, dicunt enim ſolùm *Accipiens Calicem*: at non dicunt, quòd vino eſſet plenus ille Calix.

℞. Lege totum capitulum 26. *Matthæi*, & invenies quid eſſet in illo Calice: ibi enim *verſ.* 29. dicitur à Chriſto: *Dico autem vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis, &c.* Genimen, vel generatio vitis quid eſt, niſi vinum?

Quæro VII. *Quare Chriſtus uſus eſt tali materia pro hoc Sacramento?*

9 ℞. Ratio principalis eſt: quia cùm hoc Sacramentum ſit ſignum nutrimenti ſpiritualis, in illa materia congruè inſtituitur, quæ ſolet eſſe ſignum principalis nutritionis corporalis; principale autem nutrimentum hominis, quantùm ad cibum, eſt panis triticeus, quantùm verò ad potum, vinum de vite; ergo &c. Ita Scotus *in diſt.* 4. 11. *q.* 6.

Quæro VIII. *Quare vino conſecrando miſcetur modiciſſima aqua?*

10 ℞. Lege Concilium Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 7. Quia ſic creditur, quod Chriſtus Dominus fecerit; & ob alias cauſas ibi expreſſas.

11 Hoc autem fieri debet ſolo præcepto Eccleſiæ, ſub gravi tamen obligatione: ut probat noſter Boſco, *diſput.* 4. *ſect.* 2. *concl.* 5. *per totam*.

12 Hæc igitur mixtio aquæ non eſt de neceſſitate, nec valore Sacramenti; ut colligitur ex Conciliis, &c. & ex Rubricis Miſſalis Romani *Tit. de Defectibus, cap.* 4. *num.* 8.

13 Illa autem modiciſſima aqua poſita in Calice non convertitur in ſanguinem, niſi priùs converſa fuerit in vinum. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 7. & D. Thomas, 3. *p. q.* 73. *art.* 8.

Quæro IX. *Quomodo materia conſecrationis debet eſſe præſens Sacerdoti conſecranti?*

14 ℞. Ita debet eſſe præſens propriiſſimè, ut non ſit opus ad eam demonſtrandam ulteriori ſigno, quàm per pronomen *hoc*, & *hic*. Ratio eſt: quia Chriſtus conſecravit materiam taliter ſibi præſentem, quòd per ſolum pronomen *hoc*, independenter à diſcurſu, nutibus, aliiſque circumſtantiis aut ſignis, poſſet demonſtrari Diſcipulis ibi præſentibus, &c. materia conſecranda.

15 *Quapropter* Quando hoſtiæ, vel particulæ in Pixide, vel alio Calice conſecrandæ ſunt, diſcooperiat Sacerdos manu dextera Pixidem, vel Calicem, antequàm proferat verba Conſecrationis ad clariorem, & tutiorem hoſtiarum demonſtrationem; nam cùm hic agatur de valore Sacramenti, ſeu de valida Conſecratione, pars ſecura, & certa eligenda eſt: & conſequenter non eſt admittenda quorumdam DD. opinio in contrarium; propter propoſitionem primam ex damnatis ab Innocentio Papa Undecimo.

16 *Requiritur autem* ad validam conſecrationem aliqua ſenſibilitas materiæ conſecrandæ; quia quod non eſt ſenſibile in ſe, vel in alio præſenti, nequit ſenſibiliter demonſtrari per ly *hoc*. Sufficit autem ſenſibilitas Majoris partis materiæ, ut tota ſimul validè conſecretur; quia ſufficit, ut totum demonſtretur per pronomen *hoc*, & *hic*. Hoc dico propter conſecrationem cumuli hoſtiarum, aut particularum ſuper Aram, vel Corporale expoſitarum; non eſt enim neceſſe, ut omnes videantur, &c. ſufficit, quòd ſint viſibiles.

17 *Item requiritur* determinatio materiæ, ut verificetur illud pronomen *hoc*. Unde inferunt communiter DD. eum Sacerdotem, qui ex decem V. G. hoſtiis præſentibus vult ſolùm conſecrare octo, non deſignando illas, nullam conſecrare, quia vel omnes demonſtrantur per ly *hoc*, vel nulla; non omnes; quia Sacerdos non inten-

intendit omnes conſecrare; ergo nulla, quia non eſt major ratio de una, quàm de alia hoſtia; ergo nulla conſecratur; quia illa materia non conſecratur, quæ non demonſtratur, nec determinatur.

18 *Sufficit tamen* determinatio virtualis. Unde Sacerdos, qui initio Miſſæ conſtituit, ac determinavit plures hoſtias, vel omnes ſibi oblatas conſecrare, licèt poſtea tempore Conſecrationis ſolùm cogitet de hoſtia magna, quam tenet manibus, validè conſecrat etiam reliquas; idem dicendum de guttis vini interiùs Calici adhærentes, niſi per intentionem contrariam excludantur. Ratio eſt, quia determinatio materiæ currit pari paſſu cum determinatione, aut intentione Miniſtri conficientis Sacramentum; at ad conficiendum validè Sacramentum ſufficit intentio virtualis; ergo & determinatio virtualis materiæ.

19 Sed quid, *ſi Celebrans jam habuerit intentionem* (in Sacriſtia, vel etiam jam exiſtens in Altari) *conſecrandi particulas ſibi deferendas à Sacriſta, vel ab alio Miniſtro, & iſte Miniſter, vel Sacriſta poſuerit eas in cornu Epiſtolæ, aut Euangelii; Sacerdos autem eas non obſervavit, vel ſi obſervavit, habuit animum collocandi eas ſuper Aram, vel Corporale; & in actu Conſecrationis oblitus eſt earum?*

℞. Illas particulas non fuiſſe validè conſecratas, vel ut minimum Conſecrationem earum eſſe dubiam. Ratio eſt: quia Intentio Celebrantis non fuit omnino determinata: nec poteſt cenſeri rationabiliter determinata, quia prohibetur Sacerdoti conſecrare particulas poſitas extra Aram, aut Corporale: Ita Gavantus *in Rubr. Miſſal. tom. 1. part. 3. tit. 6. num. 4.* cum Suarez, & aliis DD.

20 Idem dices, ex paritate rationis, de Celebrante habente animum conſecrandi particulas incluſas Pixide, cum hac tamen reſtrictione, aperiendi priùs ipſammet Pixidem, quam ex oblivione non aperuit; quia conſecrare eas in Pixide clauſa eſt contra Rubricas Miſſalis, *v. Ritum celebrandi Miſſam, cap. 8. num. 5.*

Quæro X. *Quantitas materiæ etiam minima, & quantitas etiam maxima eodem actu eſtne conſecrabilis?*

21 ℞. D. Bonaventura *in 4. diſt. 10. art. 2. quæſt. 4.* dicit, quòd non: hoc autem non ex defectu materiæ, ſed intentionis ordinatæ, quia omne Sacramentum irritum reputatur, ſi contra Inſtitutionem celebratur; Intentio autem Chriſti, & Eccleſiæ eſt conſecrare materiam ad uſum Fidelium; minima autem quantitas, ſicut & maxima non eſt ad uſum Fidelium; ergo, &c.

Quæro XI. *Si Sacerdos cogitans more ſolito poſuiſſe unicam hoſtiam ſuper patenam ad Miſſam celebrandam, & poſt conſecrationem videat eſſe duplicem; conſecravitne utramque?*

℞. Maximè; niſi expreſsè excluſerit ſecundam; quia intentio ejus fuit ordinariè conſecrandi materiam præſentem, & coram ſe ſtantem; ergo habuit ſaltem virtualem intentionem conſecrandi alteram. 22
Idem dices à ſimili de particulis, quas V. Gr. exiſtimavit eſſe quatuor, & pòſt invenit eſſe quinque, vel ſex. Ita Layman cum aliis DD. ex Miſſali Romano *de Defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus*: Lege ibi, & plures alios invenies caſus.

Quæro XII. *Quænam eſt Forma Conſecrationis.*

℞. *I.* Forma Conſecrationis Corporis Chriſti eſſentialiter conſiſtit in his ſolis verbis: *Hoc eſt Corpus meum*. Patet tum ex Euangeliis, tum ex Conciliis, tum ex perpetuo uſu Eccleſiæ Latinæ, ut videre poteris in Sacro Canone Miſſæ Miſſalis Romani. Conjunctio illa *enim* non eſt de eſſentia formæ, (*ut probat Scotus*) ſed ponitur ab Eccleſia ad continuandum ſermonem, ne illa verba, quæ ſunt de eſſentia Formæ, proferantur ſine antecedentibus, quæ neceſſariò ſunt præmittenda, quia ex ipſis habetur, quòd ſequentia eſſentialia, *Hoc eſt corpus meum*, dicantur in Perſona Chriſti. 23

℞. *II.* Forma Conſecrationis Sanguinis eſſentialiter conſiſtit in his verbis: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*. Ut patet ex ordinaria forma Eccleſiæ Romanæ, ſeu Latinæ, quæ eſt Magiſtra omnium Eccleſiarum. 24

Dices. Nullus Euangeliſta recitat hanc formam præciſè; ut patet ex Euangeliis Matthæi, cap. 26. verſ. 28. ubi legitur: *Hic eſt enim Sanguis meus*, & Marci, cap. 14. verſ. 24. *Hic eſt Sanguis meus*: & Luc. cap. 22. verſ. 20. *Hic eſt Calix in Sanguine meo*, ergo, &c.

℞. Cum Scoto *in 4. ſent. 8. quæſt. 2.* Non eſt dubitandum, quin Forma noſtra ſit certa ſecundùm auctoritatem Innocentii, *capit. Cum Martha, de Celebr. Miſſar.* quia multa tradita ſunt Eccleſiæ ab Apoſtolis, 25

Digitized by Google

ſtolis, quæ tamen non ſic ſcripta ſunt in Euangeliis. Tum quia omnia illa verba ſunt æquivalentia quoad ſenſum, ut patet conſideranti; ergo omnis forma ex prædictis ſufficiens eſt ad Conſecrationem. -- In Eccleſia tamen Romana debet Miniſter neceſſariò uti forma prædicta; quia ſic ſtatuit Eccleſia, & ſic de neceſſitate præcepti debet omnia verba antecedentia, & conſequentia dicere ut omnibus notum eſt.

26 Petes. *Una Forma ex prædictis eſtne efficax ſine alia*? Ideſt, Forma conſecrationis Sanguinis dependetne eſſentialiter à conſecratione Corporis, vel è contra?

℟. Manifeſtum eſt, quòd non; alioquin Fideles *Corpus* adorantes ante Conſecrationem Sanguinis, eſſent idololatræ, quod eſt falſiſſimum; tum quia in unaquaque ſpecie verum eſt Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini, ut vidimus.

Quæro XIII. *Qualiter debet Sacerdos proferre verba Conſecrationis?*

27 ℟. Sacerdos enunciativè, ſeu ſignificativè, aut Sacramentaliter in Perſona Chriſti debet proferre verba eſſentialia Conſecrationis, dum dicit: *Hoc eſt Corpus meum*.-- *Hic eſt Calix Sanguinis mei*. Quia ſic definivit Concilium Florent. in Decreto Eugenii: ubi dicit: *Forma hujus Sacramenti* (Euchariſtiæ) *ſunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum. Sacerdos enim in Perſona Chriſti loquens hoc Sacramentum conficit.*

Ratio autem eſt: quia, qui non enunciat Id, quod Chriſtus enunciavit, non loquitur in Perſona Chriſti; atqui Sacerdos conſecrans debet loqui in Perſona Chriſti; ergo proprie, & in rigore debet enunciare quod enunciavit Chriſtus, quando dixit verè: *Hoc eſt Corpus meum*; ergo Sacerdos non debet ſimpliciter, materialiter, recitativè, hiſtorialiter tantùm proferre illa verba, ſed verè etiam Sacramentaliter, & ſignificativè, ita ut propriè loquatur non in perſona ſua, ſed in Perſona Chriſti, aliàs Conſecratoria verba facerent ſenſum falſum; falſum enim eſt, quòd ibi veniat, vel ſit Corpus meum, ideſt, mei celebrantis, & recitantis illa verba.

Quæro XIV. Ly *Hoc*, & *Hic* quid demonſtrant?

28 ℟. Demonſtrant ſingulare Entis: ideſt, Hoc ens; nam ad interrogationem *Quid eſt hoc?* optimè reſpondetur: Hoc eſt Corpus Chriſti; ſeu hoc ens, iſta res eſt corpus Domini noſtri. Ita ex Scoto, *loc cit. qu. 2. diſt. 8.*

Quæro XV. *Quid continetur in hoc Sacramento?*

29 ℟. In Sanctiſſimo hoc Sacramento, ideſt, ſub ſpeciebus panis, & vini conſecratis, verè, realiter, & ſubſtantialiter continetur Corpus, & Sanguis Chriſti. Ita poſt multa Concilia definivit noviſſimum Tridentinum, *ſeſſ. 13. capit. 1. & can. 1.*

Quæro XVI. *Remanetne aliquid panis, & vini ibi poſt Conſecrationem?*

30 ℟. Quoad ſubſtantiam nihil, quoad accidentia verò, tantùm remanent *quantitas, & qualitas*, ut notum eſt etiam pueris Catholicis. Hæc autem *accidentia*, ſeu ſpecies panis, & vini ibi miraculosè ſtant ſine ſubjecto, hoc eſt, ſine materia, & forma ſubſtantiali. Ita omnes Catholici ex Tridentino, *ſeſſ. 13. cap. 4. & can. 2.*

Quæro XVII. *Quid eſt Tranſubſtantiatio?*

31 ℟. Eſt converſio totius ſubſtantiæ panis in Subſtantiam Corporis Chriſti, & totius Subſtantiæ vini in Subſtantiam Sanguinis ejus. Ut docet Conc. Trid. *loc. cit. capit. 4.* Quod Scotus noſter ante Concilium docuit *in 4. diſt. 11. quæſt. 1.* dicendo: Tranſubſtantiatio in hoc Sacramento eſt Tranſitio totalis ſubſtantiæ in Subſtantiam, ideſt, Converſio. *Lege Concilium, ubi plura dogmata invenies ſpectantia ad hunc Tractatum.*

Quæro XVIII. *Quamdiù manet Chriſtus ſub ſpeciebus Euchariſticis?*

32 ℟. Tamdiu manet Chriſtus ſub ſpeciebus panis, & vini quamdiu manſiſſet panis, & vini ſubſtantia: ſeu quamdiù ipſæmet ſpecies perſeverant; aut quamdiù non corrumpuntur, vel tranſmutantur. Ratio patet: quia quanto tempore manent illæ ſpecies, tanto etiam tempore manet ſignum practicum gratuiti Dei effectus: ergo & ipſe effectus, qui eſt Corpus, & Sanguis Chriſti; alioquin omnia forent incerta in hoc Myſterio; cùm nulla ſit ſufficiens, vel convincens ratio, quare, manentibus incorruptis ſpeciebus, potiùs hac hora adhuc contineant Corpus Chriſti, quàm, hora ſequenti. Et quod dixi de hora intelligi poteſt etiam de momento in momentum. Ita P. Boſco (cum communi ſententia recepta in Scholis) *diſp. 4. ſect. 6. num. 72.*

Quæro XIX. *Quonam cultu adoranda eſt Sanctiſſima Euchariſtia?*

33 ℞. Cultu Latriæ, qui cultus ſoli Deo debetur; ut videre poteris in Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *can.* 6. *& cap.* 5. Licèt enim formalis ratio ſic adorandi ſit Divinitas Chriſti, terminus tamen adorationis eſt tam ipſa Divinitas, quàm Humanitas, & Species Euchariſticæ in ratione unius Sanctiſſimi Sacramenti, ut docent Theologi communiter.

Quæro XX. *Quinam ſunt effectus hujus Diviniſſimi Sacramenti?*

34 ℞. *I.* Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, loquens de effectibus Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, dicit: *Hujus Sacramenti effectus, quem in Anima operatur dignè ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum.* Ac ne libera tribueretur errandi, atque interpretandi facultas, explicans dictam „ *Adunationem*, addit. — Et quia per Gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur: conſequens eſt, quòd per hoc Sacramentum in ſumentibus dignè Gratia augeatur; omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam Spiritualem operatur: in quo (ut inquit Urbanus Papa) gratiam Salvatoris noſtri recenſemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementum. *Hæc Concilium.* Et quid illuſtrius dici poterat?

35 ℞. *II.* Item Concilium Tridentinum agens de ratione inſtitutionis Sanctiſſimi hujus Sacramenti, *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. dicit: „ Ergo Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit in quo divitias ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annunciare mortem, donec ipſe ad judicandum mundum veniat. — *Proſequitur.*

„ Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam Spiritualem Animarum cibum, quo alantur, & conſortentur viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*: Et tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ Gloriæ, & perpetuæ felicitatis, adeòque ſymbolum unius illius corporis, cujus ipſe Caput exiſtit, cuique nos tamquam membra arctiſſima Fidei, Spei, & Charitatis connexione aſtrictos eſſe voluit, &c. *Hæc Tridentinum.* Et quid magnificentius dici poteſt?

℞. *III.* Ricardus noſter *in* 4. *diſt.* 9. *art.* 36
1. *q.* 2. ponit duodecim affectus bonos hujus Sacramenti: nempè I. Manducanti reducit ad memoriam paſſionem Chriſti. II. Fidem confirmat. III. Spem auget. IV. Charitatem inflammat. V. Dat vitam Gratiæ. VI. Unit Chriſto. VII. Interna conſolatione reficit. VIII. Roborat ad operationem boni. IX. Suſtentat contra caſum provenientem ex propria infirmitate. X. Munit contra dæmonum impulſum. XI. Remittit ardorem carnalis concupiſcentiæ. Et XII. Purgat venialia peccata, & quandoque per accidens mortale. *Hæc Ricardus à Mediavilla.*

℞. *IV.* P. Bartholomæus à Saluthio in 37
libro, cui titulus: *L'Innamorato di Giesù* à cap. 51. & ſeqq. (ubi comparat hoc Sacramentum Ligno vitæ, quod à Joanne, Apoc. 22. deſcribitur poſitum in medio Paradiſi, *& afferens fructus duodecim*) deſcribit duodecim effectus, ſeu fructus hujus SS. Sacramenti: I. Quòd relaxat peccata, & pœnas debitas pro peccatis. II. Quòd vivificat Animam recipientis. III. Quòd nutrit, & conſervat Animam. IV. Quòd inflammat Animam. V. Quòd facit patientem, ac fortem in adverſitatibus. VI. Quòd reſtaurat, & ſanat Animam ab imperfectionibus ſuis. VII. Quòd unit Animam, & corpus hominis cum Anima, & corpore Domini Jeſu. VIII. Quòd Jeſus Chriſtus ſe totum communicat Animæ recipientis. IX. Quòd ſanat Animam à plagis, & vulneribus ſibi illatis ab inimicis ejus. X. Quòd conſervat Animam in Divina Gratia, & Charitate Dei. XI. Quòd fortificat Animam contra iram, & furorem ſuorum inimicorum, qui ſunt caro, mundus, & dæmon. Et XII. Quod conducit finaliter Animam ad æternam Beatitudinem. *Quid amplius deſideras?*

Quæro XXI. *Quinam ex prædictis effectibus, vel fructibus eſt præcipuus?*

℞. Præcipuus fructus, ſive effectus SS. 38
Euchariſtiæ eſt augumentum Gratiæ ſanctificantis, per modum ſpiritualis nutritionis. Ut deducitur ex Concilio Trid. loc. cit. & ut probat P. noſter Boſco, *diſp.* 4. *ſect.* 7. *n.* 2. *& ſeq.*

Quæ-

Quæro XXII. *Quandonam hoc Diviniſſimum Sacramentum confert ſuam Gratiam?*

39 ℞. Cùm perfectè manducatur, & non antea; nempe, in illo inſtanti, quo ſpecies Euchariſticæ trajiciuntur in ſtomachum; quia manducatio propriè eſt actio complectens ſumptionem cibi intra os, & trajectionem in ſtomachum, quando ſcilicet cibus, vel potus attingit initium ſtomachi. Promittitur namque Gratia à Chriſto Domino carnem ejus manducanti, & ſanguinem bibenti, Joan. c. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam, &c. in me manet, & ego in eo. Qui manducat me, & ipſe vivet propter me ... Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Si ergo Chriſtus magna hæc promittit, Fidelis permanet in ſua promiſſione promittit autem hæc *manducanti*; igitur in manducatione facit quæ promiſit. Ergo in illo inſtanti, vel tempore, in quo verum eſt dicere: *hic homo dignè manducat Corpus Chriſti*: recipit ille etiam effectum, vel fructum, Corporis Domini.

40 *Unde deduces*. Ad effectum tam admirabilis Sacramenti recipiendum, ſufficere, unam minimam partem ſenſibilem hoſtiæ trajectam eſſe in ſtomachum; quia etiam in ea verè continetur Sacramentum.

41 *E contra verò*, ſi quis diù retineret in ore ſpecies Euchariſticas, ita ut, antequàm deglutirentur, corruptæ eſſent, ac in ſalivam converſæ, non reciperet fructum Sacramentalem. Ita etiam dic de eo, qui accepta in ore particula conſecrata, & nondum deglutita, moriatur, &c. Ita P. Boſco cit. & P. Antonius Gavellus noſter *in 4. p. diſp. 5 q. ult. fol. mihi 289.*

Petes. Dixiſti ſuperiùs, *ſufficere ad effectum, aut fructum Sacramenti, ut una minima pars ſenſibilis hoſtiæ trajiciatur in ſtomachum*; quid ergo producent aliæ partes, quando ſucceſſivè trajiciuntur?

42 ℞. Cùm illa actio ſe habeat ad modum unius manducationis, ſequitur, quòd unus tantùm ſit effectus, vel fructus ex opere operato. Sicut pariter, ſi V. G. Sacerdos, ſumpto jam Corpore, & Sanguine, conſumeret multas particulas relictas poſt Communionem populi: utique cenſetur una, & eadem Sacrificii, & Sacramenti conſummatio; cùm enim aliæ partes hoſtiæ Euchariſticæ inveniant (ut ſic dicam) effectum, vel fructum jam cauſatum à priori, hinc eſt, quòd ordinariè, & ex ſe ſe ulteriorem effectum actu non cauſant; tum quia omnes partes illius cibi Divini natæ ſunt cauſare unicam refectionem ſpiritualem; ergo & unicum effectum ſicut patet in corporali refectione, quæ fit ſucceſſivè; & tamen dicitur una, & eadem manducatio. Ita ex P. Boſco *cit. diſput. 4. ſect. 7. concl. 4.*

Infertur ulteriùs. Si quis incipiat communicare in malo ſtatu, & durante ſucceſſiva ſpecierum ſacramentalium ſumptione diſponatur per Contritionem, accipiet Gratiam Sacramenti; nam etſi prima pars ſpecierum invenerit obicem, non tamen poſterior pars invenit obicem, & iſta pars, cùm ſit Sacramentum cauſativum ex ſe Gratiæ, cauſabit eam: quia pro illo inſtanti ultimo invenit ſubjectum diſpoſitum. 43

Dices. Sumptio primæ, & ſecundæ partis ſpecierum Sacramentalium eſt una moraliter manducatio (ut dixiſti;) quæ à principio fuit ſacrilega; ergo. 44

℞. Odia reſtringi, favores convenit ampliari. Et utile non debet per inutile vitiari; ut dicunt Regulæ Juris. Et ſi votum, cujus materia ex parte eſt bona, & ex parte eſt mala, obligat ſæpè ad partem bonam; cur non etiam eadem moralis ſumptio Sacramenti ex parte mala, & ex parte bona, inquantùm bona cauſabit effectum Gratiæ, quem non cauſavit inquantùm mala?

Tum quia non deſunt Doctores ſentientes, Sacramentum, ſeu Species Euchariſticas cauſare etiam Gratiam ſucceſſivè in actuali manducatione; cùm enim ſpecies non omnes ſimul eodem in inſtanti trajiciantur, ſed ſucceſſivè, & ultimæ partes tantam habeant efficaciam, quantam priores atque omnes agant inſtar cauſarum naturalium juxta diſpoſitionem ſubjecti; ſequitur, quòd ſi priores non inveniant ſubjectum diſpoſitum, non cauſent; poſteriores autem, quia inveniunt ſubjectum diſpoſitum, debent cauſare Gratiam. 45

Ex quo infertur: quòd, ſi homo paulatim meliùs diſponatur in actu receptionis Corporis, & Sanguinis Domini, majorem etiam recipiet Gratiam Sacramentalem; quia cùm poſteriores, & ultimæ partes non inveniant totum ſuum effectum productum, illum producunt, vel complent; ſi verò diſpoſitio non creſcat, cùm totus effectus jam productus ſit, nil ultra expectandum erit ex vi Sacramenti. Ita ex P. Boſco, loc. cit. 46

Quæ-

Quæro XXIII. *Toto illo tempore, quo Sacroſancta ſpecies Euchariſtica manent incorrupta in ſtomacho, augeturne Gratia?*

47 ℞. Veriſimile eſt, Euchariſtiam Sanctiſſimam poſſe operari toto illo ſpatio temporis, quo manet incorrupta in ſtomacho, ſi creſcat diſpoſitio ſumentis: & conſequenter Gratiam augeri, ex opere etiam operato. -- Ita docent Card. Cajetanus, *in 3. part. quæſt. 79.* cum aliis DD. quos ſequitur magnus Suarez, *diſp. 63. ſect. 7.* & Card. de Lugo *diſp. 12. num. 46.* -- Ratio iſtorum eſt: quia Euchariſtia cauſat Gratiam per modum cibi manducati; quamdiù autem manet in ſtomacho vera eſt applicata ſubjecto per modum cibi manducati; ergo tamdiù poteſt operari ſecundùm diſpoſitionem ſubjecti, cujus proinde ſi creſcat diſpoſitio, etiam creſcet effectus Sacramenti.

48 Iſta tamen opinio, licèt ſit magis pia, non eſt tamen magis probabilis: dicit P. noſter Boſco, *loc. cit. concluſ. 5.* -- Ratio eſt: quia cibus iſte ſpiritualis operatur quidem id, quod cibus materialis; ſed non per omnem modum, aut ſimilitudinem cibi materialis, ſed tantùm pro quanto Chriſtus voluit; quod autem voluerit ſic operari quamdiù ſpecies manent in ſtomacho, non ſatis conſtat; quin potiùs oppoſitum videri poteſt voluiſſe, dum Gratiam tantùm promiſit *manducantibus*, non autem digerentibus hunc panem cœleſtem. Quoniam verò incerta eſt voluntas Chriſti in hoc facto, eligi poteſt opinio magis pia prædictorum DD. quæ magis favet devotioni Fidelium, & fovet, ac nutrit Charitatem erga Chriſtum tunc præſentem.

Quæro XXIV. *Utraque Species Euchariſtiæ ſimul ſumpta confertne majorem gratiam, quàm ſingula ſeorſim?*

Senſus quæſiti eſt. An Sacerdos, qui ſub utraque ſpecie ſumit Euchariſtiam, recipiat majorem Gratiam, quàm Laicus, qui ſub ſpecie tantùm panis ſumit Euchariſtiam: data paritate diſpoſitionis, ſeu ſtante pari diſpoſitione.

49 ℞. Si loquamur de Gratia neceſſaria ad ſalutem, certum eſt, quòd non; ideſt, certum eſt, quòd utraque ſpecies Euchariſtiæ non confert majorem gratiam, quàm una tantùm ſpecies. Quia habemus claram definitionem Concilii Tridentini, *ſeſſ. 21. cap. 3.* ibi: Inſuper declarat (S. Sy-
» nodus,) quamvis Redemptor noſter hoc Sacramentum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit; tamen fatendum eſſe, etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, *nulla Gratia neceſſaria ad ſalutem* eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt. *Hæc Concilium.*

Si verò loquamur de Gratia utili tantùm ad ſalutem, eſt controverſia inter Doctores Catholicos. Utraque opinio, nempe tam affirmativa, quàm negativa eſt probabilis: ut probat P. noſter Boſco, *diſp. 4. ſect. 7. concl. 6. per totam.* & P. Maſtrius, *in 4. diſp. 3. num.* 407. dicit, quòd quamvis utraque opinio ſit probabilis, & negativa etiam communior, adhuc tamen affirmativa mihi videtur probabilior: *ibi probat.* Et tandem hanc ipſam affirmativam tenet, & probat noſter P. Macedo vir omniſcius (humano modo,) & famoſus: *in tomo de Clavibus Petri*; locum fixum jam lectum non cito, quia non habeo nunc ad manus; rationes omitto; quia volo ad alias tendere utiliores difficultates.

Quæro XXV. *Quot modis poteſt hoc Sacramentum ſumi?*

℞. Triplici modo. *I. Sacramentaliter tantùm*; ſicut ſumunt Peccatores cum conſcientia gravata aliquo mortali peccato. *II. Spiritualiter tantùm*; ſicut ſumunt boni, qui cum deſiderio edendi illum cœleſtem cibum, fide viva, quæ per dilectionem operatur, ſe diſponunt, at non recipiunt realiter, niſi fructum, & utilitatem ejus. *III. Sacramentaliter ſimul & ſpiritualiter*; ſicut hi, qui ſe priùs benè diſponunt, & ad Divinam hanc menſam accedunt. Ut docet *Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 8.* 50

Quæro XXVI. *Sacra Communio, ſeu realis, fideliſque ſumptio hujus Sacramenti eſtne neceſſaria ad ſalutem?*

℞. Utique; ſed neceſſitate tantùm præcepti Divini ſimul, & Eccleſiaſtici: ut jam vidimus, & probavimus *in 1. part. tract. 38. à num. 92. & ſeqq. ubi egimus de Communione Paſchali.* Vide ibi plura quæſita, varioſque caſus. 51

Quæro XXVII. *Tenenturne ſub culpa gravi omnes Sacerdotes Sæculares, & Regulares accipere de manu proprii Parochi, vel Prælati Sacram Communionem feria quinta in Cœna Domini?*

℞. Quòd non; niſi aliunde vel ex præcepto poſitivo Epiſcopi, aut Prælati, vel 52

ex

ex conſuetudine jam introducta habente vim Legis, vel ratione ſcandali vitandi, obligentur. Ratio eſt: quia nullum adhuc extat præceptum univerſale Sanctæ Matris Eccleſiæ de hac Communione; ergo non ſunt multiplicanda præcepta ſine evidenti ratione, aut auctoritate.

Dices. Adeſt Decretum Sacræ Rituum Congregationis citatum à Gavanto *in Miſſal. p.* 4. *tit.* 8. *num.* 8. in quo videtur præcipi Clero, ut in illa Miſſa communicent, &c.

℟. Quintanadvenas cum aliis DD. *Tract.* 4. *ſingul.* 5. *num.* 4. dicit, quòd illud Decretum non præcipit abſolutè, ſed directivè, illaque reſponſio eſt doctrinalis, non obligatoria.

Ut autem Decreta Sacræ Congregationis habeant vim Legis graviter obligantis, plures requiruntur conditiones; *Prima*, ut materia ſit gravis. *Secunda*, ut Decretum exhibeatur in forma authentica. *Tertia*, ut in ipſo exprimatur, fuiſſe pronunciatum tale Decretum conſultò, & annuente Summo Pontifice. *Quarta*, ut in eo Decreto aliquid Juris declaretur, & interpretetur. *Quinta*, ut de tali Decreto adſit notitia autentica publica, & juridica. Ita Doctor citatus.

Quæro XXVIII. *Teneturne Parochus, vel Capellanus deferre Euchariſtiam per modum viatici moribundo, etiamſi timeat, eam non poſſe illi adminiſtrare, niſi valdè feſtinando, & quaſi currendo?*

53 ℟. Barboſa *de Officio Parochi*, *cap.* 20. *num.* 46. dicit, quòd non; quia repugnat reverentiæ debitæ Tanto Sacramento, atque decentiæ Miniſtri: & in tali caſu præceptum Eccleſiaſticum, & Divinum non videtur obligare cum tanto rigore. Secùs dicendum de Baptiſmo, & Pœnitentia; patet diſparitas.

Quæro XXIX. *Infirmus ad mortem, qui manè communicavit ex devotione, poteſtne eadem die poſt prandium, vel in ſerò accipere Divinum Sacramentum per modum Viatici?*

54 ℟. P. Boſco, *diſp.* 4. *ſect.* 9. *concl.* 7. cum Suarezio, ac Lugone docet, quòd non; quia hoc eſſet contra prohibitionem Eccleſiæ Univerſalis, & communem uſum; nam Eccleſia prohibet communionem bis eadem die ob reverentiam debitam tam admirabili Sacramento, & ob alias rationabiles cauſas; ergo non eſt licitum bis intra eamdem diem ſumere Sacramentaliter Euchariſtiam.

Dices. Sacerdos poteſt bis, & ter eadem die celebrare: ut fit in Natali Domini: & extra illam ſolemnitatem in caſu neceſſitatis, V. G. ad dandum Viaticum infirmo; ergo & ipſe infirmus poterit bis communicare, prima vice ex devotione, ſecunda vice ex obligatione. 55

℟. Nego conſequentiam, & paritatem. Nam Sacerdos, ut Sacerdos, etiam tertiò poteſt celebrare in Natali Domini ex conceſſione Eccleſiæ; non ideò tamen licitum eſt Laico communicare bis eadem die: ex prohibitione Eccleſiæ. In tali igitur caſu Communio per modum Viatici non urget, quia jam ſemel infirmus communicavit, & conſequenter ſatisfecit præcepto de Communione in extremis.

Quæro XXX. *Quid requiritur in ſuſcipiente ad dignam hujus Sacramenti ſuſceptionem?*

℟. Inter alia requiritur ſtatus Gratiæ; 56 ut patet ex Concilio Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. Conſcius autem ſibi peccati mortalis teneatur præmittere Confeſſionem Sacramentalem; ut conſtat ex eodem Concilio ibi.

Sed quæres. *Qui jam hac in ſolemnitate,* 57 *vel die confeſſus eſt omnia ſua peccata, quæ memoriæ occurrerunt; ſi poſtea ante Communionem ei veniat in mentem aliquod mortale oblitum, teneiturne priùs confiteri illud?*

℟. Quòd ſic; niſi ſit quis ſcrupuloſus; ſcrupuloſi enim ſolent iteratis vicibus recurrere ad Confeſſarium, etiam ſæpè cum propria infamia, & irreverentia Sacramenti, quibus P. Boſco cum D. Bonaventura dat conſilium, ut poſt Confeſſionem, ac præparationem ampliùs non cogitent de ſe, ſed magis de Sacramento recipiendo, & ad Divinam Bonitatem, & Tantum Sacramentum convertant animum; id enim in majorem Dei gloriam, & propriam utilitatem cedit, & ad ſedandos ſcrupulos maximè conducit. Conſiderent hoc diviniſſimum Sacramentum non eſſe ſignum inquietudinis, ſed pacis: ubi ſumitur *Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*.

Sacerdos autem, qui, urgente neceſſita- 58 te, abſque prævia Confeſſione, & cum ſola Contritione celebravit, tenetur quamprimùm, V. G. intra triduum, aut habita copia Confeſſarii, confiteri. Quòd teneatur *quamprimùm*, &c. eſt manifeſtum ex Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. Quòd autem debeat confiteri intra triduum, aut habita copia Confeſſarii, de-

ducitur

Digitized by Google

ducitur ex propoſitione, n. 39 ex damnatis ab Alexandro Papa Septimo: & ex Rubricis Miſſalis Romani, *Tit. de Defectibus, cap. 8. num. 3.*

Quæro XXXI *Qui accedit ad S. Communionem cum peccato veniali actuali deliberato, vel cum pluribus venialibus habitualibus non retractatis, peccatne?*

59 ℟. Peccat venialiter veniali ſacrilegio: ut probat P. Boſco, *diſp. 4. ſect. 10. n. 95.* ex communi ſenſu Fidelium, & conſenſu plurimorum Doctorum ibi cit.

Quæro XXXII. *Eſtne facilè permittenda Laicis perſonis quotidiana Communio?*

60 ℟. *I.* Innocentius Papa XI. in Decreto circa Communionem quotidianam, incipiente *Cùm ad aures*, edito de anno 1679.
„ dicit inter alia, hæc: Frequens ad Sacram
„ alimoniam percipiendam acceſſus, Con-
„ feſſariorum ſecreta cordis explorantium
„ judicio eſt relinquendus, &c. qui ex con-
„ ſcientiarum puritate, & frequentiæ fru-
„ ctu, & ad pietatem proceſſu Laicis, &
„ Conjugatis, quod perſpiciunt eorum ſa-
„ luti profuturum, id illis præſcribere de-
„ bebunt.

℟. *II.* D. Bonaventura Doctor Seraphicus *in 4. ſent diſt. 12. part. 2. art. 2 qu. 2.*
„ dicit, & docet ſic: Si ergo quæratur:
„ utrùm expediat frequentare? Dicendum,
„ quòd ſi quis videat ſe eſſe in ſtatu Eccleſiæ
„ primitivæ, laudandum eſt, quotidie com-
„ municare. Si autem in ſtatu Eccleſiæ fina-
„ lis, utpotè frigidum, & tardum ſe videat
„ eſſe, laudandum eſt, quòd rarò. Si au-
„ tem medio modo: etiam medio modo de-
„ bet ſe habere; & aliquando debet ceſſa-
„ re, ut addiſcat revereri; aliquando acce-
„ dere, ut inflammetur amore. Hæc D. Bo-
„ naventura.

℟. *III.* S. Franciſcus Saleſius in libr. cui titulus: *Introduzione alla Vita Divota, parte 2. cap. 2.* dicit, & docet Philotheam ſic;
„ Il ricevere la Communione dell' Euchari-
„ ſtia ogni giorno: nè lo lodo, nè lo vitu-
„ pero; mà di communicarſi tutte le Dome-
„ niche, io lo conſiglio, e l'eſſorto a ciaſ-
„ cuno; purche il ſuo ſpirito ſia lontano da
„ ogni affetto di peccare.

Legant, quæſo, legant Confeſſarii totum illum aureum, melliſſuumque liberculum, ut addiſcant cum fundamento ducere pœnitentes ſæculares per veram Perfectionis Chriſtianæ viam. Legant *Memoriale vitæ Chriſtianæ* P. Aloyſii de Granata Ord. Prædicatorum, inſignis Scriptoris, *Tract. 3. cap. 10. part. 1.* ubi multa ad propoſitum, quorum nonnulla fideliter tranſcribam in utilitatem, & inſtructionem novelli Confeſſarii. Dicit ergo:

Se alcuno deſideraſſe ſapere, che coſa «
ſia meglio, communicarſi ſpeſſo, o rare «
volte? Parmi, che non ſi poſſa in queſto «
punto dare una Regola generale per tut- «
ti: però che eſſendo i meriti degl' huomi- «
ni diverſi, e diverſi i loro propoſiti, & «
eſſercizj, e diverſe le operazioni dello Spi- «
rito Santo, e diverſo parimenti lo ſtato di «
ciaſcuno, non ſi potrebbe tagliare una ve- «
ſte, che ſtaſſe bene a tutti. E ſicome agl' «
infermi non ſi da ſempre la medeſima me- «
dicina, nè meno la medeſima quantità di «
eſſa: mà ſecondo la qualità della Perſo- «
na, infirmità, e compleſſione, tempi, e «
luoghi, s' applica, e ſi miſura la quantità «
della medicina; così parimenti ſi deve fa- «
re nella medicina Spirituale del *Santiſſimo* «
Sacramento, per quelli, che ſtanno intri- «
cati nei penſieri, e negozj del mondo, «
che non poſſono così ſpeſſo diſtrigarſi, e «
prepararſi per riceverlo, come quelli, i «
quali liberi da queſti negozj, hanno de- «
dicata la loro vita agl' Eſſercizj Spiritua- «
li, &c. «

Mà mi pare, che rare volte ſi trovarà «
perſona alcuna (eccetto li Sacerdoti, «
l' Uffizio de quali è celebrare) a cui non «
poteſſe baſtare il communicarſi *una volta* «
la ſettimana. «

Notent, quæſo, ultimam hanc ſententiam *P. Granata*, in hoc judicio, (quod eſt juxta ſententiam D. Thomæ *in 3. part. qu. 80. art. 10.*) Confeſſarii, qui quibuſdam mulierculis, (etiam infimæ plebis) concedunt Communionem Sanctiſſimam duobus regulariter diebus per hebdomadam; & ſciant eas non eſſe comparandas Sanctis Catharinis, & ſimilibus. Legant etiam Opus quoddam, cui titulus: *Il Profitto Spirituale del P. Franc. Arias*, in cujus fine adeſt Tractatus *del buon' uſo de Sacramenti, capit. 20. e ſeguenti*; valdè eſt utilis iſte Tractatus Confeſſariis noviciis; ut ex eo addiſcant modum prudentialem negandi, vel concedendi Perſonis ſæcularibus frequentem Communionem; nam ex lectione Librorum (atque praxi quotidiana) ipſe didici nonnullas mulieres in arduo, & pericoloſo Perfectionis itinere, ac certamine paſſionum, & affectionum amoris proprii, &c. malè inſtructas, & directas declinaſſe à vera Salutis ſemita in præ-

præcipitium hypocriſis ob inordinatam etiam affectionem frequentationi SS. Sacramentorum. Qui legit, intelligat. Magna prudentia, & diſcretio nobis neceſſaria eſt, quæ acquiritur ex lectione oratione, & exercitio. Lege, quæſo, lib. R.P. Didaci Perez in noſtram linguam Italicam traductum cum hoc titulo: *Avvertimenti Spirituali*, part. 4. tit. 19. per totum.

Quæro XXXIII. *An ſumptio uſurpata Tabachi frangat jejunium naturale requiſitum ex præcepto Eccleſiæ ante ſumptionem SS. Euchariſtiæ?*

61 ℞. Sumptio Tabachi ſive in pulvere per nares, ſive in foliis, vel in fumo per os, per ſe loquendo, non frangit hoc jejunium. Ratio eſt, quia hæc ſumptio non eſt nutritiva per modum cibi, neque per actionem comeſtivam realiter; ad frangendum autem jejunium naturale duæ conditiones requiruntur: *prima*, ut revera aliquid, licèt modicum, comedatur, aut bibatur: *Secunda*, ut deglutiatur per modum cibi, vel potus, vel medicinæ; ergo, &c.

62 Dixi, *per ſe loquendo*; nam per accidens poteſt fieri, quòd quis frangat jejunium, ut ſi V. Gr. trajiceret in ſtomachum aliquam particulam Tabachi; quia tunc eſſet comeſtio herbæ reginæ per modum medicinæ.

63 Quòd ſi præter intentionem aliquid minimum deſcendat per nares in guttur, non per hoc frangitur jejunium; quia tunc fit per modum reſpirationis, vel trajectionis ſalivæ: ſicut *de gutta aquæ* docet Miſſale Romanum: *De Defectibus occurrentibus, cap. 9. num. 3.* ubi dicit: *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cùm non transglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Idem dicendum, ſi lavando os, deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem.*

Vide Summam Dianæ. *V. Communionis diſpoſitio, num. 42. & 43.* – Thomam Tamburinum *in Methodo expeditæ Communionis, cap. 2. n. 23. & 26.* – Sporerium noſtrum, *tom. 3. part. 2. cap. 6. ſect. 7. §. 2.* – Corriliam *in ſua Praxi Tractat. 12. capit. 4. numer. 115.* qui tamen addit, & advertit, ſumptionem Tabachi ante Miſſam importare aliquam indecentiam, niſi mera neceſſitas excuſet.

64 Et in libris citatis invenies plurimas, etiam minutiſſimas difficultates circa hanc materiam de Jejunio naturali, quas omitto, ut ſerviam brevitati.

At quæres hic obiter. *An ſumere Tabachum ſit quid vitioſum?*

65 ℞. Cum diſtinctione. Si tu Tabachiſta ſumis pulverem, vel folium Tabachi ad confortandum caput, ad phlegmaticum evacuandum humorem, ad diſtillationem divertendam, aut ad alium neceſſitatis, aut infirmitatis titulum: tunc non erit tibi quid vitioſum, ſed inſerviet pro medicamento, &c. Si autem ſumis hanc herbam recreationis, aut urbanitatis cauſa: neque tunc erit quid vitioſum, niſi forſan pecces venialiter per exceſſum; nam noſtrorum ſenſuum recreationes debent moderari per virtutem *Eutrapeliæ*, quæ moderamen rectæ rationis ſervat. Si tandem ſumis Tabachum ad ſatisfaciendum proritui narium, & malæ inclinationi, aut habitui moderno, ne naſus quidem privetur vitio ſuo; tunc erit quid vitioſum. Ratio eſt, quia appetitus ſenſitivus nequit licitè ſuis actibus frui, nec ſiſtere in ſola delectatione; ergo erit peccatum Intemperantiæ.

66 Quoniam autem audivi à pluribus, aliqua in Civitate, Venditores Tabachi adulterare herbam hanc reginam, commiſcendo varias herbarum, & foliorum nullius momenti ſpecies; ideò hìc obiter dico, eos peccare mortaliter contra Juſtitiam; ut deducitur ex dictis *in prima parte, Tractat. 34. à num. 81. & ſeq.*

Circa SS. Euchariſtiam vide plura apud libros magnos; at nunquam omittas legere, & ſequi Rituale Romanum, & Rubricas Miſſalis. Circa Præceptum Eccleſiaſticum de SS. Communione Paſchali, Vide *Tractat. 38. Primæ Partis à numer. 92. & ſeqq.*

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS XLV.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

SI quid eſt in rebus humanis planè Divinum, quod nobis in hac lacrymarum valle degentibus Superni Cives (ſi in eis locus eſſet invidiæ ſpiritualis) invidere poſſent, id certè eſt Sacroſanctum, tremendumque Miſſæ Sacrificium, cujus beneficio fit, ut homines viatores quadam anticipatione poſſideant in terris Cœlum, dum ante oculos habent, & manibus contrectant ipſum Cœli, terræque Conditorem, ac Dominum. De hoc itaque diviniſſimo Sacrificio tractaturus, rogo Lectorem, ut priùs legat Concilium Trident. ſeſſ. 22. à primo ad ultimum Doctrinæ Catholicæ caput, ne cogar hic tranſcribere multa, quæ ibi in fonte videre commodè poteſt: ut ex ejus modico labore gaudeam optatiſſima brevitate in hoc profundiſſimo difficultatum Oceano. Igitur.

Quæro I. *Quid ſignificat hæc vox* Miſſa?

1. *Reſpondeo I. Miſſa*, vox antiquiſſima, & uſitatiſſima in Eccleſia Latina, ſic dicitur, quaſi *Miſſio*: vel quia in illa mittitur ad nos Chriſtus, vel quia mittitur oblatio à nobis ad DEUM: vel quia, illa terminata, dimittitur populus. Unde, antiquitùs completo Symbolo dimittebantur Catechumeni, & pars illa dicebatur *Miſſa Catechumenorum*, & modò jam completo Sacrificio, dimittuntur Fideles baptizati, dum dicitur: *Ite Miſſa eſt*: ideſt, Miſſa eſt Hoſtia ad Deum; ite in pace.

℞. *II.* Communiſſima, & receptiſſima acceptio hujus vocis, *Miſſa*, eſt quòd ſit actio Sacra, prout continet totam celebrationem Divini Officii, & Sacrificii, in quo Euchariſtia conſecratur.

℞. *III.* Miſſa igitur eſt actio Sacra, qua multis cum cæremoniis Eccleſiaſticis, multiſque præcedentibus, & ſequentibus precibus, conficitur, offertur, & ſumitur Sanctiſſimum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti.

℞. *IV.* Miſſa (magis ſtrictè, & theologicè capta) eſt verum, unicum, & proprium novæ Legis Sacrificium, quo à Sacerdote Euangelico Corpus, & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti Deo Patri immolatur, vel offertur pro totius mundi ſalute.

Quæro II. *Quænam eſt differentia inter Sacramentum, & Sacrificium Altaris?*

2 ℞. Sacramentum Altaris eſt ipſamet Euchariſtia permanens; Sacrificium verò Altaris eſt actio illa Sacra, & tranſiens, quæ fit in Conſecratione panis, & vini.

Quæro III. *Quænam fuit prima Miſſa mundi?*

3 ℞. Fuit illa, quam Chriſtus ipſe celebravit in ultima cœna, quando conſecravit panem, & vinum.

Quæro IV. *In illa prima Miſſa Corpus Chriſti erat ne ſub accidentibus panis ut paſſibile?*

4 ℞. Non; ſed ut impaſſibile; quia erat ibi Sacramentaliter, ſeu modo admirabili ad modum impaſſibilis; neque hoc repugnat; quia apud Deum nihil eſt impoſſibile, nec difficile. Sicut enim nunc Corpus Chriſti eſt in cœlo modo naturali, & ſimul ſub ſpeciebus conſecratis modo ſupernaturali; ſic tunc Corpus Chriſti erat in ſe modo mortali, & in ſpeciebus modo immortali, ſeu impaſſibili, quia erat modo Sacramentali.

Quæro V. *Quid eſt Sacrificium propriè captum?*

5 ℞. Eſt immutatio rei ſenſibilis legitimè inſtituta in proteſtationem ſummi dominii DEI in vitam, & mortem noſtram. Ita P. Boſco, *d. 5. ſect. 1. num. 6.*

Quæro VI. *Sacrificium novæ legis in quo eſſentialiter conſiſtit?*

6 ℞. In conſecratione; quia conſecratio eſt immutatio rei ſenſibilis: ſive eſt oblatio rei ſenſibilis per immutationem ejus, legitimè inſtituta ad proteſtandum Summum DEI Dominium, &c.

Quæro VII. *Quomodo immutatur res ſenſibilis in Conſecratione panis, & vini?*

7 ℞. Quia panis, & vinum convertuntur in Corpus, & Sanguinem Domini. *Vel* quia Corpus Chriſti fit vero, & miro modo noſter cibus, & Sanguis Chriſti fit noſter potus. *Vel* quia per Conſecrationem ex vi verborum fit incruenta, & myſtica ſeparatio Corporis à Sanguine, & Sanguinis à Corpore Chriſti: quæ ſeparata poſitio eſt quædam myſtica deſtructio hoſtiæ

Digitized by Google

ſtiæ principalis, nempe Chriſti; hoſtia enim principalis in hoc tremendo Sacrificio eſt ipſemet Chriſtus, qui incruentè immolatur.

Quæro VIII. *Quænam ergo erit hoſtia minùs principalis, vel ſecundaria in hoc Sacrificio?*

8 ℟. Eſt panis, & vinum, quæ ſunt res oblatæ, ut patet ex modo loquendi Eccleſiæ in Canone Miſſæ: quippe in Offertorio dicuntur hæc verba; *Suſcipe Sancte Pater hanc immaculatam hoſtiam, &c.* Et; *Offerimus tibi Domine Calicem Salutaris, &c.*

Quæro IX. *Quinam in hoc Sacrificio eſt principalis offerens?*

9 ℟. Eſt Chriſtus: ut habetur ex cap. Firmiter de Summ. Trinit. – Et ex Concil. Trident. ſeſſ. 22. capit. 2. Tum quia, ut diximus, Sacrificium Miſſæ eſſentialiter conſiſtit in Conſecratione; ſed quando Sacerdos conſecrat, loquitur in Perſona Chriſti; ergo Chriſtus eſt principalis offerens.

Quæro X. *Sacerdos ergo qualis erit offerens?*

10 ℟. Eſt Offerens proximus, & immediatus; quia Chriſtus, mediante Sacerdote, ſeu Miniſterio Sacerdotis ſemetipſum offert, &c.

Quæro XI. *Circumſtantes, & aſſiſtentes Miſſæ Sacrificio, poſſuntne dici Offerentes?*

11 ℟. In bono ſenſu, quamvis minùs proprio, dicuntur & iſti Offerentes. Ut patet ex Canone Miſſæ illis verbis: *Orate Fratres: ut meum, ac veſtrum Sacrificium, &c.:: & Omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, &c.*

12 *Dices*. Ergo Laici aſtantes, vel circumſtantes erunt Sacerdotes.

℟. Nego conſequentiam; nam de fide eſt certum, quòd ſolus Sacerdos validè, & legitimè ordinatus eſt verus Sacerdos, ac Miniſter Sacrificii Miſſæ; ut habetur ex Conc. Lateran. & refertur, cap. Firmiter de Summ. Trinit. Et ex Conc. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. can. 2. & ſeſſ. 23. capit. 1. & 4. Tum quia ſolus legitimus Sacerdos conſecrat; ergo, &c. Quamvis ergo Sacerdos proprio fungatur Officio in hoc Sacrificio, illi tamen offerre etiam dicuntur, quorum nomine agit Sacerdos. Igitur qui ſpecialiter petit Miſſam pro ſe offerri, & qui Miſſæ, vel Celebranti inſervit, & omnes aſtantes dicuntur offerre ſimul cum Sacerdote, modo jam dicto. Ita P. Boſco cum multis, *loc. cit. ſect. 2. concl. 3.*

Quæro XII. *Numquid omnis Sacerdos, bonus, vel malus, excommunicatus, præciſus, ſuſpenſus, &c. validè conſecrat, & conſequenter offert Sacrificium?*

13 ℟. Quòd ſic; ex communi ſenſu Eccleſiæ; tum quia ſemel validè ordinatus in Sacerdotem, numquam poteſt omittere Characterem, & poteſtatem Ordinis; ergo, &c. Ex Scoto *in 4. diſt. 13. qu. 2.*

Quæro XIII. *Plures Sacerdotes ſimul poſſuntne conſecrare eamdem numero Hoſtiam?*

14 ℟. Ex communi praxi Eccleſiæ in Ordinatione Sacerdotum, patet, quòd ſic; nam Presbyteri, quando ordinantur, conſecrant omnes ſimul cum Epiſcopo eamdem numero materiam; ergo, &c.

Quæro XIV. *Si quis illorum ex inadvertentia prior aliis abſolveret verba Conſecrationis, eſſetne valida illa conſecratio?*

15 ℟. Rem valdè difficilem poſtulaſti; non enim una eſt omnium DD. ſententia circa hanc difficultatem. Ego autem adhæreo opinioni Eminentiſſimi Cardin. de Lugo, *diſput. 11. num. 163.* qui dicit, in tali caſu invalidam fuiſſe conſecrationem; quia, licèt Neomyſta, ſeu Sacerdos recens ordinatus, formaliter, & ex animo intendat conſecrare, non tamen hoc facit, nec facere debet ſimpliciter, & abſolutè, ſed *conditionatè*, nempe ſimul cum Epiſcopo abſolvit verba Conſecrationis, aliàs non; nam in hac Miſſa præcipuus celebrans eſt Epiſcopus: ergo alii Sacerdotes tenentur ſe conformare præcipuo celebranti, & quoad intentionem, & quoad prolationem verborum, & quoad applicationem Sacrificii unius; quia non dicuntur celebrare, ſed *concelebrare Pontifici*: ideſt ſimul cum Pontifice.

Quæro XV. *Quot ſunt partes Miſſæ?*

16 ℟. *I.* Miſſa integraliter conſiderata, vel prout comprehendit omnes actiones tam eſſentiales, quàm integrales, quibus nunc conſtat, dividitur in has partes. *I.* In præparationem; *II.* In inſtructionem; *III.* In oblationem; *IV.* In communionem; *V.* In gratiarum actionem; ergo quinque erunt ejus partes.

17 *Præparatio* incipit à principio Miſſæ, & terminatur ad Introitum. *Inſtructio* ab Introitu incipit, & ad Offertorium primum finit. *Oblatio* incipit à panis, ac vini offertorio, & uſque ad Communionem, vel ſumptionem Sacramenti durat: & iſta pars

conti-

continet offertorium ſecundum, ſeu oblationem principalem, quæ conſiſtit in Conſecratione. *Communio* incipit ab *Agnus Dei, &c.* & perſeverat uſque ad ſumptionem Sacramenti incluſivè. *Gratiarum actio* incipit poſt Communionem, & durat uſque ad finem Miſſæ.

18 ℟. *II.* Partes verò eſſentiales Miſſæ ſunt tantùm tres; *Conſecratio*, videlicet, panis, & vini; *Oblatio* Corporis, & Sanguinis Domini, quæ in ipſamet Conſecratione continetur; nam Sacerdos conſecrando offert, & ſacrat, &c. & *Conſumatio*, ſeu ſumptio Sacramenti. Magis autem principalis harum partium eſt ipſa Conſecratio, in qua formaliter conſiſtit ratio Sacrificii, ut vidimus.

Quæro XVI. *Quot oblationes ſiunt in Miſſa?*

19 ℟. Tres; nempe *Oblatio præparatoria*, quæ fit, quando Sacerdos offert Deo materiam panis, & vini. *Oblatio conſecratoria*, quæ fit in actuali Conſecratione completa, in qua, ut dixi, includitur Oblatio Hoſtiæ vivæ, & primariæ, quæ eſt Chriſtus, qui offertur Deo Patri, & immolatur, &c. Et *Oblatio deprecatoria*, quæ fit, quando Sacerdos poſt Conſecrationem ſe inclinans, dicit: *Supplices te rogamus, &c.*

Quæro XVII. *Miſſa eſtne Sacrificium Latreuticum?*

20 ℟. Maximè; quia inſtar Holocauſti offertur DEO in recognitionem ſuæ Supremæ Excellentiæ; & inſtitutum eſt ad deferendum cultum *Latriæ* (qua ratione *latreuticum* appellatur) ſoli Deo debitum.

Quæro XVIII. *Eſtne etiam Sacrificium Euchariſticum?*

21 ℟. Utique; quatenùs offertur in Gratiarum actionem Deo pro omnibus beneficiis receptis, præſertim Redemptionis noſtræ, &c. ideòque *Euchariſticum* nominatur; nam *Euchariſtia* latinè ſonat etiam *Gratiarum actio*.

Quæro XIX. *Eſtne etiam Sacrificium laudativum?*

22 ℟. Certè; quia offertur Deo in laudem, gloriam, & honorem ipſiuſmet Dei optimi, maximi, &c. Unde S. Ignatius Epiſcopus, ac Martyr in epiſt. ad Epheſios, vocat Miſſam, *Gloriam Domini.* — Et in Canone Miſſæ Sacerdos dicit: *Per ipſum (Chriſtum,) & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti omnis honor, & gloria.*

Quæro XX. *Eſtne etiam Sacrificium Propitiatorium?*

℟. Ita; quatenùs virtute hujus Sacrificii DEUS nobis fit placatus, & propitius; ideſt, movetur ad deponendam Juſtitiam, vel juſtiſſimam iram ſuam, ac indignationem, quam propter peccata totius mundi concepit in ordine ad negandа juſtè uberiora ſuæ Gratiæ dona, quibuſque conceſſis, pœnitentiam agere, atque in ejus amicitiam redire, & peccatorum noſtrorum remiſſionem acquirere valeamus. 23

Petes. *Miſſa cauſatne remiſſionem peccatorum?*

℟. Effectum expiationis peccatorum mortalium quoad culpam non cauſat immediatè, ſed dumtaxat mediatè, ac diſpoſitivè; impetrando videlicet ſpecialia Gratiæ auxilia, quibus homo diſponatur, atque excitetur efficaciter ad agendam veram de ſuis peccatis pœnitentiam, mediante qua pœnitentia, per infuſionem Gratiæ ſanctificantis immediatè remittuntur peccata mortalia. Ita ex communi Theologorum ſententia docet P. Anacletus noſter, *in ſua Moral. Theol. Tract.* 14. *diſt.* 5. *quæſt.* 2. & P. Pinamontius in liberculo doctiſſimo, cui titulus: *L'Albero della Vita: overo i Pregi, ed i frutti della S. Meſſa.* 24

Ratio ulterior eſt: quia Sacrificium Miſſæ per ſe, & immediatè refertur ad Divinum cultum, & ad proteſtandam Supremam Dei excellentiam; ſecundariò verò, ac veluti per quamdam redundantiam dirigitur ad noſtram ſanctificationem, & utilitatem; ergo non habet ex primaria, & principali ejus inſtitutione tendere (ſicut tendit Sacramentum) ad cauſandam Gratiam ſanctificantem, neque augmentum ejus ex opere operato; quia ſecundùm legem ordinariam nemo recipit Gratiam primam ſanctificantem, neque ſecundam, ſeu augmentum Gratiæ primæ, & habitualis, niſi vel per proprium motum, vel per dignam receptionem Sacramenti. 25

Petes. *Remittitne ſaltem peccata venialia?*

℟. Sacrificium, ut Sacrificium non remittit immediatè peccata venialia Juſtis, pro quibus offertur. Ita plerique Theologi cum P. Boſco noſtro, *diſp.* 5. *ſect.* 4. *numer.* 17. Ratio patet ex dictis. Tum quia per ſe loquendo, & ſecundùm legem Dei ordinariam, non dimittitur peccatum veniale, ſine infuſione novæ gratiæ; ſed ſic 26

eſt,

eſt, ut vidimus, quòd Sacrificium, qua tale, ſeu quatenùs Sacrificium: non cauſat immediatè gratiam, nec ejus augmentum. Tum quia, omne peccatum, etiam veniale tantùm, eſt quædam offenſio Dei, & averſio à Deo per liberum arbitrium, quam proinde tolli non convenit, nec ſolet, ſine ejuſdem arbitrii noſtri aliquali retractatione; ergo ad remiſſionem venialium peccatorum requiritur noſtra diſpoſitio actualis: quandoque autem contingit, ut Miſſæ Sacrificium applicetur, & offeratur pro dormientibus, & nihil cogitantibus de tali Miſſa; ergo tunc ſine ullo proprio actu acciperent remiſſionem peccatorum venialium, quod videtur incredibile.

Quæro XXI. *Eſtne Sacrificium Miſſæ etiam Satisfactorium?*

27 ℟. Sine dubio; & quidem tam reſpectu Fidelium vivorum; quàm Defunctorum; quatenùs ex opere operato, ſeu virtute ipſius Sacrificii, aliqua pœna, correſpondens peccatis jam deletis quoad culpam, remittitur illis, pro quibus applicatur. Et iſte effectus ſatisfactionis infallibiliter confertur virtute Sacrificii Miſſæ: dummodò is, pro quo Miſſa offertur, ſit capax, aut indigeat aliqua ſatisfactione.

Quæro XXII. *Eſtne etiam Sacrificium Impetratorium?*

28 ℟. Affirmativè; inquantùm habet virtutem impetrandi à Deo diverſa bona, tum ſpiritualia, tum etiam temporalia, ac liberationem à malis cujuſvis generis, & ſpeciei in ordine ad vitam æternam; ut patet ex Sacro Canone multis in locis: ex Conciliis, Sanctis Patribus, ac perpetuo ſenſu, praxi, & conſuetudine Eccleſiæ Univerſalis. Quia effectus Sacrificii hujus incruenti nititur meritis Sacrificii cruenti à Chriſto Domino in Ara Crucis oblati, quidquid enim eſt effectus Dominicæ Paſſionis, eſt etiam effectus hujus Sacrificii; continet enim in ſe eumdem Chriſtum, &c. Una enim, eademque eſt Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotis miniſterio, qui ſe ipſum in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa. Et quoties hujus Hoſtiæ commemoratio recolitur, toties opus noſtræ Redemptionis exercetur; ergo, &c.

Quæro XXIII. *Qualis, & quantus eſt valor Sacrificii Miſſæ?*

29 ℟. *I.* Duplex poteſt diſtingui valor; primus ex opere operato; ſecundus ex opere operantis. *Primus* eſt, qui eidem Miſſæ ex Chriſti Inſtitutione, diſpoſitione, ejuſque meritis, atque independenter à bonitate Miniſtri competit, ac diſpenſatur. *Secundus* eſt, qui promanat ex bonitate Miniſtri, & Offerentium, nempe ex devotione, fide, fiducia, cæteriſque diſpoſitionibus tam celebrantis, quàm illius, pro quo applicatur, & etiam circumſtantium, & iſte erit major, vel minor juxta majorem, vel minorem diſpoſitionem eorum.

℟. *II.* Valor Miſſæ *ex opere operato* ſive ad placandum nobis DEUM, ſive ad ſatisfaciendum, ſive ad impetrandum, eſt finitus, determinatus, ac limitatus ab ipſomet Chriſto, non obſtante infinitate extenſiva meritorum ipſiuſmet Chriſti. Ita D. Bonaventura, *in 4. diſt. 45. art. 3.* — Scotus, *quodlib. 20. num. 20.* — Anacletus noſter, *tract. 14. diſt. 5. num. 48.* — Ricardus, Durandus, Paludanus, Major, Navarrus, Bellarminus, Bonacina, Valentia, Coninchius, Suarez, Toletus, & alii apud Maſtrium, *in 4. diſp. 4. num. 114.* & Laymannus cum aliis DD. *lib. 5. tract. 5. cap. 1. num. 9.* 30

Hæc ſententia potiſſimùm ſuadetur ex communi ſenſu, & praxi Eccleſiæ Catholicæ Romanæ; nam ſi una Sancta Miſſa eſſet infiniti valoris effectivi, tunc fruſtrà ſpeciales, pluresque Miſſæ celebrarentur pro ſpecialibus hominum neceſſitatibus tam ſpiritualibus, quàm corporalibus; imò unica Miſſa ſufficeret effectivè ad totum mundum ſalvandum, ad placandum Deum, ad impetranda omnia bona, ad ſatisfaciendum pro omnibus, & ſingulis peccatis, & ad exhauriendas omnes Animas Purgatorii. Item ſequeretur, quòd ſufficeret una tantùm Miſſa in toto mundo ad ſatisfaciendum pro omnibus ſtipendiis à diverſis Benefactoribus attributis, & datis; ſed hæc, & alia ſimilia ſunt abſurda, & contra præceptum, & praxim Eccleſiæ; ergo dicendum omninò, quòd Miſſa effectivè non ſit infiniti, ſed finiti valoris.

Dices. Valor Miſſæ (ex ſupradictis) fundatur, ac deſumitur ex Sacrificio cruento in Ara Crucis oblato per Chriſtum Redemptorem, &c. ſed illud Sacrificium fuit infiniti valoris; ergo & Miſſa erit valoris infiniti.

℟. Diſtinguendo ſic: Sacrificium Miſſæ ex natura ſua, ſive ſecundùm potentiam radicalem, & remotam habet valorem infinitum 31

finitum extenſivè, *concedo*; ſecundùm verò potentiam proximam, & practicam cauſalitatem, *nego*. -- Vel ſic ℞. Miſſa eſt valoris infiniti ſecundùm ſufficientiam, & actum primum, *concedo*; ſecundùm verò applicationem, & actum ſecundum, *nego*. -- Vel ſic ℞. Miſſa eſt valoris infiniti in radice; *concedo*; in fructu autem, & effectu; *nego*. -- Vel ſic ℞. Ratione rei oblatæ, & principalis offerentis, qui eſt Chriſtus: *concedo*; ratione verò efficacitatis realis: *nego*.

32 *Ratio harum diſtinctionum eſt*: quia licèt Sacrificium Miſſæ ſit idem, ac Sacrificium Crucis; non ſit tamen eodem modo, nec eadem ratione; ergo nec eadem acceptatione; ergo nec eodem omninò valore acceptatur à Deo. Etenim Sacrificium Crucis erat actio minimè iteranda cruentè, paſſibiliter, &c. hoc autem Sacrificium Altaris erat ſæpius iterandum uſque ad conſummationem ſæculi hujus; planè ergo conveniens fuit, ut illud haberet valorem infinitum extenſivè, qui poſtea valor finitè per infinita (ut ſic dicam,) & innumera Sacrificia incruenta applicaretur omnibus, & ſingulis ſucceſſivè hominibus, ſicut & finitè applicatur idemmet valor infinitus per Sacramenta innumera, &c. Ita ex P. Boſco noſtro *diſp. 5. ſect. 4. concl.* 8. & ex aliis DD. citatis reſolvo.

33 *Sequitur, vel deducitur ex dictis* I. Quòd idem numero Miſſæ Sacrificium pro pluribus ſimul oblatum, & applicatum, minùs ſingulis prodeſt, ac ſi paucioribus, vel uni tantùm applicaretur.

34 II. Deducitur. Quòd, licèt quælibet Miſſa habeat ſuam limitationem *quoad valorem* à Deo taxatum, poteſt tamen creſcere ipſemet valor ſaltem ex opere operantis ex majori devotione Offerentium. *Dixi, ſaltem ex opere operantis*, quia non deſunt Doctores magni nominis, qui extendunt hoc augmentum valoris etiam *ad Opus operatum*: S. Thom. -- Cajetanus -- Vaſquez -- & de Lugo apud P. Pinamontium *in Arbore Vitæ: conſid. 5. n. 3.*

35 III. Miſſa ſolemnis coram multitudine populi devoti celebrata, eſt majoris valoris, (ut ſuprà) quàm alia privata: cæteris paribus, &c. *Item* Miſſa celebrata à devoto Sacerdote majoris eſt valoris, quàm alia ab altero non ita devotè peracta. *Item* Miſſa celebrata à malo Sacerdote habet ſuum à Deo taxatum valorem infallibiliter; quinimò aliqui DD. docent, quòd Miſſa mali Sacerdotis quoad ſubſtantialia non minùs valeat, quàm Miſſa boni Sacerdotis, apud Anacletum noſtrum, *tract. 14. diſt. 5. num.* 58. -- & Laymannum, *libr. 1. tract. 5. cap. 1. num. 11. & ſeq.*

Hic eſſent multa de ſtipendio Miſſæ tractanda; ſed lege, quæſo, Decreta Urbani Papæ Octavi, *De celebratione Miſſarum*, incipientia: *Cùm ſæpè contingat*: Conſtitutione 45. dicti Pontificis. -- & nonnullas propoſitiones damnatas ab Alexandro Septimo, la 8. 9. & 10. -- Quæ quidem Decreta confirmata fuerunt ab Innoc. P. XII. anno 1697. apud Offic. Curiæ Matthæucci, cap. 10. §. 1. ubi per extenſum omnia videbis. 36

De ſtipendio tamen vide nonnulla poſita ad Amici inſtantiam infrà, num. 61.

Quæro XXIV. *Quotuplex eſt fructus Miſſæ?*

℞. Eſt triplex: nempe ſpecialiſſimus, ſpecialis, & generalis. *Fructus ſpecialiſſimus* eſt, qui ſolùm ipſi Celebranti Miſſam competit taliter, ut non poſſit recta, & ordinata ratione, ac voluntate Celebrantis alteri applicari. *Fructus ſpecialis* eſt, qui ſpeciali quodam modo competit illi, cui Miſſa applicatur per Celebrantem, quando vel ex Juſtitia, vel ex quacumque alia obligatione, aut promiſſione Celebrans intendit dicere Miſſam pro aliquo, vel pro aliquibus determinatè. *Fructus generalis*, vel generaliſſimus eſt, qui competit toti Eccleſiæ; tum quia Sacerdos eſt publicus Eccleſiæ Miniſter; tum quia omnis Fidelis eſt, & eſſe debet particeps omnium Timentium DEUM: juxta illud Pſal. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium Te, & cuſtodientium mandata tua*: & juxta dogma Catholicum: *Credo Sanctorum Communionem.* 37

Quæro XXV. *Cuinam convenit ſpecialiter applicare Miſſæ Sacrificium, & fructum ſpecialem?*

℞. Soli Sacerdoti Miſſam celebranti. Ratio eſt: quia in hoc Tremendo Miſſæ Sacrificio Sacerdos celebrans, ſolus ſuſtinet Perſonam Chriſti: ſolus conficit, & propriè offert illud Sacrificium; ergo ipſi ſoli etiam convenit valida applicatio Sacrificii, ejuſque fructus ſpecialis, &c. Hoc punctum deſumitur funditùs ex Formula Ordinationis cujùslibet Sacerdotis, cui dicitur ab Ordinante: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi pro vivis, & defunctis.* 38

Hinc ſequitur manifeſtè, quòd, etſi Sacerdos 39

Digitized by Google

cerdos ex voto, Juſtitia, Charitate, Obedientia, vel quovis alio titulo obligetur, Miſſam applicare juxta intentionem Tertii, validè tamen (quamvis illicitè) applicare poteſt eamdem Miſſam pro aliis, vel pro ſe juxta ejus propriam intentionem. Ita noſter Herinx *part. 4. diſput. 8. num. 80.* — Sannig *diſt. 5. quæſt. 6.* — Anacletus, *tr. 14. diſt. 5. num. 72.* Boſco noſter, *diſp. 5. ſect. 4. concl. 6.* — Lugo, *diſp. 19. num. 210.* Suarez, Vaſquez, Coninchius, Averſa, Caſpenſis, & alii cum Maſtrio *in 4. diſp. 4. à num. 141.* ubi dicit, & probat hanc eſſe communiorem in Scholis, & probabiliorem ſententiam. Item P. Marchantius noſter, *tom. 2. tract. 2. part. 2. tit. 4. qu. 2. dub. 4.*

Quæro XXVI. *Ad validam Miſſæ applicationem quænam intentio requiritur?*

40 ℞. Applicatio Sacrificii non neceſſariò debet eſſe actualis intentio, neque virtualis; ſed ſufficit habitualis. Ita communiter DD. Ratio eſt: quia per actualem intentionem, aut applicationem olim habitam, & nondum retractatam, Sacerdos jam ſufficienter donavit, & applicavit alteri fructum ſpecialem ſui Sacrificii: qui fructus proinde obveniet ei (vi prioris donationis, & applicationis) cui jam applicavit; niſi revocetur expreſsè.

41 *Dices*: Intentio habitualis non eſt ſufficiens ad validè conſecrandum; ergo neque ſufficiet ad validè applicandum.

℞. Nego conſequentiam, & paritatem. *Quære rationem in Tract. 41. num. 103.*

Quæro XXVII. *Quandonam debet fieri applicatio Sacrificii?*

42 ℞. Debet fieri ſaltem antequam Sacrificium ſit eſſentialiter perfectum: ideſt, ante Conſecrationem. Dixi, *ſaltem*, quia, regulariter loquendo, Sacerdos debet formare applicationem ſui Sacrificii ante initium Miſſæ, præſertim quando accepto ſtipendio, aut præcurrente obligatione pro aliis celebrat; ut ſic totus fructus ſpecialis, etiam precum nomine Eccleſiæ peragendarum, obveniat illis, pro quibus celebrare tenetur.

Quæro XXVIII. *Eſtne licitum Sacerdoti non habenti ſtipendium pro Sacro hoc faciendo celebrare, & applicare Sacrum primæ Perſonæ, quæ ſibi Sacrum celebrari poſtmodum flagitabit?*

43 ℞. Minimè. Ratio eſt: quia fructus Sacrificii non poteſt ſuſpendi à Sacerdote, in cujus poteſtate ſolùm eſt applicare fructum ſtatim cauſatum, ſtatimque tranſeuntem. Quare jure merito reprobata, & damnata eſt à S. Congregatione praxis nonnullorum Sacerdotum, qui per modum anticipatæ ſolutionis ex nunc applicabant Miſſas pro iis, qui poſtea primò petebant: celebrando nempe ad eorum futuram intentionem, quam DEUS jam novit, &c. Ita refert Barboſa, *2. de offic. & poteſtate Epiſcopi allegat. 24. num. 12.*

Quæro XXIX. *Quomodo debet fieri Miſſæ applicatio?*

℞. Quando Miſſa applicanda eſt ex Ju- 44
ſtitia, aut obedientia, aut quocumque titulo obligationis, Sacerdos debet applicare valorem illius juxta intentionem petentis, eique modo (quo debet, ac poteſt) meliori prodeſſe intendat; interim tamen ſimul, & ſibi, & toti Eccleſiæ prodeſſe curet, ea ratione meliori qua poteſt, abſque præjudicio dantis ſtipendium. Poſita hac Celebrantis prudenti intentione, Deus Benedictus de fructibus Sacrificii dabit cuique, quantum optimè novit competere unicuique. Ita ex Gavanto, *part. 2. tit. 8. num. 3.*

Quæro XXX. *Si V. Gr. Anima Defuncti, pro qua celebratur Miſſa, non fuerit in Purgatorio; aut petens non ſit capax fructus Sacrificii, cuinam donabitur valor illius Miſſæ?*

℞. Fructus ſpecialis illius Miſſæ redibit 45
in Theſaurum Eccleſiæ; niſi tamen ulla alia foret Perſona, cui de Jure talis fructus competeret, & applicaretur à petente, vel à Celebrante, juxta Intentionem ſuprà explicatam *omni meliori modo, &c.*

Quæro XXXI. *Per unicam Miſſam poſſumuſne liberare unam Animam à pœnis Purgatorii?*

℞. Hoc nobis certò non conſtat; quia 46
liberatio unius Animæ Purgantis pendet à tribus cauſis. I. A Divina acceptatione. II. A quantitate pœnarum, quæ remanent ſolvendæ ab iſta Anima. III. A magnitudine, vel portione fructus effectivi illius Sacrificii; atqui iſtæ cauſæ nobis non innoteſcunt; ergo, &c.

Quæro XXXII. *Quando Sacerdos celebrat Miſſam ad Altare Privilegiatum, Anima illa, cui applicat Sacrificium, liberaturne infallibiliter à Purgatorio?*

℞. Eſt controverſia inter DD. nam ali- 47
qui dicunt, quòd ſic; quia Pontifex in Brevi Indulgentiæ pro Altari Privilegiato dicit:

Digitized by Google

dicit: *Concedimus, &c. ut, quicumque Sacerdos Miſſam celebraverit pro Anima cujuſcumque Fidelis, &c. ipſa Anima de Theſauro Eccleſiæ per modum Suffragii Indulgentiam conſequatur, & à Purgatorii pœnis liberetur*; ergo ſtando verbis, & ſenſui verborum Pontificis videtur eſſe certum, quòd Anima illa ſtatim liberetur à Purgatorio.

Alii dicunt, quòd non; quia Pontifex concedit illam Indulgentiam plenariam *per modum Suffragii*: non autem *per modum Abſolutionis*; Indulgentia autem conceſſa poſteriori modo infallibiliter ſuum conſequitur effectum inter vivos benè diſpoſitos; conceſſa autem priori modo, non ſortitur infallibiliter ſuum effectum; cùm ſemper pendeat à libera acceptatione, & miſericordia Dei. Vide Maſtrium *in moral. Theolog. diſput.* 24. *quæſt.* 3. *art.* 1. qui concludit cum Cardin. de Lugo, communiorem, & probabiliorem ſententiam eſſe priorem, quæ docet; Indulgentias pro Defunctis conceſſas certò, & infallibiliter eis prodeſſe.

Quæro XXXIII. *Quo titulo, vel quo jure teneantur Sacerdotes Miſſam celebrare?*

48 ℟. Variis titulis obligari poteſt Sacerdos ad Miſſam celebrandam. I. Ratione Ordinis Sacerdotalis. II. Ratione Curæ Animarum. III. Ratione Beneficii, ſeu Capellaniæ. IV. Ratione recepti ſtipendii, ſeu eleemoſynæ porrectæ, & acceptatæ. V. Ratione obedientiæ proprii Prælati.

Quæro XXXIV. *Sacerdos ſimplex nullo ex his titulis adſtrictus, ſed ſola ratione Ordinis Sacerdotalis ſuſcepti, teneturne ſub mortali aliquando infra annum Miſſam celebrare?*

49 ℟. Probabilior, & communior ſententia DD. dicit, quòd ſic; ſaltem ter, vel quater in anno, præſertim in Feſtis ſolemnioribus: ut probat P. Anacletus noſter, *Tract.* 14. *diſt.* 5. *qu.* 8.

Quæro XXXV. *Sacerdotes, qui ſunt notabiliter in mora celebrandi Miſſas jam debitas titulo Juſtitiæ, peccantne mortaliter?*

50 ℟. Affirmativè: ut communiſſimè docent DD. Ratio eſt: quia celebratio talium Miſſarum eſt (ut ſupponitur) debita ex Juſtitia; hæc autem ex genere ſuo obligat ſub mortali: & aliundè qui ſtipendium jam obtulit, minimè cenſetur conſentire (niſi aliud expreſſerit) in tam notabilem dilationem, ſibi valdè nocivam, & in maximum damnum Animarum, quæ in Purgatorio expectant illa ſuffragia; ergo, &c.

Tum quia: qui nulla legitima cauſa excuſante ſolvere differt debita temporalia Creditori ſuo valde indigenti, nonne peccat mortaliter? (Vide quæ docui in prima parte, tract. 35.) Ergo à fortiori in hac materia magis neceſſaria, & utili pro ſalute Animarum.

Confirmatur ex Decretis Bullæ Urbani Octavi incipien. *Cùm ſæpè contingat, &c.* ubi leguntur hæc verba ad propoſitum — Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omninò abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis .... Poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodò *infrà medicum tempus* poſſint omnibus ſatisfacere. *Hæc Bulla.*

Sed petes. Quid importat illud *medicum tempus*? 51

℟. Niſi ex aliis circumſtantiis colligatur intentio petentis circa majorem celeritatem, aut tarditatem; *modicum tempus* in propoſito erit *ſpatium unius, vel alterius menſis*: Ita multi DD. cum P. noſtro Boſco, *diſp.* 5. *ſect.* 5. *concl.* 7. Et P. Candido Brognolo *in Speculo Clericorum, Tractat.* 10. *cap.* 15. *num.* 22.

Quæro XXXVI. *Peccatne mortaliter Sacerdos, qui voluntariè omittit unam tantùm Miſſam ex multis, pro quibus omnibus accepit ſtipendium?*

℟. Quòd ſic. Ratio eſt: quia detrimentum ſpirituale, quod ſequitur ex omiſſione unius Miſſæ, eſt ſimpliciter magnum. 52
Tum quia promittens DEO unum Sacrificium, & non implens promiſſionem, peccat mortaliter; ergo, &c. *Probatur antecedens*. Cultus, qui Deo exhibetur per unam Miſſam, eſt grave bonum Dei, & grave bonum hominis: (hoc patet ex dictis de natura, & eſſentia, & effectibus hujus Tremendi Sacrificii) ergo Deus graviter, ac rationabiliter eſt invitus; ergo graviter offenditur ex omiſſione unius Miſſæ ſibi promiſſæ; ergo & homo, qui patitur detrimentum notabile intrinſecum: utpotè privatur fructu ſpeciali Sacrificii tam quoad ſatisfactionem, quàm

Digitized by Google

quàm quoad impetrationem. Ergo à fortiori Anima, quæ in Purgatorio expectat illud validiſſimum Suffragium Miſſæ, notabiliſſimum patitur damnum; ut patet conſideranti pœnas Purgatorii. — Ita cum multis, P. noſter Boſco, *loc. nuper citat. concluſ.* 8.

Quæro XXXVII. *Quonam tempore, quibuſve diebus licitum eſt celebrare Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium?*

53 ℟. I. Licitum, & permiſſum eſt cuilibet Sacerdoti ritè diſpoſito quotidie ſemel celebrare. Ut patet tum *ex cap. Conſuluiſti. De Celebrat. Miſſar.* tum ex praxi Eccleſiæ Univerſalis.

54 ℟. II. Feria Sexta Paraſceves omninò prohibitum eſt celebrare Miſſas, & quidem ſub mortali, ut habetur, *in capit. Sabbato* 13. *de Conſecrat. diſt.* 3. *ex Innocentio Papa Primo, epiſt.* 1. *ad Decentium, capit.* 4.

55 Neque enim illud Officium, quod ſolet fieri Feria Sexta majoris Hebdomadæ, dicitur eſſentialiter Miſſa: quia, ut patet, Sacerdos tunc non conſecrat Hoſtiam, ergo, &c.

56 ℟. III. Sabbato autem Sancto celebrare Miſſam privatam non eſt prohibitum Jure communi; nam prohibitio antiqua, (quæ refertur, *cap. citat. Sabbato, &c.*) ſolùm erat celebrandi per biduum illud, nempe per Feriam ſextam, & totum Sabbatum majoris Hebdomadæ uſque ad initium noctis ſequentis, quando dies Sabbati finita erat: initio autem noctis ſequentis, cùm prima ſtella in cœlo videbatur, Miſſa Solemnis dicebatur de Sabbato Reſurrectionis Dominicæ. Tractu autem temporis, juſtis de cauſis initium noctis prædictæ anticipatum fuit pro Miſſa ſolemni, quæ modò dicitur in Sabbato matutino tempore, ſeu manè jam facto; ergo per hanc conſuetudinem moderatum eſt Jus Canonicum antiquum. Cùm igitur illud Jus antiquum de tali Sabbato ampliùs non obliget cum rigore, ſequitur fore licitum celebrare etiam Miſſas privatas ſive ante, ſive poſt Miſſam ſolemnem, niſi vel conſuetudo, vel Synodus in aliqua Diœceſi hoc prohibeat. Optimum ergo erit ſequi conſuetudinem Eccleſiæ, in qua moraris, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi: ut ex Suarezio, Lugone, & aliis DD. probat noſter Boſco, *diſp.* 5. *ſect.* 5. *concl.* 15.

57 ℟. IV. Feria tandem quinta in Cœna Domini, quamvis ordinariè Sacerdotes ſimplices non celebrent; attamen nullum extat Decretum Canonicum prohibens, ſaltem ſub gravi culpa, & uſuale uſu receptum, ut dicit Boſco cit. Licebit ergo in Cœna Domini Miſſas privatas celebrare, ſecluſo ſemper ſcandalo, jurgio, admiratione, aliave prohibitione Synodali, &c. Quandoquidem, quantumvis à quibuſdam DD. citentur Decreta S. Congregationis in oppoſitum; hæc tamen non videntur legitimè promulgata: ut cum Suario, Diana, & Cardin. de Lugo probat P. Boſco, *loc. citat.* Obſervandum tamen eſt, tali die ſolùm licere Miſſas privatas dicere antequàm Miſſa ſolemnis finiatur, & Corpus Chriſti in Sepulcro recondatur; quia poſtea incipit Officium Paraſceues, &c. ut inquit Vaſquez, *diſput.* 232. *cap.* 2. *num.* 16. Hæc tamen limitatio non placet Boſco, &c. mihi tamen videtur congrua, ob reverentiam Officii Eccleſiaſtici.

℟. V. Non licet eidem Sacerdoti plures Miſſas eodem die celebrare. Ita ſtatuitur cap. Conſuluiſti 3. de Celebr. Miſſ. ubi Innocentius Papa Tertius ſcripſit Vigorenſi Epiſcopo, dicens: *Reſpondendum, quòd excepto die Nativitatis Domini, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodò celebrare.* Et cap. Te referente 12. eodem titul. habetur: *Cùm cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Miſſam ſufficiat: nam & valdè eſt felix, qui celebrat dignè unam: Fraternitati tuæ mandamus, &c.* Ita Honorius Papa Tertius Archiepiſcopo Sypontino. — Et ex Epiſtola Alexandri Papæ Secundi, quæ refertur, de Conſecrat. diſt. 1. capit. 53. ubi legitur ſic: *Sufficit Sacerdoti unam Miſſam in die una celebrare: quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit. Non modica res eſt, unam Miſſam facere, & valdè felix eſt, qui unam dignè celebrare poteſt, &c.* 58

℟. VI. Sufficit Miſſam finiri in aurora, & ante meridiem eſſe incœptam, regulariter, & ordinariè loquendo abſque Privilegio. Probatur ex communi uſu Eccleſiæ, & ex Rubricis Miſſalis Roman. cap. 15. 59

℟. VII. Regularibus Mendicantibus conceſſum eſt Privilegium, ut poſſint celebrare Miſſam una hora ante auroram, & una poſt meridiem: ut videre licet apud 60

apud Anacletum noſtrum, *tract.* 14. *diſt.* 5. *num.* 108. – Quod Privilegium fuit conceſſum à Leone Papa Decimo Fratribus Minoribus, ut habetur *in Comp. Privil. Mendicantium* Verbo *Miſſa* 2.

„ Omitto hic multa dubia circa hunc Tra-
„ ctat. Lege Miſſale Romanum, *tit. de De-*
„ *fectibus in celebratione Miſſarum occurrenti-*
„ *bus*, per omnia decem capita, ubi inve-
„ nies pluſquam quinquaginta dubia reſolu-
„ ta auctoritate Eccleſiæ Romanæ.

Quæro XXXVIII. *An Parochi teneantur quandoque gratis applicare Miſſas pro ſuis Parochianis?*

℞. Omitto hanc reſolutionem, ex reverentia debita Sapientiori ex octo Cenſoribus amicis meis, ad evitandam diſcordiam, & litem odioſam inter amicos Parochos. *Pro hac Quæſtione* poteris, Lector, videre inter multos, etiam iſtos à me benè lectos, videlicet: Bonacinam *de Sacram. diſput.* 4. *punct.* 7. *numer.* 5. *& de Leg. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *part.* 8. *num.* 4. – Card. de Lugo, *tom. de Euchar. diſput.* 21. *num.* 19. Joan. de Boſco *Theol. Sacramental. part.* 1. *diſp.* 2. *ſect.* 6. *num.* 36. *& part.* 2. *diſput.* 5. *ſect.* 5. *num.* 31. *ad* 33. – Layman, *libr.* 5. *tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 3. Brognolum *in Speculo Clericorum*, *tract.* 30. *cap.* 10. *reſol.* 4. 5. *&* 6. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 174. Vaſquez, 3. *part. diſput.* 234. *art.* 6. *cap.* 6. – Anacletum *in moral. tract.* 2. *diſt.* 1. *num.* 40. *& tract.* 14. *diſt.* 5. *num.* 85. Moronum, *Reſponſ.* 93. *num.* 10. *& ſeq.* Lezanam, *part.* 3. Verbo *Sacra Congregatio*, *num.* 11. Tonellium *in Enchiridio*, *libr.* 2. *cap. un. num.* 60. *in fine*. – Poſſevinum, *de Officio Curati*, *cap.* 2. *num.* 4. – Naldum Faventin. Verbo *Parochus*, *num.* 19. – Bordonum, *tom.* 6. *cap.* 5. *à num.* 68. – Dianam, *part.* 1. *tractat.* 10. *reſol.* 29.

E contra ad unius Amici Cenſoris inſtantiam nonnulla addo quæſita

De Stipendio Miſſæ.

Quæro XXXIX. *Stipendium Miſſæ eſtne licitum?*

61 ℞. Affirmativè. Ratio eſt, quia qui Altari deſerviunt, juſtum eſt, ut de eleemoſynis, & ſtipendiis Fidelium alantur; ut deducitur ex Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 9. Ita tamen, ut ſtipendium pro Miſſæ Sacrificio non ſit merces fructus Sacrificii, quem Fideles percipiunt, ſed Sacerdotis pro exercitio, cui vacat, juſta ſit ſuſtentationis, & alimenti contributio. Ita P. Marchant, *tom.* 2. *Tribunal. Sacram. tract.* 2. *part.* 2. *tit.* 4. *qu.* 2. *Appendice Doctrinali*, *reſol.* 1. cum communi.

Quæro XL. *Suſtentatio Sacerdotis debetne ſumi praciſè, & totaliter à Miſſæ ſtipendio?*

℞. Quòd non; ut habetur *ex cap. Presbyter. de Celebr. Miſſ.* Ratio etiam eſt: quia aliis adhuc actionibus, & proventibus tum Sacris, tum honeſtis; & Eccleſiaſticis, & Civilibus poteſt, & debet partem ſuſtentationis promereri quilibet Sacerdos titulo Patrimonii, vel Beneficii, vel Ordinis. *In Speculo Cleric.* Candidi Brognoli, *tract.* 10. *cap.* 15. *num.* 10. 62

Quæro XLI. *Quodnam cenſetur ſtipendium juſtum?*

℞. Juſtitia Stipendii Miſſæ menſurari debet ex circumſtantiis variis, & præſertim ab aliqua ex his. *Prima* ex laudabili conſuetudine Diœceſana. *Secunda* ex occupatione; plus enim occupatur Sacerdos, qui ad Eccleſiam longinquam proficiſci debet, ut Miſſam celebret, quàm qui juxta Eccleſiam habitat. *Item* Qui Miſſam cantare debet, quàm qui privatam legere. *Tertia* ex obligatione Miniſterii; plus enim Stipendii meretur qui certo loco, certis horis, certis diebus, perſonaliter obligatur celebrare, quàm qui pro beneplacito, quando, & ubi vult. *Quarta* ex impenſis; majus enim ſtipendium debetur Sacerdoti, qui de ornamentis, pane, vino, luminaribus, &c. providere propriis expenſis debet, quàm illi, cui omnia iſta gratis ſuppeditantur. *Quinta* ex modo celebrandi; aliquid enim plus meretur qui Miſſam Solemnem cum adjunctis Horarum, aut Officii Mortuorum cantu, Litaniis, Proceſſionibus, &c. celebrare debet, quàm qui ſimpliciter Miſſam communem. Ita P. Marchant *cit. Reſol.* 3. – Et Navarrus, Suarez, Vaſquez, Layman, Corduba, Bonacina, & alii apud Antonium de Eſcobar, *Theol. Univ. Moral. libro* 21. *cap.* 13. *num.* 154. *& ſeq.* 63

Quæro XLII. *Ubi eſt lex Synodalis, aut conſuetudo taxans certum Miſſæ Stipendium, obligantur Sacerdotes illius loci ad majus Stipendium non recipiendum, etiamſi offeratur?*

℞. Minimè. Ratio eſt: quia talis lex, 64
aut conſuetudo obligat petentes Sacrificium, ne minori ſtipendio ſolvant onera Miſſarum, aut ne Sacerdotes abundantius taxato de Jure exigant; non tamen prohibet,

hibet, nec prohibere regulariter poteſt uſum, & exercitium liberalitatis ex parte Dantium, &c. Ita Eſcobar, *cit. num.* 155.

Quæro XLIII. *Poſſuntne liberè omnes, & ſinguli Sacerdotes recipere onera perpetua Miſſarum celebrandarum?*

65 ℟. Nequaquam; quia Sacerdotes Sæculares ſine expreſſa licentia Epiſcopi, aut Vicarii Generalis in ſcriptis obtenta; Regulares verò ſine ſui Generalis, vel Provincialis facultate ſimiliter conceſſa, non poſſunt talia recipere onera, ut ordinat, & mandat Sacra Congregatio *in Decreto* citato, *de Celebratione Miſſarum, ſuperiùs, num. 36. Sub Urbano Papa VIII. & Innocentio P. XII.*

Quæro XLIV. *Sacerdos, qui ſponte acceptat Miſſas exiguo ſtipendio celebrandas, teneturne totum fructum Miſſæ applicare ei, qui incongruum, vel exiguum hujuſmodi ſtipendium tribuit?*

66 ℟. Affirmativè. Ratio eſt: quia ſcienti, volenti, & liberè conſentienti non fit injuria; atqui talis Sacerdos ſpontè acceptavit illud modicum ſtipendium pro tot Miſſis celebrandis; ergo abſolutè tenetur, tot Miſſas celebrare. Tum quia, qui petit exiguo promiſſo ſtipendio Miſſas celebrari, nil injuſtè petit à Sacerdote conſentiente; eſt enim in poteſtate Sacerdotis ſtipendium non acceptare, & Miſſas etiam gratis dicere, vel majus (intra limites congrui) ſtipendium paciſcendo petere, aut Miſſas celebrandas recuſare; facto igitur pacto, & promiſſo acceptato de tali eleemoſyna ſtipendiaria, Sacerdos ſe obligavit ad tot Miſſas; ergo in conſcientia tot celebrare tenetur more ſolito cum applicatione fructus totalis juxta conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ. Marchant *loc. cit. reſolut.* 6. — Per ly *Fructum totalem* intellige Fructum impetratorium, & ſatisfactorium, qui ſpeciali modo competit ei, qui Miſſam petit cum ſtipendio ordinario: & prout communiter una Miſſa alteri applicari ſolet.

Quæro XLV. *Sacerdos, qui omiſit Miſſam celebrare pro aliquo Tertio cum ſtipendio, ſatisfacitne obligationi ſuæ, ſi ſtipendium reſtituat?*

67 ℟. *I.* Si ſtipendium ſcienti omiſſionem prædictam reſtituat, ſatisfacit; iſte enim poteſt, ſi velit, curare, ut Miſſa ab altero Sacerdote celebretur. ℟. *II.* Si autem ignoranti, aut pauperibus ſtipendium acceptum reſtituat, non ſatisfacit; quia ille Tertius privatur contra ejus voluntatem fructu ſpeciali unius Miſſæ, quod eſt notabile damnum.

Quæro XLVI. *Quonam titulo obligatur Sacerdos applicare Miſſam juxta intentionem Petentis, & ſtipendium dantis?*

68 ℟. Ex quodam contractu Juſtitiæ: *Do, ut Facias*: qui his verbis exprimi poteſt: *Do ſtipendium: Tu mihi Miſſam applicabis. Accipio ſtipendium, & promitto tibi applicare Sacrificium.* Unde qui non celebrat Miſſam tali pacto promiſſam, tenetur ex juſtitia ad reſtitutionem ſtipendii, quod accepit. Ut cum communi docet P. Marchant *cit. reſolut.* 8. & Eſcobar *loc. cit. cap.* 13. *num.* 153.

Quæro XLVII. *Sacerdos, qui ratione Beneficii, ſeu Capellæ, tenetur ſingulis diebus celebrare, obligaturne etiam Miſſas applicare juxta fundatoris intentionem?*

69 ℟. Niſi aliud exprimatur in Fundationis Inſtrumento, vel Teſtamento, ſine dubio tenetur etiam Miſſas applicare. Ratio eſt manifeſta; quia communi uſu, ac Intentione Fidelium probatur, quòd qui Miſſas petit, applicationem conſequenter exigit; applicatio enim oritur ex obligatione celebrationis impoſitæ; ergo, &c.

Quæro XLVIII. *Poteſtne licitè Sacerdos eadem Miſſa duplici obligationi ſatisfacere; V. G. intentioni Teſtatoris ex vi fundationis, & Titii ex vi ſtipendii?*

70 ℟. Abſolutè quòd non. Hoc enim eſſet & contra Juſtitiam, & contra Fidelitatem: ut habetur in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Auctoritate Urbani P. VIII. edito, & celebrato: *De celebratione Miſſarum.*

Quæro XLIX. *Sacerdos, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certo ſtipendio pinguiori, poteſtne eamdem Miſſam alteri celebrandam committere, parte ejuſdem ſtipendii ſibi retenta?*

71 ℟. Nequaquam; Hoc enim fieri prohibetur à Decreto citato, §. 4. *Ad omne damnabile lucrum ab Eccleſia removendum, &c.*

Quæro L. *Rector Beneficii, qui poteſt per alium Miſſas celebrare, ſi tribuat Sacerdoti pro ſe celebranti eleemoſynam congruam ſecundùm morem Diœceſis, non habito reſpectu ad redditus ſui Beneficii, peccatne?*

72 ℟. Niſi in fundatione illius Beneficii aliud cautum fuerit, non peccat. Ita deducitur ex eodem Decreto, §. 8. *ad* 8. *dubium.*

Quæro LI. *Sacerdos dives poteſtne licitè accipere ſtipendium pro Miſſis?*

73 ℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia talis quamvis ſuſtentatione ſtipendiaria non indigeat, habet nihilominùs Jus ſuſtentandi ſe ex Altaris Miniſterio: nam Sacerdos ſerviens Altari, de Altari vivere poteſt; ſiquidem in Sacris Miniſteriis ob aliorum commodum occupatur. Antonius de Eſcobar, *Univ. Theol. Moral. libr.* 21. *capit.* 26. *Problem.* 134. *num.* 591. *&* 592. *ubi plura.*

Quæro LII. *Regulares, & ſpecialiter mendicantes habentne aliquod Privilegium Pontificium, quo poſſint celebratione unius Miſſæ ſatisfacere pro pluribus Miſſis?*

74 ℞. Habebant; ſed fuit revocatum per Decretum Urbani VIII. *de Celebrat. Miſſ.* ut probat, & demonſtrat noſter P. Candidus Brognolus, *in Speculo Clericorum; Tract.* 10. *cap* 15. *num.* 13. 14. *& ſeq.* Unde non solùm Sacerdotes Sæculares, ſed etiam Regulares in caſu neceſſitatis tenentur ad Sedem Apoſtolicam reccurrere pro oneribus Miſſarum celebrandarum reducendis, & moderandis. Candidus *cit. numer.* 16. ubi plurima dubia ad propoſitum; ego enim nolo pro nunc excedere limites Compendii promiſſi.

Circa obligationem celebrandi Miſſas infra modicum tempus, vide ſupra in hoc Tractat. num. 50. *&* 51.

Hic conſequenter ad ſervandum ordinem “
materialem Sacramentorum agendum fo- “
ret *de Pœnitentia*; quoniam verò intendo “
uberiùs, & commodiùs tractare hanc ne- “
ceſſariiſſimam materiam, ideò eam tranſ- “
fero in ultimum Sacramentorum locum. “

TRACTATUS XLVI.

DE SACRAMENTO Extremæ-Unctionis.

1 EXtrema-Unctio eſt ultimum ex illis Sacramentis, quæ vitam ſpiritualem cujuslibet Chriſti fidelis promovent: ſimulque non modò pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ (quæ perpetua pœnitentia eſſe deberet) conſummativum, exiſtimatum eſt à Patribus, ut dicit Tridentinum, *ſeſſ.* 14. *Doctrina de hoc Sacramento.* Et quia nonniſi in mortis articulo recipi poteſt, hinc & *Sacramentum exeuntium* nuncupatur. De quo pauciſſima tractanda erunt, remittendo Lectorem ad Rituale Romanum, *tit. de hoc Sacrament.* — Practicam viſitandi Infirmos P. Jacobi Mancini. — Poſſevinum *de Officio Curati:* & alios DD.

Quæro I. *Quid eſt Sacramentum Extremæ-Unctionis?*

2 *Reſpondeo.* Eſt unctio Chriſtiani infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo conſecrato ab Epiſcopo, miniſtrata à Sacerdote ſimul verba certa cum intentione debita proferente, ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans purgationem finalem venialium. Ita ex Scoto, *in* 4. *diſt.* 23. *qu. un.* Quæ definitio aptè declarat naturam hujus Sacramenti; ut patebit, &c.

Quæro II. *Quænam eſt materia hujus Sacramenti?*

℞. Materia remota eſt oleum olivarum 3
ab Epiſcopo benedictum. Proxima verò eſt ipſamet unctio. Ut habetur *ex Conc. Florent. in Decreto Unionis; & ex Tridentino, ſeſſ.* 14. *capit.* 1. *poſt Doctrinam hujus Sacram.*

Quæro III. *Quænam eſt forma?*

℞. Eſt ſolemnis illa precatio, quam Sa- 4
cerdos ad ſingulas unctiones dicit; nempe *Per iſtam Sanctam Unctionem, &c.* ut habetur ex Conciliis citatis: & Rituali Romano, atque ex traditione, praxique Eccleſiæ.

Quæro IV. *In caſu neceſſitatis ſufficietne una tantùm unctio?*

℞. Quòd ſic: in quacumque corporis 5
parte fiat talis unctio, cum unica tantùm forma exprimente omnes corporis ſenſus: dicendo V. Gr. *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum, auditum,*

Digitized by Google

ſum, odoratum, guſtum, tactum, & cætera deliquiſti. Amen. Ita Maſtrius cum multis DD. *Theol. Moral. diſp.* 22. *num.* 38.

Ratio eſt: quia per unius organi Unctionem factam cum expreſſione quinque ſenſuum corporis infirmi, ſalvatur totum id, quod ad hoc Sacramentum requiritur; ſimulque illa unica unctio ſufficienter ſignificat effectum hujus Sacramenti; ergo etiam ſufficiet ad valorem ejus.

6 Neque obſtant Concilium Florentinum, ac Rituale Romanum, quæ exigunt ſeptem, vel ſaltem quinque præcipuarum partium unctiones; nam tam Concilium, quàm Rituale loquuntur de eo, quod fieri debet extra caſum neceſſitatis; neque per hoc intendunt definire, omnium harum partium unctionem eſſentialiter requiri ad valorem Sacramenti; ut ex diverſis Ritualibus Diœceſanis probat Diana, *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 168.

Quæro V. *Quandonam fuit inſtitutum hoc Sacramentum?*

7 Rꝶ. Certum eſt de Fide, hoc Sacramentum (ſicut & reliqua) fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino: tempus autem præciſum non eſt notum ex Scripturis; ſolùm inſinuatum habetur in Euang. Marci, capit. 6. & per Apoſtolum Jacobum Minorem in ejus epiſt. c. 5. Fidelibus commendatum, ac promulgatum, ut patet ex *Conc. Trid. cit. cap.* 1. *& can.* 1. *de hoc Sacram.*

Quæro VI. *Quinam eſt Miniſter idoneus ad conferendum hoc Sacramentum?*

8 Rꝶ. I. De Jure Divino Miniſter idoneus hujus Sacramenti eſt ſolus Sacerdos Euangelicus legitimè ordinatus ſacro Presbyteratus Ordine; ut habetur ex D. Jacob. Apoſt. *cap.* 5. *ex Conc. Florent. Decr. Eug. & Trident. ſeſſ.* 14. *c.* 3. *de hoc Sacram.*

9 Rꝶ. II. Quilibet Regularis, vel ſæcularis Sacerdos ſimplex ſine expreſſa, vel ſaltem tacita licentia Parochi adminiſtrans hoc Sacramentum, validè quidem facit, ſed peccat mortaliter: cùm alienam ſibi uſurpet juriſdictionem. Ita communiter DD. cum Quintanadvena, *tract.* 5. *ſingul.* 3.

10 Rꝶ. III. Sacerdos Regularis, qui ſine licentia (ut ſuprà,) vel Privilegio miniſtrat hoc Sacramentum (idem de Viatico) ſæcularibus perſonis, incidit in excommunicationem latam *in Clementina* 1. *de Privileg.* — Ita cum multis DD. communiter id ſentientibus Quintanadv. cit. — & Practica Mancini: *tract.* 9. *dub.* 28.

11 Rꝶ. IV. In caſu autem neceſſitatis, cùm Parochus, & Capellanus abeſſent, & periculum eſſet in mora, Regulares licitè poterunt illud adminiſtrare: cum ſpe ratihabitionis non tantùm Parochi, verùm etiam Epiſcopi, imò & Papæ; qui non ſunt tunc exiſtimandi tam inhumani circa ſalutem Animarum ſibi à Domino Deo commendatarum, ut vellint Chriſti-fideles mori ſine Sacramentis Eccleſiæ. Ita Bonac. *diſp.* 7. *qu. un. punct.* 3. *num.* 6. — Suarez *tomo* 4. *in* 3. *part. diſput.* 44. *ſect.* 2. *num.* 5. — Navarrus *in man. cap.* 17. *n.* 101. Mancinus loc. cit. & Quintanad. loc. cit. cum aliis DD.

12 Rꝶ. V. Poſſunt Regulares licitè miniſtrare hoc Sacramentum, ſicut & SS. Viaticum, omnibus ſuis Novitiis, Tertiariis, ſervitoribus, commenſalibus, domeſticis, qui continuè vivunt, ac inſerviunt Monaſteriis ipſorum. Ut cum multis Privilegiis, & Auctoribus probat Quintanadvenas, *loc. citat. ſingul.* 3. *&* 4. — & Mancinus, *pract.* 8. *dub.* 12. *& pract.* 9. *dub.* 17. *in additione.* Qui Manc. *dub.* 18. *& ſeq.* addit, etiam licere Regularibus miniſtrare hoc Sacramentum (idem dices de Viatico) Religioſo alterius Ordinis; ſi ægrotaverit ad mortem in eorum Monaſterio, etiam ſine licentia Superioris iſtius Religioſi, vel Parochi illius loci; quia textus Clementinæ cit. loquitur ſolummodò de adminiſtratione hac non facienda Clericis ſæcularibus, aut laicis perſonis. *Vide Tractat.* 68. *num.* 36. *hujus Lucis.*

Quæro VII. *Quodnam eſt ſubjectum capax hujus Sacramenti?*

13 Rꝶ. Eſt ſolus homo baptizatus, pœnitentiæ capax, ac periculosè infirmus ad mortem; ita videlicet, ut probabiliter mors ei immineat ex tali infirmitate. Ita colligitur ex Conciliis citatis, & ex definitione hujus Sacramenti. Ratio à priori alia non eſt, niſi Chriſti voluntas, & inſtitutio: quia voluit hoc Sacramentum eſſe ſolùm pro hominibus infirmis, & ad mortem ægrotantibus; ideòque vocatur *Sacramentum exeuntium*: Ecce verba Concilii Trid. capit. 3. poſt doctrinam de hoc Sacram. traditam, ſeſſ. 14. *Declaratur etiam, eſſe hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.*

14 *Unde deduces.* I. Infantibus Extrema-Unctio non eſt miniſtranda; ut docet Scotus, *in* 4. *diſt.* 23. *qu. un.* Quia tales non poſſunt

poſſunt eſſe pœnitentes: ideſt, non ſunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ; ergo neque Extremæ hujus Unctionis.

15 II. Non debet denegari adultis in phræneſim, aut amentiam lapſis; dummodò antea petierint expreſsè, vel tacitè; quod præſumendum eſt, niſi de contrario conſtet.

16 III. Dandum eſt deficientibus per reſolutionem ob nimiam ſenectutem; quia ſenectus ipſa eſt morbus.

17 IV. Eſt tamen denegandum iis, qui ſunt conſtituti in articulo, vel periculo mortis ob extrinſecam tantùm violentiam: ut V. G. damnatis ad mortem, naufragantibus, prælliantibus, & ſimilibus; quia propriè non vocantur *infirmi*; nam infirmitas à cauſis intrinſecis procedit; ergo, &c.

18 V. Sufficit autem, ut infirmus prudenti judicio peritorum exiſtimetur periclitari, aut periculoſo morbo laborare; ut cum aliis docet P. Anacletus, *tract.* 14. *diſt.* 11. *num.* 28. — Quintanadvenas cum aliis multis DD. *tract.* 5. *ſingul.* 7.

19 VI. Sacerdos adminiſtrando hoc Sacramentum infirmo non periculosè ægrotanti, peccat mortaliter, niſi ignorantia eum excuſet, quæ non facilè excuſat Parochum; quia iſte hanc ſcientiam ratione Officii habere tenetur: Ratio eſt, quia ſaltem operatur contra præceptum Concilii tam Florentini, quàm Tridentini, ac Ritualis Romani. Dixi *ſaltem*; nam infirmitas gravis, & periculoſa cenſetur non ſolùm conditio requiſita ad effectum Sacramenti recipiendum, ſed etiam ad valorem eſſentialiter habendum; quia ſubjectum capax hujus Sacramenti eſt homo infirmus ad mortem; ergo qui non infirmatur ad mortem, non eſt capax, &c. ergo fruſtratur Sacramentum; ergo Sacerdos miniſtrans (ut ſuprà) peccat peccato etiam Sacrilegii ob fruſtrationem, vel ſaltem ob periculum fruſtrationis hujus Sacramenti. Lege Maſtrium, *in moral. diſp.* 22. *quaſt.* 5. *num.* 72. & Quintanadvenam *cit. ſingul.* 7. *num.* 5.

Quæro VIII. *Quinam ſunt effectus hujus Sacramenti?*

℞. Ultra Gratiam ſanctificantem, quæ 20
ex opere operato cauſatur ab omnibus Sacramentis, ſpecialis effectus Extremæ-Unctionis eſt remiſſio peccatorum venialium: quæ ſi jam remiſſa fuerint ex vi aliorum Sacramentorum, vel per actum Contritionis: remittentur quoad pœnas debitas juxta diſpoſitionem ſuſcipientis.

Deinde alleviat infirmum. Quid eſt hoc? 21
Audi Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. *Ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ Miſericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus ſublevatus & morbi incommoda, ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis faciliùs reſiſtit, &c.*

Præterea, peccatorum reliquias abſter- 22
git. Ubi per peccatorum reliquias intelligo animi languorem, torporem, mœrorem, triſtitiam, faſtidium, & anxietatem, ac alias pravas affectiones, quæ ex peccatis præteritis, eorumque recordatione oriri in mente morientis, & quandoque peccatorem in deſperationem miſerrimè inducere, atque immergere ſolent. — Oh quàm bonus, ac deſiderabilis effectus! Utinam non decedam ex hac vita ſine hoc S. Sacramento.

Tandem liberat infirmum ab ipſamet in- 23
firmitate corporali, ſi Animæ ſaluti expedierit, & ad vitam æternam profecerit: Ita Theologi communiter ex Conciliis citatis, ſignanter ex Tridentino, *loc. citat. capit.* 2. *& in Doctrina de hoc Sacramento.* apud Anacletum noſtrum, *cit. diſt.* 11. *quæſt.* 2. *&c.*

Etiam hic facio unum ſaltum in ordine numerario Sacramentorum, ob rationem ſimiliter tactam ſuperiùs, videlicet, ut meliùs, commodiùs, ac fuſiùs agam de Sacramento Ordinationis; hæc enim duo Sacramenta *Ordinis*, & *Pœnitentiæ*, (utpotè magis, magiſque ſcitu neceſſaria Clericis, & Sacerdotibus novellis) toto mihi poſſibili conatu declarare intendo, ut patebit.

TRACTATUS XLVII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

1 Matrimonium, quod ab Apoſtolo ad Epheſ. 5. *Magnum Sacramentum* appellatur, ratione ſuæ ſignificationis, eò quòd ſignificet conjunctionem Chriſti ſpiritualem cum Eccleſia ejus Sponſa, fuit à P. Thoma Sanchez Cordubenſi diligentiſſimè tractatum tribus in Tomis decem libros continentibus. Quomodo igitur hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus foſſula includere potero? At quoniam *hæc grandis materia potiùs ad Parochos*, quàm ad ſimplices pertinet Confeſſarios, breviter more ſolito me expediam, ut tempus mihi ſuperſit, uberiùs (ut promiſi) tractandi alia duo, quæ data opera in ultimo reliqui loco, Sacramenta, *Ordinationem*, videlicet, & *Pœnitentiam*. Igitur

Quæro I. *Quibuſnam nominibus nuncupatur hoc Sacramentum?*

2 *Reſpondeo*. Quatuor ſunt nomina (Synonima) quibus Matrimonium appellari ſolet: Matrimonium, videlicet, Nuptiæ, Connubium, & Conjugium. I. Dicitur *Matrimonium*, quia mulier nubit, ut Mater efficiatur: unde eſt quaſi *Matris munium*, ſeu officium; eò quòd Matri maximè incumbat onus nutriendæ prolis, quæ eſt finis primarius hujus Contractus, & Sacramenti. II. Dicitur *Nuptiæ*, & *Connubium*, ab obnubendo, vel tegendo, ſeu velando: quia quaſi nube obtegitur mulier à viro: vel quia antiquitùs puellæ, dum viris dabantur, ſe obnuberent, ſeu faciem velarent. Hodie tamen *Nuptiæ* propriè accipiuntur pro ipſamet ſolemnitate, & pompa exteriori, quæ in contractu Matrimoniali communiter fieri ſolet. Et hinc tempore Adventus, & Quadrageſimæ prohibentur ab Eccleſia *Nuptiæ*, hoc eſt, Solemnitas Nuptiarum: nam ſine his ſolemnitatibus quocumque anni tempore Matrimonium licitè contrahitur: ut habetur, *capit. Capellanus de Feriis*.

3 Appellatur etiam *Conjugium*, ab effectu, eò quòd duos, maſculum, & fœminam, (ut una caro efficiantur per copulam maritalem) conjungit; vel quia virum, & mulierem ſub uno, eodemque quaſi *mutuo jugo* ad ſervandam fidem, & onera matrimonialia ſuſtinenda conſtituit. — Solet quandoque etiam dici *Sponſalia de præſenti*: verumtamen ſub his terminis intelligitur potiùs ipſe contractus matrimonialis per verba præſentis temporis initus.

Quæro II. *Quanam in Matrimonio diſtingui debent?*

4 ℟. Tria hæc: nempe Contractus Matrimonii, Matrimonium, & Sacramentum Matrimonii. *Contractus Matrimonii* eſt ille mutuus conſenſus ſignis exterioribus ſufficienter declaratus, quo Conjuges contrahunt Sponſalia de præſenti. — *Matrimonium* eſt illa obligatio mutua, ſeu vinculum illud, quo Conjuges inter ſe mutuò indiſſolubiliter obligati permanent. *Sacramentum Matrimonii* aliud non eſt, quàm ipſum ſeptimum novæ Legis Sacramentum: ſeu ſignum ſenſibile ex Chriſti inſtitutione dignè contrahentibus cauſans Gratiam ex opere operato, & ſignificativum myſticæ conjunctionis Chriſti cum Eccleſia.

5 Matrimonium autem abſolutè ſumptum eſt legitima maris, & fœminæ conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens. *Ita ex communi*.

6 Quod dividitur in Legitimum, Ratum, & Conſummatum. *Legitimum* eſt, quod legitimo conſenſu inter perſonas habiles, & Jure non impeditas, conſtitutum, & celebratum eſt. — *Ratum* eſt, quod non ſolùm legitimè eſt contractum, ut ſuprà, ſed inſuper eſt Sacramentum, & hoc datur tantùm inter Fideles baptizatos ſecundùm Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem. *Conſummatum* tandem dicitur illud Matrimonium, quod accedente reali corporis uſu inter conjuges completur, & conſummatur ad prolem concipiendam.

Quæro III. *Quandonam fuit inſtitutum hoc Sacramentum?*

7 ℟. Tunc, quando Chriſtus Dominus Matth. capit. 19. approbavit contractum Matrimonii, & addidit: *Quod Deus conjunxit*,

junxit, homo non ſeparet. Tunc enim elevavit contractum Matrimonialem ad rationem Sacramenti. Ita ex Scoto *in* 4. *diſt.* 26. §. *de primo*, Sanchezio, *lib.* 2. *diſput.* 4. *num.* 5. Anacleto noſtro, *Tract.* 14. *diſt.* 13. *num.* 9.

Quæro IV. *Quænam ſunt bona Matrimonii?*

8 ℞. Principaliora ſunt iſta tria. I. Proles ſuſcipienda, & educanda ad cultum Dei. II. Fides, quam unus conjugum alteri ſervare debet. III. Indiviſibilitas ipſius Matrimonii, propter hoc, quod ſignificet indiviſibilem conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ.

9 ℞. *II.* Minùs verò principalia bona Matrimonii ſunt. I. Remedium concupiſcentiæ carnalis. Homo enim poſt Originale peccatum multùm proclivis remanſit in actum carnis. Inſtituit ergo Deus Matrimonium, ut homo haberet aliquod remedium circa hanc concupiſcentiam, ac poſſet ſine peccato talem actum exercere. Unde ſtatus Conjugatorum bonus eſt, & in eo ſalvus, & ſanctus poteſt eſſe homo, ſi rectè juxta ſtatum vivat. Tamen perfectior eſt ſtatus cælibatus, ut determinatur in Concil. Tridentino, *ſeſs.* 24. *can.* 10. *de hoc Sacram.*

10 II. Bonum ſunt mutua obſequia viri, & uxoris; homo enim indigens factus eſt, nec poteſt ſibi vir in omnibus providere; nec ſibi ſola mulier; at ſimul uterque conjunctus, & cohabitans ſibi invicem in neceſſariis providet. Ita Cardin. Toletus, *libr.* 7. *cap.* 6.

Quæro V. *Quænam eſt materia hujus Sacramenti?*

11 ℞. Materia remota ſunt corpora habilia contrahentium. Materia autem proxima eſt ipſamet legitima traditio mutua corporum quoad poteſtatem in ordine ad generandam prolem. Ita Maſtrius *Moral. diſp.* 20. *num.* 9. & 10.

Quæro VI. *Quænam eſt forma?*

12 ℞. Sunt verba Contrahentium, vel alia ſigna externa verbis æquivalentia, mutuum conſenſum, atque traditionem prædictam ſufficienter exprimentia. Ita Anacletus, *cit. num.* 15.

Quæro VII. *Quinam eſt Miniſter proprius hujus Sacramenti?*

13 ℞. Sunt ipſimet Contrahentes, & Conjuges, ambo adæquatè; unde debent eſſe in ſtatu Gratiæ; quia & miniſtrant, & ſimul ſuſcipiunt unum verum, & Sanctum Sacramentum. Ita Sanchez, *lib.* 2. *diſp.* 6. cum communi DD.

Quæro VIII. *Ad quid ergo inſervit Parochus?*

℞. Parochus, vel alius Sacerdos de ejus 14
expreſſa licentia eſt *Aſſiſtens* Matrimonio, illudque benedicens, ac ſe habet ut Teſtis authorizabilis ex præſcripto Concilii Tridentini, *ſeſs.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrimonii*; quia nomine, & authoritate Eccleſiæ authorizat illum actum, ut ſit validus in faciem Eccleſiæ, & coram Teſtibus. Verba autem, quæ dicit Parochus poſtquàm Conjuges jam contraxerunt, &c. ſunt per modum precationis, ac Cæremoniæ Eccleſiaſticæ, quibus confirmatur, & approbatur Matrimonium, atque ratum habetur ab Eccleſia.

Quæro IX. *Conjuges poſtquàm Matrimonium contraxerunt, tenenturne ſimul cohabitare?*

℞. Utique, & in eadem domo, men- 15
ſa, & lecto; quæ quidem obligatio deſcendit tum ex Jure Divino, tum ex natura contractus conjugalis, ut patet ex definitione Matrimonii.

Unde deduces. I. Quamvis Maritus 16
ratione negotii, vel mercaturæ poſſit modico tempore abeſſe: hoc tamen non eſt licitum longo tempore; niſi accedat alia gravis, & juſta cauſa talis abſentiæ. Ratio etiam eſt: quia cùm vir, & uxor ſint una caro, non debet alter ſine altero diutiùs eſſe propter periculum incontinentiæ, aliorumque malorum. Ita etiam habetur *ex capit.* 1. *de Conjug. leproſ.* cum Gloſſa.

Deduces II. Uxor tenetur comitari vi- 17
rum ſuum, ſi iſte mutaverit domicilium; ſecùs tamen, ſi vir efficiatur vagabundus, ut docet Abbas *ad cit. cap.* 1. *de Conjug.*

Quæro X. *Actus conjugalis eſtne licitus, & etiam meritorius?*

℞. *I.* Inter Fideles conjuges actus co- 18
pulæ maritalis eſt non ſolùm licitus, ſed & meritorius; dummodò Conjuges ſint in Gratia, & ob debitum finem actu iſto utantur: ut docent D. Thom. *in addit. quæſt.* 49. *art.* 6. & Card. Toletus, *lib.* 7. *cap.* 5.

℞. *II.* Tunc autem eſt debitus finis, 19
quando actus iſte fit ex zelo juſtitiæ, & Religionis: nempe ut homo faciat id, ob quod, & in quod Matrimonium eſt inſtitutum à Deo.

℞. *III.* Ad hoc ut ſit licitus actus iſte 20
debet

Digitized by Google

debet fieri vel ob generationem prolis : vel ad ſolvendum alteri conjugi debitum: vel ad vitandam incontinentiam propriam, vel alterius conjugis : vel ad ſanitatem conſervandam, propriam, vel conſortis in bonum prolis ſuſcipiendæ. Ita cum aliis DD. P. Anacletus, *Tractat. 14. diſt. 13. quæſt. 6.*

21 ℞. *IV.* Ob ſolam voluptatem captandam exercere opus conjugii eſt peccatum ſaltem veniale; quia hoc eſt operari more brutorum, quibus non eſt intellectus, & explere libidinem, ſicut equus, & aſinus. Quare meritò damnata fuit ab Innocent. XI. hæc propoſitio, ordine, & numer. 9. — *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, & defectu veniali.*

22 ℞. *V.* Tenetur conjux alteri explicitè, vel implicitè petenti reddere debitum conjugale, niſi juſta cauſa excuſetur. Ita communiter DD. quos videre poteris.

23 Circa peccata Conjugum in hac mate-
„ ria vide in prima parte hujus Lucis Mo-
„ ralis, *Tract. 28. à num. 19. ad num. 38.*

Quæro XI. *Quid eſt Divortium?*

24 ℞. Eſt legitima ſeparatio viri ab uxore, & uxoris à viro, manente adhuc vinculo conjugali. — Dicitur *legitima ſeparatio*: quia ſine lege, ac legitima ratione à Superiore Eccleſiaſtico approbanda, fieri non poteſt Divortium: ut patet ex praxi Eccleſiæ, & ut habetur ex Concil. Trident. *ſeſſ. 24. can. 8. de Matrim.*

25 ℞. *II.* Sex autem ſunt cauſæ, ob quas licitum eſt Divortium. *I.* Mutuus conjugum conſenſus. *II.* Lapſus in hæreſim alterius conjugis. *III.* Incitatio ad peccatum, aut grave periculum ſalutis Animæ. *IV.* Sævitia conjugis, aut aliud grave periculum ſalutis corporalis. *V.* Graves, frequenteſque diſcordiæ, quibus cohabitatio conjugi innocenti nimis moleſta, ac intollerabilis redditur. *VI.* Adulterium alterius conjugis. Vide declarationes harum, & aliarum cauſarum Divortii apud Laymanum, *lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 7. per totum*, & Sanchezium, *lib. 10. per totum, de Matrimon.*

26 ℞. *III.* Separatio quoad thorum dumtaxat fieri poteſt mutuo conjugum conſenſu ob aliquem finem honeſtum, quamdiu periculum incontinentiæ alteri conjugi non immineat; ut probat Anacletus, *Tract. 14. diſt. 13. qu. 7.*

De Sponſalibus.

Quæro I. *Quid intelligitur hoc nomine, Sponſalia?*

27 ℞. Sponſalia dicuntur *à ſpondendo*: nam antiquitùs mos erat, ut puella nubilis promitteretur viro à Patre, Tutore, vel ab aliis ejus Conſanguineis.

28 ℞. *II.* Nunc autem *Sponſalia* propriè capta ſumuntur pro mutua utriuſque Sponſi promiſſione de futuro Matrimonio contrahendo.

Quæro II. *Quænam conditiones requiruntur ad valorem Sponſalium?*

29 ℞. Multæ; ſed præcipuæ ſunt ſex. I. Ut adſit vera promiſſio. II. Ut ſit libera, & deliberata promiſſio. III. Ut promiſſio ſit mutua, vel reciproca ſponſi, & ſponſæ. IV. Ut talis promiſſio ſit acceptata ab utraque parte. V. Ut promiſſio iſta ſigno aliquo exteriori manifeſtetur, ut innoteſcat utrique parti contrahentium. VI. Ætas conveniens: quæ communiter ſeptennium ſtatuitur, ideſt, ætas ſeptem annorum; nam requiritur uſus perfectus rationis, & diſcretionis. Ita Magiſter *Bertaù in Directore Confeſſariorum:* editione decima octava Venetiis apud Franciſcum Stortum, *anno* 1654.

Quæro III. *Poſſuntne Parentes, vel Tutores, aut Conſanguinei contrahere Sponſalia pro puellis ſuis?*

30 ℞. Quòd ſic; ut tamen ſint valida, requiritur poſtea conſenſus ipſarummet puellarum; nam ad ipſas ſpectat Matrimonium contrahere; ergo & ſponſalia.

Quæro IV. *Obligantne Sponſalia jam validè facta ſub culpa mortali?*

31 ℞. Quòd ſic; Ratio patet à virtute Promiſſionis de re gravi, quæ obligat promittentem ſub culpa mortali, non ſolùm ex fidelitate, ſed etiam ex Juſtitia; Sponſalia autem nil aliud ſunt, quàm Promiſſio de contrahendo ſuo tempore Matrimonium. Vide quæ diximus *de Promiſſione in 1. part. tract. 33. à num. 46. ad n. 51.* quæ omnia hìc applicanda ſunt.

Quæro V. *Sponſalia clanculùm, ſeu ſecretò inita ſuntne licita, & valida?*

32 ℞. *I.* Ex natura ſua, & per ſe loquendo ſunt & licita, & valida; quia nullo jure prohibentur.

℞. *II.* Per accidens verò ſolent eſſe illicita ob ſcandala, diſſenſiones, Jurgia, lites,

Digitized by Google

tes, &c. quæ inde ſolent oriri inter Parentes, & filios.

Quæro VI. *Filiusfamilias, qui inconſultis, inſciis, invitiſque Parentibus contraxit Sponſalia cum puella, teneturne fidem datam ſervare?*

33 ℟. Affirmativè. Ratio eſt: quia licèt peccaverit ſic contrahendo Sponſalia, obligatur tamen (poſt factum) Promiſſionem ſuam ex parte ſua adimplere, quia perſonalis eſt; imò in omni Foro compelli poteſt. Ita Sanchez, *lib. 1. diſp.* 14. Layman, Molina, & alii DD.

Quæro VII. *Peccarentne mortaliter Parentes, ſi filium, vel filiam ſuam adultam impedirent à Matrimonio promiſſo contrahendo?*

34 ℟. Quòd ſic. Ratio patet; quia Filii, quoad electionem ſtatus, ſunt ſui Juris, nec poſſunt cogi ad certum Matrimonium contrahendum contra genium, & voluntatem ipſorum; ergo neque poſſunt impediri à conſecutione talis Matrimonii intenti, & promiſſi. Vide quæ diximus circa hanc materiam, *part. 1. tract. 23. num.* 14. *& ſeqq.* ubi multa ad propoſitum.

Quæro VIII. *Quænam ſunt cauſæ, ex quibus licitè diſſolvuntur ſponſalia?*

35 ℟. Multæ; ſed præcipuæ ſunt iſtæ. I. Mutuo conſenſu: etiamſi firmata fuiſſent Juramento. II. Per ingreſſum Religionis. III. Per ſuſceptionem Ordinis Sacri. IV. Per votum ſimplex Religionis, aut Caſtitatis. V. Per ſubſequens Matrimonium cum alia perſona. VI. Per abſentiam Sponſi non obtenta licentia à Sponſa, abſque ſpe celeris reditus. VII. Elapſo termino præfixo ad Matrimonium contrahendum. VIII. Per fornicationem alterutrius Sponſi. IX. Per impudicitiam notoriam Sponſæ. X. Per impedimentum ſuperveniens, ſive ſit impediens ſolùm, ſive & dirimens. XI. Per ſupervenientem notabilem mutationem vel in bonis corporis, vel in bonis fortunæ, vel famæ, vel moris alterius ſponſi. XII. Si cognoſcatur (poſt contracta ſponſalia) aliquid conſiderabile, quod a principio fuit ignotum ex alterutra parte. Has, & alias cauſas breviter, & ſolidè invenies probatas *in Directore Confeſſariorum* P. Magiſtri Bertaù. *De Matrimon. cap.* 8. §. 2.

Quæro IX. *Secunda ſponſalia diſſolvuntne priora?*

36 Explico Quæſitum. Titius contraxit jam ſponſalia cum Berta; poſtea volubilitate, aliave levi cauſa pœnitens facti, contrahit ſponſalia cum Caja. Quæritur: quænam ex his ſunt valida?

℟. Ex certa, & communi DD. ſententia per ſecunda ſponſalia non diſſolvuntur priora; quia ſecunda nullius fuerunt valoris; ergo priora remanent in ſuo valore. Ut colligitur, *ex cap. unic. de Sponſal. in* 6.

Quid, *ſi poſteriora Sponſalia juramento eſſent firmata, & non priora?*

℟. Idem eſt dicendum: quia Juramentum illud non firmavit Promiſſionem ſecundam illicitam, & invalidam; nam Juramentum non eſt vinculum injuſtitiæ, & iniquitatis. 37

Quid, *ſi Titius prædictus cognovisſet carnaliter Cajam ſub ſpe Matrimonii futuri?*

℟. Neque in hoc caſu diſſoluta forent priora Sponſalia cum Berta; quia poſt Concilium Tridentinum talis copula non habet vim tranſeundi in Matrimonium, etiamſi facta fuiſſet affectu matrimoniali; quia tunc fuiſſet Matrimonium Clandeſtinum prohibitum, ac ut invalidum declaratum à Concilio Tridentino, &c. Ut cum aliis DD. probat Eligius Baſſæus *tit. de Sponſalibus*. 3. 38

De Impedimentis Matrimonii.

Quæro I. *Quænam ſunt Impedimenta impedientia tantùm Matrimonium?*

℟. Noſtris his temporibus ſunt hæc ſolùm, quæ in hoc verſiculo includuntur: 39

Sacratum tempus: Vetitum: Sponſalia: Votum.

Sacratum tempus, ſeu feriatum, quale eſt (juxta præſcriptum Concilii Tridentini, *ſeſſ.* 24. *cap.* 10. *de Reformat. Matrim.*) ab Adventu uſque ad Feſtum Epiphaniæ: & à feria 4. Cinerum uſque ad Dominicam in Albis.

Sciendum tamen (ut alibi notavi) hoc præcepto ſolùm prohiberi ſolemnitatem Nuptiarum, ideſt, ſolemnem earum Benedictionem; item ſolemnem traductionem Sponſæ ad domum Sponſi, qualis fieri ſolet per convivia pompoſa, & alia vanæ lætitiæ ſigna externa, &c. De reliquo etiam dictarum feriarum tempore licitum eſſe Matrimonium contrahere coram Parocho, & Teſtibus, abſque prædictis ſolemnitatibus; ut latiùs probat Sanchez cum multis DD. *libr. 7. diſp. 7. de Matrimon.* — De licentia tamen Ordinarii: ut probat 40

Bona-

Digitized by Google

Bonacina *hic*: *quaſt. 3. punct. 14. numer.* 4.

41 *Vetitum* ſcilicet Eccleſiæ: & per hoc intelligitur generalis, vel particularis prohibitio Eccleſiæ, aut Epiſcopi, aut Parochi tale Matrimonium prohibentis ex juſta, & rationabili cauſa. V. G. Ut non contrahatur ante præmiſſas trinas denuntiationes: vel antequam compareat talis Teſtis, qui vult probare adeſſe aliquod impedimentum: aut ut differatur ad alium diem ob alicujus Feſti venerationem, & hujuſmodi.

42 *Sponſalia*, nempe, priùs cum alia perſona validè contracta, ut vidimus; quia, qui ſic contraxit, tenetur ſub mortali eam ducere; quamvis ſi aliam ducat, Matrimonium ſit validum, licèt illicitè initum.

43 *Votum*, ideſt, ſimplex votum Caſtitatis, vel Religionis ingrediendæ, vel aſſumendi Ordinem Sacrum, vel non ampliùs ineundi Conjugium: quia hujuſmodi Vota ſimplicia ſunt de meliori bono, & conſequenter ſervanda; ergo impediunt contrahendum deinceps Matrimonium; non tamen dirimunt contractum, licèt illicitè ſit factum; *Multa enim facta tenent, quæ fieri prohibentur.* – Vide Anacletum, *tractat.* 14. *diſt.* 14. *quaſt.* 2.

Quæro II. *Quænam ſunt Impedimenta dirimentia Matrimonium?*

44 ℟. Poſt Concilium Tridentinum ſunt quatuordecim, quæ ſequentibus verſiculis aptè comprehenduntur: videlicet,

Error: Conditio: Votum: Cognatio: Crimen:
Cultus diſparitas: Vis: Ordo: Ligamen: Honeſtas:
Si ſis affinis: Si fortè coire nequibis:
Si Parochi, aut duplicis deſit præſentia teſtis:
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc ſocianda vetant Connubia; facta retractant.

45 Sunt nonnulli DD. qui addunt quintumdecimum, hoc eſt, *defectum ætatis*: ut ſi contrahentes ſint impuberes; ideſt, ſi maſculus non compleverit annum decimumquartum, & fœmina duodecimum; quia his impuberibus prohibetur contrahere Matrimonium: & Eccleſia irritat contractum: ut habetur *ex cap. Puberes: & cap. ult. de deſponſat. impuber.* cum concordantiis: tum *ex cap. Atteſtationi: eod.* Verumtamen (ut advertit P. Anacletus, *citat. quaſt.* 4.) iſtud impedimentum facilè poteſt reduci ad *Impotentiam, &c.*

Vis videre explicationem prædictorum? Lege Anacletum *citatum*: – *Bernaù* §. 8. *& ultimo*. – Buſembaum, *libr. 6. tract. 6. cap. 3. dub. 2.* – Examen Eccleſiaſticum Felicis Poteſtatis Panormitani, *à num. 3995. & ſeqq.* – Brevem Notitiam Joſephi Auguſtini Panormitani, *de Sacram. Matrim.* -- Summam Diana compoſitam ab Antonio Cotonio, *V. Impedimenta Matrim.* -- Bonacinam *de Matrim. quaſt. 3. puncto 2. ad 13.* -- Maſtrium *Moral. diſp. 20. à nu. 95. ad 114.* -- Thom. Sanchez, *libr. 7. per totum*: – & alios Libros Majores.

Quæro III. *Eſtne peccatum mortale, ſcienter contrahere Matrimonium cum aliquo ex dictis Impedimentis?*

℟. Affirmativè: quia eſt frangere, & 46
quaſi contemnere præceptum Eccleſiæ in re graviſſima; quòd ſi impedimentum eſt dirimens, tunc gravius erit peccatum ratione invaliditatis Matrimonii, & continui concubinatus. Quòd ſi tale impedimentum oriatur ex conſanguinitate, vel affinitate, vel Voto ſolemni, vel Ordine Sacro; tunc contrahentes incurrunt Excommunicationem Papalem ipſo facto: ut habetur *ex Clementina unic. de Conſanguinitate.*

Quæro IV. *Quid, ſi contrahentes (ſive uterque, ſive alteruter) dubitaſſent, adfuiſſe Impedimentum dirimens, & poſt contractum Matrimonium cognoviſſent certò nullum fuiſſe Impedimentum?*

℟. Peccaſſent utique mortaliter ratione 47
dubii; Matrimonium tamen fuiſſet validum. Prima pars eſt manifeſta; quia ſtante dubio non licet operari, &c. Secunda pars probatur; quia ſic contraxerunt, quaſi ſub conditione de præſenti, *ſi habiles ſumus*; atqui jam habiles erant, ut caſus ſupponit; ergo efficax fuit conſenſus, & conſequenter validum Matrimonium.

Quæro V. *Sed quid, ſi certò putaſſent, adeſſe Impedimentum, quod de facto non erat?*

℟. Tunc Matrimonium fuiſſet invali- 48
dum. Ratio eſt: quia qui firmiter credit, ſe eſſe impeditum dirimente Impedimento ad contrahendum, nec abſolutè, nec conditionatè poteſt efficaciter conſentire Matrimonio, niſi ſit fatuus, vel hæreticus; quia quod impoſſibile apprehenditur, non poteſt quis efficaciter velle; ergo, &c. Lege Tamburinum, *libr. 8. de Matrim. tractat. 4. cap. 2. §. 2.*

Quæro VI. *Quomodo Matrimonium invalidè contractum poteſt revalidari?*

℟. I. Si

49 ℞. *I.* Si fuit invalidum ratione conſenſus ficti, vel metu, aut vi extorti, ſive ex una, ſive ex utraque parte; poterit revalidari per quodcumque ſignum externum veri, novique conſenſus.

50 ℞. *II.* Si fuit invalidum propter aliquod Impedimentum dirimens; tunc opus eſt diſpenſatione Papali, vel Epiſcopali juxta qualitatem Impedimenti, &c. qua habita, requiritur novus conſenſus ſigno externo expreſſus. Lege Buſembaum, *lib. 6. tract. 6. dub. 3.*

Quæro VII. *Quomodo debet ſe gerere Confeſſarius, quando ex notitia habita in Confeſſione cognovit pœnitentem invalidè contraxiſſe Matrimonium ob unum Impedimentum dirimens, quod ipſe non praviuit, nec de eo unquam dubitavit?*

51 ℞. Tenetur hoc diſſimulare, & tacere; quia talis ignorantia, & bona fides pœnitentis liberat, & excuſat ipſum à peccato pro formali. Et tunc loqui, ac detegere eſſet in ruinam ſpiritualem illius pœnitentis. Lege *Confeſſarium Inſtructum* P. Segneri, *cap. 7.* cum Sanchez, *de matrim. lib. 2. diſp. 38. num. 7.* – Lugo *de Pœnit. diſp. 22. ſect. 2. num. 24.*

“ Si vis plura, conſule Doctores, hæc enim materia potiùs ſpectat ad Parochum, quàm ad ſimplicem Confeſſarium, cui ſi occurrat aliqua difficultas, poterit conſulere peritos, tacita perſona pœnitentis, vel legere libros majores; non omnia poſſunt in uno moderato includi volumine.

TRACTATUS XLVIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS in genere.

CUm tota Dei viventis Eccleſia ad ſimilitudinem Hierarchiæ Cœleſtis divina Ordinatione ſit inſtituta, quæ ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris conſtat, qui præſint, ac legitimè gubernare noverint totum Chriſtianæ militiæ populum: & cùm hæc terreſtris Hierarchia ſuum debeat ſpiritualem habere ſplendorem, Chriſtus-Dominus-Deus inſigne Sacramentum inſtituit, quod *Ordo*, vel *Ordinatio* congruè appellatur; quamvis enim verum ſit, Quæ à Deo ſunt, eſſe etiam ordinata, & in Republica ſæculari magnum eſſe Regiminis ordinem; majori tamen excellentia, fulgore, ac majeſtate in Eccleſiaſtica Republica invenitur *Ordo*, qui huic Sancto Sacramento innititur, de quo uberiori calamo, genio, ac animi promptitudine in gratiam Clericorum Ordinandorum tractare promiſimus. In primis ergo de Ordine in communi, deinde ſingulis de Ordinibus agendum erit. Igitur.

Quæro I. *Quid eſt Sacramentum Ordinis, ſeu Ordinationis?*

1 *Reſpondeo.* Eſt Sacramentum novæ legis, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato. – Vel, eſt ſignaculum quoddam Miniſtri Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas ordinato traditur.

Quæro II. *Quænam eſt differentia inter Ordinem, & Ordinationem?*

2 ℞. *I. Ordo* propriè captus eſt poteſtas, & gradus per ipſammet Ordinationem collatus ordinato. *Ordinatio* verò propriè capta eſt actio illa ſacra, qua Epiſcopus confert poteſtatem & gradum prædictum.

3 ℞. *II. Ordinatio* eſt Sacramentum ipſiuſmet Ordinis Sacri. *Ordo* autem eſt res ipſamet Sacra, ſeu effectus Ordinationis.

4 ℞. *III. Ordinatio* eſt actus tranſiens, & Sacramentum in fieri. *Ordo* verò eſt res ſacra permanens; quia gradus, ſtatus, vel poteſtas tradita ordinato permanet ob characterem indelebilem.

5 ℞. *IV. Ordinatio* eſt actio Miniſtri Ordinantis; *Ordo* autem eſt poteſtas collata ordinato. *Ordinatio* tandem eſt *Ordo* activè conſideratus, ſeu actio conſecratoria. *Ordo* autem eſt Ordinatiò paſſivè conſiderata, ſeu poteſtas illa ſpiritualis tradita ordinato.

6 Patet ergo differentia inter Ordinem, & Or-

& Ordinationem in rigore Theologico; nam *Ordo* dupliciter ſumi, & conſiderari poteſt. *Primò* pro gradu præeminenti in Eccleſia Dei, ideſt, pro dignitate Eccleſiaſtica quibuſdam perſonis collata ex vi Sacramenti Ordinis recepti: *Secundò* pro ipſa actuali Ordinatione, ſeu inſtitutione alicujus hominis in gradu præeminenti Eccleſiæ.

7 Et hoc poſteriori modo acceptus, & conſideratus *Ordo* eſt unum ex ſeptem Sacramentis; non item in priori acceptione, & conſideratione. V.G. *Presbyteratus* poteſt ſumi, vel pro ipſa actuali Ordinatione alicujus hominis in Presbyterum: & ſic eſt Sacramentum. Vel pro dignitate, ſeu poteſtate Sacerdotali, quam ille homo acquiſivit vi Ordinationis ſuæ in Presbyterum, ratione cujus poteſt validè conſecrare, & abſolvere; & hoc modo Presbyteratus non eſt Sacramentum, ſed potiùs aliquid conſequens ad Sacramentum jam receptum, quando fuit ordinatus in Presbyterum. Idem dicendum, ſervata proportione, de Diaconatu, Subdiaconatu, & aliis Ordinibus. — *Ita Anacletus noſter.*

8 *Dices*. Presbyteratus eſt Sacramentum novæ legis: atqui Petrus habet Presbyteratus Ordinem: ergo Petrus habet actualiter Sacramentum Ordinis.

℟. Diſtinguo majorem: Presbyteratus eſt Sacramentum: ſumendo *Presbyteratum* pro actuali Ordinatione alicujus in Presbyterum, *concedo*. Sumendo verò *Presbyteratum* pro dignitate, ſeu poteſtate Sacerdotali permanente, *nego majorem*. Et ſic diſtinguo minorem: Petrus habet *Presbyteratum*, ideſt dignitatem, & poteſtatem Sacerdotalem ſibi jam collatam vi Ordinis Presbyteratus: *concedo*. Habet autem Ordinem Sacerdotalem, ut Sacramentum eſt, *nego*; quia Ordinatio Petri jam tranſiit; ergo & Sacramentum tranſiit; & remanet ſolùm character Sacerdotalis, tamquam effectus illius Sacramenti.

9 Ratio hujus reſponſionis, ac doctrinæ theologicæ eſt: quia *Ordo* eſt Sacramentum conſiſtens in fieri, non autem in facto eſſe; unde nequit ſubſiſtere in ipſa dignitate, & poteſtate, & gradu Sacerdotali, vel Clericali, qui ſemper permanet, ſed ſolùm in actuali Ordinatione, ideſt, in illa ſenſibili actione ſacra mox tranſeunte, qua præbetur Clericis dicta poteſtas, vel prædictus gradus. Unde ad hoc indicandum, & ad vitandam omnem ambiguitatem, atque æquivocationem, Concilium Trident. *ſeſſ.* 23. De Sacram. Ordinis, *can.* 3. notanter ſic decernit: *Si quis dixerit, Ordinem, ſive Sacram Ordinationem non eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, &c. anathema ſit*: Ubi per ly *ſive Sacram Ordinationem* explicat, quid intelligatur per ly *Ordinem*: dum dicit, *eſſe Sacramentum, &c.* — Vide P. Anacletum.

Quæro III. *Quot ſunt Ordines?*

10 ℟. Septem tantùm ſunt Ordines in Eccleſia Dei pertinentes ad Sacramentum hoc: videlicèt, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, ac Presbyteratus, ſeu Sacerdotium: ut colligitur ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 2. ubi dicitur: — Cùm autem divina res ſit tam Sancti *Sacerdotii* miniſterium: conſentaneum fuit, quò digniùs, & majori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent Miniſtrorum Ordines, qui *Sacerdotio* ex Officio deſervirent, ita diſtributi, ut qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent, per Minores ad Majores aſcenderent. Nam non ſolùm de *Sacerdotibus*, ſed & de *Diaconis* Sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt: & quæ maximè in illorum Ordinatione attendenda ſunt, graviſſimis verbis docent. Et ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, *Subdiaconi*, ſcilicet, *Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii* in uſu fuiſſe, cognoſcuntur; quamvis non pari gradu; nam *Subdiaconatus* ad Majores Ordines à Patribus, & Sacris Conciliis refertur, in quibus, & de aliis inferioribus frequentiſſimè legimus. *Hæc Concilium.*

11 ℟. *II.* Verum tamen eſt, de numero Ordinum quatuor eſſe Sententias. *Prima* aſſerit, eſſe tantùm ſeptem Ordines: ut ſuprà vidimus. Et hæc eſt communior Sententia Theologorum, quam docent Divus Thomas, Divus Bonaventura, Alexander de Ales, Ricardus, Albertus Magnus, Scotus *in* 4. *diſtin.* 24. *quæſt. unic. artic.* 2. aliique inſignes Theologi: & deducitur ex Concilio Tridentino cit. ſuprà; ex Concilio Romano, *cap.* 4. ex Concilio Carthag. 4. *cap.* 2. & ex Concilio Florent. in Decret. Eugenii; ut videre poteris apud Maſtrium *Moral. diſp.* 19.

diſp. 19. n. 5. — & apud Fornarium *in additione ad Sum. Toleti, de Sacram. Ord. c. 1. n. 3.*

12 *Secunda ſententia* docet, novem eſſe Ordines, nempe ſeptem jam recenſitos, & præterea Primam Tonſuram, & Epiſcopatum. Ita multi Canoniſtæ, ut refert Navarrus *in Manuali, cap. 22. n. 18.* & P. Angelus à Clavaſio *in Sum. Angel. V. Ordo, num. 1.* Ubi dicit: *Sed Canoniſtæ tenent, quòd ſunt novem Ordines ſecundùm novem Hyerarchias:* ibique probat citando Canones, &c.

13 *Tertia ſententia* ad hos novem Ordines adjungit decimum, nempe Ordinem Pſalmiſtarum, ſeu Cantorum, & pro hac ſententia citatur Titelmannus de Sacram. cap. 3. & Iſidorus, lib. 7. Etymolog.

14 *Quarta ſententia* ponit, octo eſſe Ordines, quia prædictis ſeptem jam in principio enumeratis addit tantùm Epiſcopatum, & pro hac ſententia citantur multi DD. ut Durandus, Paludanus, Cajetanus, Medina, P. Soto, Valentia, Bellarminus, & alii apud Fornarium, *loc. citat.*

15 ℟. *III.* Prima Sententia eſt amplectenda; quia communior, & probabilior. Ratio eſt: quia Prima Tonſura non differt à Pſalmiſtatu; ſed Pſalmiſtatus non eſt Ordo; ergo nec Prima Tonſura. Tum quia Prima Tonſura non computatur inter Ordines à Conc. Trid. citato, ut patet; ſed dicitur tantùm depoſitio requiſita ad Ordines, ergo, &c.

16 ℟. *IV.* Licèt *Epiſcopatus* ſit Ordo propriè dictus; tamen commodè refertur ad ordinem *Sacerdotii*. Quòd Epiſcopatus ſit Ordo, patet ex Concil. Trid., ſeſſ. 23. cap. 4. ibi: *Proindè Sacroſancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere.*

17 Quòd autem commodè referatur ad Ordinem Sacerdotii patet ex verbis ipſiuſmet Concilii, quod, poſtquàm Ordines Septem numeraverit ſuperiùs, *cap. 2.* nunc *cap. 4.* dicit, Epiſcopalem gradum præcipuè pertinere ad hunc Ordinem Hierarchicum. Tum quia S. Anacletus Papa in epiſt. 3. cap. 1. ait: *Ordinem Sacerdotum bipartitum eſſe, ſcilicet Epiſcoporum, & Presbyterorum, &c.* Tum quia opinio communior Theologorum docet, Characterem *Epiſcopatus* non eſſe diſtinctum in ſubſtantia à Charactere *Sacerdotii*, ſed eſſe extenſum, & ampliatum ad munera Pontificis propria; idem dicendum de *Archiepiſcopatu*, & à fortiori de *Papatu*. — Vide Toletum, *lib. 1. cap. 71. n. 8. poſt adnotationem*. — Et Examen Ordinandorum *Felicis Poteſtatis Panormitani, par. 1. cap. 1. n. 4.*

18 ℟. *V.* Licèt Cardinalatus ſit prima dignitas Eccleſiaſtica poſt Papatum, & ſit major Epiſcopatu, tamen non eſt Ordo, nec Sacramentum; quia nullo modo ordinatur ad Euchariſtiam, nec confert Gratiam. Vide Summam Dianæ. *V. Cardinalatus, num. 2.* Si ergo Cardinalatus non eſt Ordo: quare Prima Tonſura, vel Pſalmiſtatus, vel Cantoratus Ordo reputabitur?

Quæro IV. *Prædicti ſeptem Ordines ſuntne omnes, & ſinguli verè, & proprii Sacramentum?*

19 ℟. Affirmativè. Et quidem quòd Sacerdotium ſit Sacramentum eſt de Fide certum; quòd autem cæteri Ordines ſint Sacramentum, colligitur ex Conciliis Florentino, & Tridentino: & ſignanter ex Trident. ſeſſ. 23. cap. 2. & can. 3. ubi abſolutè, & abſque ulla limitatione definitur, *Sacram Ordinationem eſſe Sacramentum*: Et jam definitum fuit, Can. 2. *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines, & Majores, & Minores, per quos, velut per gradus quoſdam, in Sacerdotium tendatur; anathema ſit.* Subſumo; atqui Sacerdotium eſt Sacramentum; ergo & alii Ordines Majores, & Minores erunt Sacramentum.

20 Tum quia omnes, & ſinguli Ordines habent ſuam determinatam materiam, & formam, propriamque ſignificationem: item ſinguli Ordines imprimunt characterem, cùm ſint irreiterabiles; ergo, &c. Ita D. Bonaventura, D. Thomas, Scotus, Richardus, Paludanus, Valentia, Layman, Maſtrius, Anacletus, Homobonus, Felix Poteſtatis, Summa Dianæ, & Bonacina cum aliis *de Sacram. diſp. 8. qu. un. pun. 2.*

21 *Objicies*. Si omnes ſeptem Ordines eſſent Sacramentum ſequeretur, hoc Sacramentum Ordinis non eſſe unum, ſed plura; hoc autem eſt falſum; ergo, &c.

℟. Omnes dicti Ordines conſtituunt inſimul unum dumtaxat Sacramentum; idque fit tum unitate ordinationis totalis, ſeu finis, inquantùm omnes ordinandi ordi-

ordinantur ad unum Sacerdotium, ac ratione hujus ultimi gradus cæteri ordines recipiuntur: ut patet ex verbis Concilii *cit. cap.* 2. tum unitate generis proximi; quatenus omnes, & ſinguli Ordines in particulari conveniunt in ratione *Sacramenti Ordinis ut ſic*: tamquam in genere proximo; ac proinde meritò comprehenduntur omnes ſeptem ſub uno nomine *Sacramenti Ordinationis*. Et omnes Characteres particulares ſingulorum Ordinum inſimul conſtituunt, & veluti perficiunt unum Characterem totalem, & completum Ordinis Sacerdotalis.

22 Quamvis igitur plures numero ſint Ordines, & unuſquiſque Ordo ſit Sacramentum; unum tamen conſtituunt Sacramentum, quod dicitur *Unum* unitate aggregationis, & Ordinationis ad unum Finem, qui eſt ad Sacrificium Miſſæ, & Euchariſtiam conficiendum. Sicut etiam ipſa Euchariſtia licèt habeat duplicem materiam, & formam, ratione tamen finis, & perfectionis, unum tantummodò Sacramentum eſt. Tum quia *Ordines* per ſimilitudinem graduum ſic appellantur; quia per eos tamquam per plures gradus ad Præsbyteratus dignitatem aſcenditur; atqui plures gradus tendentes ad unum totum quaſi una ſcala dicitur; ergo & Ordines unum conſtituunt Ordinem Sacrum.

23 Ad objectionem in forma breviter ſic reſpondeo: Omnes Ordines ſunt Sacramenta: diſtinguo: Sacramenta partialia, *concedo*; Sacramenta totalia, *nego*. Ergo ſunt plura Sacramenta Ordinationis: nego conſequentiam ob rationes allatas.

Quæro V. *Ordines Majores quomodo differunt à Minoribus?*

24 ℞. Multipliciter differunt. I. Quia Majores Ordines ob excellentiorem prærogativam dicuntur *Sacri*. II. Quia illis annexum eſt votum Caſtitatis, ob quod initiatus aliquo Sacro Ordine Matrimonium nequit validè contrahere. III. Quia initiatus Ordine Sacro ſacra vaſa poteſt ex officio contingere, & tractare. IV. Quia ordinatus in Sacris Horas Canonicas ſub mortali tenetur recitare. V. Quia Majores Ordines non poſſunt duo ſimul eodem die conferri eidem Ordinando, neque omni tempore, vel anni circulo, ſed tantùm diebus à Jure Canonico præſcriptis, & in Miſſæ celebratione. VI. Quia ſi quis Ordinem Sacrum ſine dimiſſoriis literis, aut ante legitimam ætatem, vel extra tempora reciperet, ultra mortalem culpam, eſſet ipſo Jure ſuſpenſus; quòd ſi ſic ſuſpenſus tali Ordine ſolemniter uteretur, fieret irregularis. *Quæ omnia in Minoribus locum non habent*. Item VII. Minores Ordines ab Abbatibus de Jure conferri poſſunt ſuis Monachis ſubditis, non autem aliis, niſi habeant ſpeciales dimiſſorias ſuorum Prælatorum, & conſenſum Ordinarii loci, ubi ordinari volunt. Vide plura apud Homobonum de Bonis, *tract. 3. quæſt. 69. part. 2.* de Examine Eccleſiaſtico.

Quæro VI. *Quandonam hoc Sacramentum Ordinis fuit inſtitutum?*

℞. In ultima Cœna, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. 25
Quibus verbis Chriſtus Dominus contulit Apoſtolis auctoritatem Sacerdotalem, eiſque, ac eorum ſucceſſoribus in Sacerdotio, & Epiſcopatu dedit præceptum conſecrandi, & ſimul ordinandi, &c. Et quamvis ibi videatur tantummodò inſtitutus Ordo Sacerdotalis; nihilominus dicendum, etiam alios Ordines inſtitutos fuiſſe: cùm Ordo Sacerdotalis contineat eminenter alios inferiores, qui præſupponuntur in eo, qui ordinatur in Sacerdotem. Ita Valentia, Henriquez, & Reginaldus cum Bonacina, *de Ordine diſp. 8. q. un. punct. 1. n. 7.*

Quæro VII. *Quinam ſint Ordines, qui vocantur Majores?*

℞. Sunt iſti tres: Subdiaconatus, Dia- 26
conatus, & Presbiteratus, ſeu Sacerdotium, & ad Sacerdotium reducitur Epiſcopatus: ut vidimus. Et dicuntur *Majores*: quia majorem habent dignitatem, & viciniorem adminiſtrationem circa Euchariſtiam, & Sacrificium Miſſæ.

Quæro VIII. *Quinam ſunt Minores?*

℞. Sunt iſti quatuor: Oſtiariatus, Le- 27
ctoratus, exorciſtatus, & Acolythatus. Et dicuntur *Minores*: quia minorem habent adminiſtrationem erga Sacrificium Miſſæ ſolemnis, & Euchariſtiam. Dicuntur etiam *Non ſacri* ad differentiam aliorum, qui ſunt *ſacri*, ut vidimus.

Quæro IX. *Quænam eſt Materia Ordinis?*

℞. Materia remota Sacramenti Ordinis 28
in generali eſt illa res, per cujus traditionem confertur Ordo; quæ pro diverſitate Ordinum diverſa eſt, ut videbimus.

Quæro X. *Quotuplex eſt materia Ordinis.*

Digitized by Google

29 ℞. Duplex: Remota, & Proxima. Materia remota eſt illud inſtrumentum, quòd tangitur. Proxima verò eſt traditio illius rei, vel inſtrumenti: quando nimirùm illa res traditur Ordinando, ut eam tangat: in quo actu Epiſcopus profert verba formæ.

Quæro XI. *Quænam eſt Forma hujus Sacramenti Ordinis?*

30 Forma cujuslibet Ordinis ſunt verba prolata ab Epiſcopo Ordinante, dum materiam porrigit ordinando.

Quæro XII. *Qualis contactus requiritur?*

31 ℞. Requiritur tactus phyſicus, & realis: ideſt, Ordinandus debet reverà tangere illam materiam ſibi exhibitam in Ordinatione; ita ut corporaliter eam attingat.

Quæro XIII. *Quotuplex eſt tactus in propoſita materia?*

32 ℞. Duplex: Phyſicus, & Moralis. *Tactus phyſicus* eſt, quo quis realiter, & materialiter attingit materiam ſibi exhibitam; V. G. Ego manu dextera tango manum ſiniſtram, vel veſtem, eam realiter attingendo: vel ſcribendo tango hanc paginam.

Tactus autem *moralis*, non eſt córporalis, & materialis, ut ſuprà, ſed eſt porrectio rei, & extenſio manus erga ipſam rem, demonſtrando te velle eam tangere, licèt actu, vel contactu eam non attingas.

Quæro XIV. *Quare non ſufficit tactus moralis?*

33 ℞. Quia hic agitur de valore Sacramenti, in quo via tutior eſt ſequenda; ſed tactus phyſicus eſt tutior; ergo, &c.

Quæro XV. *Eſtne opus tangere rem, vel materiam utraque manu?*

34 ℞. Nequaquam. Sed ſufficit tangère unica manu, vel uno digito manus; quia ſic reverà verificatur tactus realis, & corporalis. Ita ex communi docent Sanchez, *tom. Conſil. Moral. l. 7. dub. 2. n. 34.* Et Card. de Lugo, *tom. Reſol. Moral. lib. 1. dub. 1. n. 8.*

Quæro XVI. *Eſtne neceſſe contingere materiam, quando verba proferuntur, ita ut ſint ſimul contactus, & verborum forma?*

35 ℞. Non oportet, ut ſint ſimul mathematicè, ſed ſufficit, ut ſint ſimul moraliter: ideſt, ſine mora interpoſita. Ita Bonacina, *punct. 3. numer. 11.* cum aliis DD. -- Et Homobonus, *Tractat. 3. quæſtion. 71.*

Quæro XVII. *Quiſnam eſt Miniſter idoneus ad conferendum hoc Sacramentum Ordinis?*

℞. Epiſcopus eſt Ordinarius Miniſter. 36
Ita definitum eſt in Conc. Trid. *ſeſſ. 23. can. 7. de Sacr. Ordinis?*

Dixi, *Ordinarius Miniſter*: quia ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ Abbates Presbyteri, & uſum Mitræ, ac Baculi habentes, poſſunt Ordines Minores ſuis ſubditis conferre: prout patet, *c. Quoniam videmus, diſt. 69. & alibi.* Imò de ſpeciali aſſenſu Epiſcopi loci poſſe Abbates prædictos etiam ſæcularibus non ſibi ſubditis, ac Regularibus alterius Monaſterii, & Religionis habentibus ſpeciales Dimiſſorias ſuorum Superiorum, conferre Primam Tonſuram, & Minores Ordines, docet Aſcanius Tamburinus, *tom. 1. De Jure Abbat. diſp. 2. quæſt. 7.* apud Anacletum noſtrum. Et tandem Poteſtas hæc extraordinariè poteſt à Summo Pontifice committi ſimplici Sacerdoti.

Quæro XVIII. *Poteſtne Epiſcopus licitè ordinare alienum ſubditum?*

℞. Nequaquam; alioquin ſcienter talem 37
ordinare præſumens, ſuſpenditur à collatione Ordinum per annum, & ſic ordinatus ſuſpenſionem incurrit ab executione Ordinum ſuſceptorum. Ut habetur in Conc. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 8. de Reform.*

Quæro XIX. *Quiſnam cenſetur eſſe proprius Epiſcopus reſpectu Ordinandorum?*

℞. *I.* Ille Epiſcopus, in cujus Diœceſi 38
ordinandus natus eſt. Et vocatur proprius *ratione Originis*. Licèt poſtmodum talis alibi domicilium, aut Beneficium poſſederit; dummodò Parentes ejus tempore nativitatis ſuæ ibidem, ſeu in ea Diœceſi domicilium habuerint.

℞. *II.* Ratione domicilii Ordinandi. Sic- 39
que licitè recipiuntur Ordines ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi ordinandus habitationem perpetuam conſtituit. Dixi *perpetuam*; quia non ſufficit habitatio tantùm temporalis in tali loco, V. G. Studiorum cauſa, aut hujuſmodi alia de cauſa per modum (ut ſic dicam) tranſeuntis.

℞. *III.* Ratione Beneficii Eccleſiaſtici. Et 40
hinc ordinari quis poterit ab Epiſcopo in cujus Diœceſi Beneficium poſſidet.

℞. *IV.* Ratione triennalis familiaritatis, 41
ſeu commenſalitatis cum tali Epiſcopo; nempe ſi per triennium quis in familia, vel ſervitio aſſiduo illius Epiſcopi permanſerit.

Digitized by Google

ſerit. V. Anacletum noſtrum, *Tract.* 14. *diſt.* 12. *q.* 4. Bonacinam, *diſp.* 8. *q. un. punct.* 4.

Quæro XX. *Ordinandus, qui habitat in loco nullius Diœceſis, à quonam Epiſcopo debet de Jure ordinari?*

42 ℞. Ordinatio Clericorum nullius Diœceſis ſpectat ad Epiſcopum, intra cujus Diœceſis fines locus ſitus eſt. Quòd ſi locus ſit omninò extra fines, ſpectat ad Epiſcopum illum, cujus Eccleſia Cathedralis eſt proximior. Ita Fagnanus, *lib.* 1. *Decr. cap. Significaſti*, *n.* 23. apud P. Felicem Poteſt. *tom.* 3. *n.* 29.

Quæro XXI. *Regulares à quonam Epiſcopo erunt Ordinandi.*

43 ℞. Ab Epiſcopo Diœceſano illius loci, in quo morantur de familia. Quòd ſi iſte abſuerit, vel non ſit habiturus Ordinationem, poterunt ordinari à quocumque alio, ut probat (etiam per Decretum ſpeciale Clementis Octavi editum anno 1599. die 15. Martii) P. Auguſtinus Matthæuccius *in ſuo Officiali Curiæ Eccleſiaſticæ*: (impreſſo Venetiis anno 1710. Apud Paulum Balleonium:) *cap.* 35. *nu.* 2. *quoad Ordines.*

Quæro XXII. *Quid, ſi Regulares Ordinandi ſtarent de familia in Monaſterio nullius Diœceſis?*

44 ℞. Ordinandi erunt ab Epiſcopo viciniori; ut patet in Decreto cit. ut ſupra.

Quæro XXIII. *Epiſcopus poteſtne Ordinare Regulares ſine examine?*

45 ℞. Utique. Plures enim Epiſcopi ex affectu in Regulares circa examen ſe remittunt conſcientiæ Superiorum atteſtantium in Dimiſſoriis de idoneitate, & aliis requiſitis ſuorum ſubditorum, quos mittunt ad Epiſcopum, ut ordinentur, atque teſtimonio ipſorum Superiorum ſe conformare poteſt Epiſcopus, niſi manifeſtè appareat inhabilitas promovendi, aut ordinandi. Ut docent Miranda *in Manual. Prel. tom.* 1. *q.* 39. *art.* 4. Gobat *in exper. Theol. tr.* 8. *caſ.* 11. *ſect.* 1. *nu.* 424. -- Thom. Tamb. *lib.* 7. *de Ordine*, *cap.* 9. *n* 2. Pottel, Peyrin., & alii cum Lezana, *part.* 4. *V. Ord. Sacr. n.* 13. Notum enim eſt, plures Epiſcopos ſe remittere Examini Superiorum Regularium, quia ſciunt diligentiam ſolitam adhiberi ab iſtis in hac materia, ubi refulget decor, & fama Religionis.

Quæro XXIV. *Quanto tempore debet Regularis Ordinandus manere in Conventu Diœceſis Epiſcopi Ordinantis, ad hoc, ut dici poſſit de familia ipſius Conventus?*

℞. Nulla hucuſque eſt lex, nullumque 46 Decretum circa hoc punctum; ergo colligendum erit ex circumſtantiis, ſpecialiter inſpiciendis ad effectum recognoſcendi fraudem, &c. ideſt, ad cognoſcendum, utrùm Superior Regularis de induſtria collocaverit talem Religioſum Ordinandum in eo Conventu, ut effugiat examen Epiſcopi Diœceſani, necne?

Quæro XXV. *Quænam ſunt tempora à Jure ſtatuta, in quibus celebrari debent Sacræ Ordinationes Ordinum Majorum?*

℞. Sunt dumtaxat Sex Sabbata; nempe quatuor Sabbata anni Temporum: 47 Sabbatum *Sitientes* ante Dominicam Paſſionis: & Sabbatum *Sanctum*, ut habetur ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. *de Reform. & cap. de eo de tempor ordin.* Extra quæ ſine ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ nullus promoveri ad Sacros Ordines licitè poteſt.

Quæro XXVI. *Fratres Minores Ordinis noſtri S. P. Franciſci poſſuntne ordinari extra illa Tempora ex ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ?*

℞. Per multos quæſivi libros, & quod 48 inveni fideliter ſcribo. Homobonus de Bonis (cujus nomen venerationem, & auctoritatem magnam facit apud Examinatores Synodales) *part.* 1. *de Examine Eccleſiaſtico*, *tract.* 2. *qu.* 13. ſic dicit: Fratres tamen Minores, & omnes, qui illorum Privilegiis gaudent, ex Confirmatione Clementis Octavi, poſſe extra Tempora à Jure ſtatuta Feſtis diebus Sacros Ordines ſuſcipere, docent Rodericus, *tom.* 3. *QQ. Regul. q.* 43. *art.* 5. -- Auguſt. Barboſa, *in remiſſ. ad Conc. Trid. de reform. ſeſſ.* 23. *cap.* 8. Hæc Homobonus, qui adducendo, & non reprobando dicta, confirmat.

Item P. Thomas Tamburinus, *de Sacr. lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 18. ait: Marchinus teſtatur, *tract.* 1. *part.* 7. *cap.* 7. citans Rod. Barb. Homob. Pateliam, Mendicantibus idem Privilegium conceſſum fuiſſe, abſque ulla limitatione, &c.

Additur. Summa Diana Coronii *V. Ordinis ſubſectum*, *n.* 35. dicit: Cæterùm Regulares ordinari poſſunt extra Tempora per Privilegia. -- Ibique citat multa.

Ipſe Diana, *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 32. *& part.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 10., & alibi hoc tenet, & probat cum multis.

Laurentius de Portel, *tom. Dub. Regul. V. Ordines Sacri*, *n.* 4. ait: Poſſe Religioſos ordinari extra Tempora, fusè, & conſtanter docet Rodericus noſter, *tom.* 3. *q.* 23. *art.* 5. reſpondens omnibus in oppoſitum... Et video opinionem Roderici eſſe in praxi, &c. Item Hieronymus pariter Rodericus, *in Compendio*, *reſol.* 106. *n* 7. hoc tenet, & probat.

P. Antonius de Eſcobar, *tom.* 3. *Univerſa Theol. Moral. lib.*23. *c.* 19. *Problem.* 122. *n.* 465. dicit: Regulares omnes nunc poſſunt ex Privilegio ubique extra Tempora à Jure ſtatuta ordinibus initiari. Quia hoc Privilegium fuit olim conceſſum Mendicantibus, & poſtea à Clem. VIII. abſque limitatione confirmatum: & quia Privilegium ſimile conceſſerunt Alex. VI. & Eugenius IV. Monachis D. Hieronymi, & D. Benedicti: & Clem. VIII. *ibid.* conceſſit Congregationi D. Joan. Euangeliſtę. Denique anno Domini 1634. die 28. Martii Urbanus VIII. idem Privilegium Ordini Diſcalceatorum SS.Trinitatis imperciit, cujus Bullam perlegi. Ita Joan. de la Crux *in epiſt. lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 1. -- Laymann, *tract.* 10. *c.* 8. *n.* 2. Lud. de S. Juan, *q.* 3. *de Ord. art.* 2. *dub.* 2. -- Machado, *tom.* 2. *lib.* 5. *p.* 2. *tract.* 6. *docum.* 9. *n.* 2. -- Leander, quem ſequitur Diana, *part.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 10. qui alibi ſæpè huic parti ſubſcribit. -- Hoc probabilius reor: quia licèt Gregorius XIII. concedens hoc Privilegium Societati Jeſu prohibuerit, id aliis Ordinibus communicari; communicant tamen multi; nam alii Summi Pontifices Gregorii Succeſſores Privilegia Societatis Jeſu multis Ordinibus abſolutè conceſſere, ut conſtat ex dictis. -- Hæc Eſcobar Theologus Societatis Jeſu.

Præterea probatur ratione. Intantùm quidem Epiſcopi repugnant Ordines Sacros conferre Regularibus *extra tempora*, inquantùm credunt, hoc eſſe eis prohibitum à Sacroſancto Conc. Trid., ſeſſ. 23. cap. 8. de Ref. ubi dicit: *Ordinationes Sacrorum Ordinum ſtatutis à Jure temporibus publicè celebrentur*, atqui ibi à Sacro Concilio non revocantur Privilegia Regularium, ut patet: & ut declaravit S. Pius Papa V. Conſtitutione ſua 41. incipiente *Etſi Mendicantium*, §. 2. ergo Privilegia conceſſa Regularibus antè Conc. Trident. adhuc ſubſiſtunt quoad hoc.

Quòd exrent, & ſubſiſtant Privilegia quoad hoc, *ut poſſint ordinari extra tempora*, diffusè, & canonicè probat R. P. Joannes Preti à Coſentia Theologus, & Confeſſarius Eminentiſs. Cardinalis Piazza Legati à latere Ducatus Ferrarienſis in ſua epiſtola directa ad Illuſtriſſimum Epiſcopum Comaclenſem, impreſſa *Ferrariæ* anno 1715. per Bernardinum Barberinum: ubi inter varias Conſtitutiones Pontificias intentum probantes citat illam Pii II. incipien. *Licèt ex debito*, editam anno 1462. die 5. Octobris: pro Celeſtinis. Aliam Julii II. incipien. *Dudum ad Sacrum Ordinem*, §. 16. editam anno 1506. die 28. Julii: pro Minimis. Aliam Pauli III. anno 1534. die 3. Novembris: pro Camaldulenſibus. Aliam item Pauli III. incipien. *Licèt debitum Paſtoralis Officii* anno 1549. die 18. Octobris: pro Societate Jeſu; probatque non obſtare intento Conſtitutionem Gregorii XIII. incipien. *In tanta rerum*; quia adſunt aliæ Bullæ in favorem, & communicationem Privilegiorum inter Regulares participantes: ut eſt Bulla S. Pii V. incipien. *Ad immarceſcibilem vitæ*: data die 13 Februarii anno 1577. pro Clericis Regularibus: Bulla Clementis Octavi incipien. *Ratio Paſtoralis Officii*: edita anno 1595. die 20. Decembris: pro Fratribus Ordinis noſtri de Regulari, & ſtrictiori Obſervantia S. P. Franciſci. Bulla Clem. X. incipien. *Ad Urbem benorum*: anno 1670. die 13. Octobris: pro Carmelitis calceatis.

Poſt Concilium autem Trid. Urbanus Papa VIII. anno 1621. die 30. Iunii conceſſit expreſſum Privilegium *de Ordinatione extra tempora* Procuratori Generali Ordinis Minorum de Obſervantia, quod petitum fuit non ex neceſſitate, ſed ad majorem (ut dictum fuit) cautelam pro ſuis Religioſis commorantibus in Indiis: quo Privilegio gaudent non ſolùm Religioſi noſtri Ordinis ubique exiſtentes; verùm etiam omnes Regulares participantes; ut ex diverſis Bullis probat citatus P. Joan. à Coſentia *in ſua epiſt.* atque concludit, quòd patet intelligentibus, Privilegium prædictum, *de extra tempora Ordinatione* conceſſum Regularibus ante, & poſt Concilium Trident. adhuc permanere in ſuo robore, ac eſſe in uſu apud plures Antiſtites, qui cogi nequaquam, rogari quidem poſſunt ad activum uſum ejuſdem Privilegii.

Quæro XXVII. *Quænam ſunt de Subſtantia Ordinis?*

℞. De

49 ℞. De ſubſtantia, ſeu de valore Ordinis ſunt infraſcripta, I. Poteſtas Ordinantis. II. Materia apta, forma debita, & intentio tam Epiſcopi conferentis, quàm Clerici ſuſcipientis. III. Sexus virilis; quia ſexus fœmineus eſt incapax Ordinis. IV. Ut Ordinandus ſit baptizatus.

Quæro XXVIII. *Quænam requiruntur ad licitam Ordinationem?*

50 ℞. I. Status Gratiæ, in quo quis poteſt ſe conſtituere ſaltem per actum Contritionis. Ob Communionem tamen deberet confiteri, &c. II. Quòd Ordinandus ſit confirmatus. III. Titulus ſuſtentationis, nempe vel Beneficii Eccleſiaſtici, vel Patrimonii, vel Religioſæ paupertatis. IV. Scientia ſufficiens. V. Licentia Ordinarii, ſeu litteræ dimiſſoriæ. VI. Ætas requiſita pro tali Ordine. VII. Quòd Ordinandus non ſit impeditus, vel irretitus aliqua Cenſura Eccleſiaſtica. VIII. Finis debitus, aut ſaltem non repugnans ſtatui Clericali. IX. Quòd ſit jejunus, ſi aliquo Sacro Ordine initiandus ſit ob SS. Communionem faciendam, vel recipiendam de manu Epiſcopi. X. Quod non ordinetur per ſaltum, &c. Ex his punctis multa formari poſſunt Quæſita.

Quæro XXIX. *Si quis in ſtatu peccati mortalis ordinaretur, eſſetne benè ordinatus?*

51 ℞. Validè, ſed illicitè eſſet ordinatus. *Validè*; quia reciperet Characterem, & poteſtatem ex valore Sacramenti. *Illicitè*; quia committit Sacrilegium indignè ſuſpiciendo illud Sacramentum, quòd, cùm ſit Sacramentum vivorum, requirit hominem ſuſcipientem eſſe vivum, hoc eſt, vita Gratiæ, ſeu in ſtatu Gratiæ: ut vidimus *de Sacramentis in genere*.

Quæro XXX. *Si quis non confirmatus, ideſt, ante Sacramentum Confirmationis, ordinaretur, eſſetne benè ordinatus?*

52 ℞. Eſſet validè ordinatus; quia Sacramentum Confirmationis non neceſſariò (neceſſitate validitatis aliorum Sacramentorum) præſupponitur. Si autem ſcienter quis non confirmatus ordinatur, peccat quidem; & conſequenter illicitè ordinatur. An verò peccet mortaliter, vide dicta de *Confirmatione, n.24.*

Quæro XXXI. *Si quis non baptizatus ordinaretur, eſſetne validè ordinatus?*

53 ℞. Minimè. Quia Baptiſmus eſt fundamentum, & Janua omnium Sacramentorum, ante cujus ſuſceptionem non ſuſcipitur validè aliud Sacramentum. Ut habetur *cap. Veniens, de Presbyt. non baptiz.*

Quæro XXXII. *Si quis coactè, & ſine propria voluntate, aut intentione ordinaretur, eſſetne validè ordinatus?*

℞. Nequaquam. Quia in adultis uſu 54
rationis gaudentibus ad validam ſuſceptionem Sacramenti neceſſariò requiritur aliqua intentio: ut probavimus *de Sacram. in genere, n. 125.* Quid autem, & quotuplex ſit intentio, *vide in Tract. de Sacramentis in genere*; nam ille totus Tractat. eſt valdè ſcitu neceſſarius pro Ordinandis.

Quæro XXXIII. *Qui ſine vero titulo ordinaretur, eſſetne benè ordinatus?*

℞. I. Quoad valorem Sacramenti, nem- 55
pe, quòd validè ſit ordinatus, nemo eſt, qui neget; ob rationem jam allatam, n. 49. quia Titulus non eſt de requiſitis ad ſubſtantiam Sacramenti.

℞. II. Ad Ordines Minores non requi- 56
ri Titulum, tenet communis ſententia D. D. & praxis Eccleſiæ. Et ratio etiam eſt: quia Clerici in Minoribus conſtituti, ſi ſe clericaliter ſuſtentare nequeant, liberè poſſunt ducere uxorem, vel ad aliquam artem ſæcularem ſe applicare.

℞. III. Si quis autem ad Ordinem Sa- 57
crum aſcenderet ſine vero Titulo, peccaret mortaliter; quia contra præceptum Tridentini Concilii ageret in re tam gravi. Lege Concilium, *ſeſſ. 21. cap. 2. de Reformatione*, & habetur etiam *cap. Neminem: & cap. Sanctorum, diſt. 70. & alibi*. Ratio eſt: quia non decet, ut Clerici Divinis Officiis, & Eccleſiæ Miniſteriis ſpecialiter adſcripti, cum Ordinis Clericalis dedecore cogantur mendicare, aut artem mechanicam, vel ſordidum aliquem quæſtum exercere; ergo nemo ad Sacros Ordines licitè promoveri poteſt, niſi aliquem verum Titulum, velut medium congruum ſeſe honeſtè alendi, poſſit oſtendere.

Objicies. Multi Religioſi mendicant ex 58
profeſſo; ergo mendicare victum non eſt quid indecorum ſtatui Clericalis; ergo non erit peccatum mortale, &c.

℞. Regulares Mendicantes, & omnes Religioſi profeſſi ordinantur ad Titulum paupertatis juxta Pontificale Romanum, §. *de Ord. Subdiac.* Decoroſus ergo eſt iſte titulus pro Clericis Regularibus: quia iſti propter Chriſtum omnia ſua propria reliquerunt, nihilque proprium in hoc mun-

Digitized by Google

mundo poſſunt poſſidere. At Clerici ſeculares non ordinantur, nec poſſunt ordinari ad hunc Titulum; ergo eorum mendicitas eſſet indecora ſtatui.

Breviſſimè. Mendicare victum non eſt quid indecorum ſtatui Religioſo, benè quidem ſtatui Clericali ſæculari, ut patet experientia: Religioſus enim alitur à Monaſterio.

Quæro XXXIV. *Religioſus qui eſt ordinatus Titulo Paupertatis, ſi poſtea egrediatur, & fiat Clericus ſæcularis, teneturne habere Patrimonium, vel Beneficium?*

59 ℞. Affirmativè; quia tunc eſt in ſtatu Sæculari, in quo honeſtam habere debet ſuſtentationem, ſicut & cæteri Clerici Sæculares; imò ſi erat Subdiaconus, (quando egreſſus fuit à Religione) modò, dum eſt ſæcularis Clericus, non poterit ad alios Ordines Majores promoveri, niſi priùs habeat Beneficium, vel Patrimonium congruum. Ut docet P. Felix Poteſt. *cit. n.* 23. *tom.* 3.

Quæro XXXV. *Quid, ſi Clericus fingat, & falsò ſupponat, ac probet apparenter, ſe habere Patrimonium?*

60 ℞. Ultra peccatum mortale graviſſimum deceptionis, cùm ſine vero Titulo ordinetur contra expreſſam intentionem, præceptum, & praxim Eccleſiæ, incurrit ſuſpenſionem à Divinis. Ut docent inſignes DD. cum Barboſa, *in Concil. Triden. ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *de reform. n.*66. — Suarez, *tom. de Cenſuris, diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 35. — Bonacina, *de ſuſpenſione, diſp.* 3. *pun.* 3. §. 4. *n* 26. -- Portel *V. Ordines Sacri, n.* 13. & alii DD.

Quæro XXXVI. *Quid, ſi Clericus aſtutus ab Amico accipiat Patrimonium, ut cum Titulo ordinetur, ſed eidem Amico promittat, ſe poſtea Patrimonium retroceſſurum, aut fructus ejus non percepturum?*

61 ℞. Uterque peccat graviſſimo ſcelere fictionis, & deceptionis, quod in aliquibus Diœceſibus eſt peccatum reſervatum; & certò non effugit Cenſuram Eccleſiaſticam ſuſpenſionis à Divinis; quòd ſi in illo ſtatu exerceat Ordinem ſuſceptum, fiet Irregularis. Ita Bonacina, *de Sacr. diſp.*8. *q. un. pun.* 5. *n.* 25. citans Suarez, Navarrum, & alios DD. *& ex cap. Neminem, & cap. Sanctorum.* — Et idem Bonac. *de Cenſuris diſp.* 3. *q.* 6. *p.* 5. *n.* 4. P. Felix Poteſt. *t.* 3. *n* 65. cum aliis,

Quæro XXXVII. *An in caſu ſupradicto fuerit vera donatio illius Patrimonii?*

62 ℞. Patet, quòd non; quia defuit voluntas de abſoluta donatione; & fuit tantùm commodata, vel conditionata, & (ut veriùs dicam) fuit ficta donatio.

Quæro XXXVIII. *Clericus, qui ſine vero Titulo promotus eſt ad Ordinem Sacrum, poteſtne ad Sacerdotium admitti ſine novo, ac vero Titulo?*

63 ℞. Nequaquam. Tum ob rationes jam dictas, & cenſuram ſuſpenſionis contractam; tum quia Jura, & Canones ſimpliciter prohibent promotionem ad Sacros Ordines ſine vero Titulo. Ita Sacra Congregatio Concilii apud Fornarium, & alii DD. apud Bonacinam. *De Sacram. nuper cit. n.* 30.

Quæro XXXIX. *Eſtnè licitum donare Patrimonium Clerico cum hoc pacto, ut quando habuerit Beneficium congruum, reſtituat Patrimonium?*

64 ℞. Si hoc fiat cum conſenſu Epiſcopi Ordinantis, licitum erit. Si autem hoc fiat ſine conſenſu Epiſcopi, illicitum omninò erit. Lege Conc. Trid. *ſeſſ.* 21. *c.*2. *de Reform.*

Quæro XL. *Quantum debet eſſe Beneficium, vel Patrimonium, ad hoc, ut quis licitè ordinari poſſit?*

65 ℞. Non omnibus in Diœceſibus præſcribitur eadem quantitas, habita ratione ad qualitatem Perſonarum, & locorum; unde hoc judicium ſpectat ad Ordinarium, ſeu Epiſcopum. In multis autem Diœceſibus Italiæ requiruntur annui redditus quadraginta aureorum. Hæc ſola aſſignatur Regula generalis, quòd Beneficium, vel Patrimonium debeat eſſe ſufficiens ad congruam ſuſtentationem Clerici ordinandi. V. Homobonum, *par.* 1. *Examinis, tr.* 2. *q.* 19. *&* 22.

Quæro XLI. *Patrimonium, vel Beneficium, ad cujus Titulum quis eſt ordinatus, poteſtne aliquando licitè alienari, vel renunciari?*

66 ℞. Nequaquam; quia extat manifeſta ſanctio, vel prohibitio Concilii Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de reformat.* — *& ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de regul.* Niſi de licentia, & aſſenſu Epiſcopi.

Quæro XLII. *Qui furtivè ordinaretur, quid incurreret?*

67 ℞. I. Oportet ſcire quid ſit *furtivè ordinari*. Dico, quòd ſignificat, ordinari ſine licentia expreſſa ſui Superioris, & ſine examine, ignorante videlicet Ordinatore, & latenter cum multitudine Ordinandorum

ſe

ſe ingerere, & ſic Ordinem recipere; quaſi furando talem gradum, &c.

68 ℞. *II.* Communis eſt reſolutio, recipientem Ordinem furtivè, abſque dubio mortalem culpam contrahere; verè tamen Sacramentum Ordinis, & Characterem ſuſcipere: ſed non executionem, vel ipſius Ordinis licitum uſum. Quinimò eſt ipſo jure ſuſpenſus, & irregularis. Ita Homobonus, *de Examine, part. 1. tract. 2. qu. 3.* — Non verò eſt Excommunicatus: ut cum Suarez probat Bonacina, *de Sacr. d. 8. q. un. p. 4. n. 31.*

Quæro XLIII. *An prædicta reſolutio habeat locum etiam in Regularibus, qui cùm ſolis litteris dimiſſoriis ſuorum Prælatorum furtivè accederent ad Ordinationem?*

69 ℞. Quòd ſic. Ratio eſt: quia etiam Regulares debent ſe præſentare Epiſcopo Ordinanti, & iſte poteſt eos examinare, quia habet Jus examinandi etiam Regulares circa ſcientiam neceſſariam, & alia requiſita ad formam diſpoſitionis Concilii Trident. *ſeſſ. 23. capitulo 12. de Reform.* & ex Declaratione S. Congregationis ejuſdem Concilii ſub Clem. Octavo, quam videre licebit apud *Officialem Curiæ cap. 35.*

Quæro XLIV. *Quiſnam debet concedere litteras Dimiſſorias pro Ordinandis?*

70 ℞. *I.* Reſpectu Clericorum Sæcularium, ſolus Epiſcopus proprius ipſorummet Ordinandorum; quia concedere Dimiſſorias ſpectat ad Juriſdictionem Epiſcopalem. Ita ex Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 2. de Ref.*

℞. *II.* Reſpectu verò Regularium, concedere has Dimiſſorias ſpectat ad Superiores ipſorummet Regularium habentes Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos: ut ſunt *Generales, & Provinciales.*

Quæro XLV. *Regularis promotus ad aliquem Sacrum Ordinem ſine Dimiſſoriis proprii Prælati, Provincialis, vel Generalis, incurritne Suſpenſionem ipſo facto?*

71 ℞. Affirmativè. Ita habetur ex Concil. Trident. *ſeſſ. 14. capitulo 2. de Ref.* & ex Conſtitutione Pii Secundi incipien. *Cum ex Sacrorum*; quæ eſt ſeptima ejuſdem Pontif.

72 Quòd autem proprius Prælatus, & Ordinarius Regularis quoad hunc effectum concedendi Dimiſſorias, ſit *Provincialis*, vel *Generalis* Superior, patet ex Decreto Clementis Octavi apud Matthæuccium *in Officiali Curiæ, cap. 35. numero 18.*

Sed qualis eſſe debet *Provincialis*? ori- 73
ginis, an domicilii reſpectu Religioſi ordinandi?

℞. Sufficit Provincialis domicilii, id-eſt, ille, in cujus Provincia Religioſus tunc manet de familia. Ita Matthæuc. *loc. cit. num. 22.* Unde patet, quòd ſi Clericus noſter tempore Ordinationis maneat de familia, ſive ratione Studij, ſive ratione negotii, vel propriis, vel ejus Sociis, etiam per caſum inopinatum, maneat (inquam) de familia in aliquo Conventu extra propriam Provinciam, poteſt, & debet petere Dimiſſorias, vel (ut vocant) Patentem pro Ordinatione à Miniſtro Provinciale illius loci vel domicilii, ubi actualiter habitat; quia iſte veraciter dicitur, & eſt (apud nos advenas, & peregrinos in hoc mundo, qui proprium, & oriundum non agnoſcimus territorium:) *Provincialis domicilii*, ſeu familiæ illius Clerici ordinandi hoc anni tempore.

Quæro XLVI. *Dimiſſoriæ litteræ pro ordinandis obtentæ, expirantne per mortem Concedentis?*

℞. Nequaquam, niſi per ſucceſſorem 74
expreſsè revocentur. Eſt enim generale Axioma Legale: *Gratiam, vel Privilegium non extingui morte Concedentis.* Vide Homobonum *in Exam. part. 1. tractat. 2. qu. 7.*

Quæro XLVII. *Quibuſnam diebus licitum eſt conferre, & recipere Ordines?*

℞. *I.* Prima Tonſura quolibet die, et- 75
iam feriato dari, & accipi poteſt: quia nullus dies certus ei præſcribitur in Jure Canonico.

℞. *II.* Quatuor Minores Ordines die- 76
bus tantùm Dominicis, & aliis Feſtis, & quatuor anni Temporibus conferuntur. Ita habet ex, *cap. Deo autem, de Temp. Ordinat.* ac *in Pontificali Romano.*

℞. *III.* Ordines tandem Majores, ut 77
vidimus, ſex tantùm Sabbatis conferri licitè poſſunt; nempe *Sabbato* poſt Cineres, poſt Pentecoſten, poſt Exaltationem S. Crucis, poſt S. Luciam, item Sabbato ante Dominica Paſſionis, & tandem Sabbato Sancto. Ita ex *capitulo Litteras, de temp. ord. & cap. Quòd à Patribus, diſt. 75.*

Quæro XLVIII. *Poſſuntne plures Ordines eodem die ſuſcipi?*

℞. *I.*

Digitized by Google

78 ℞. *I.* Conſuetudine in pluribus locis receptum eſt, ut eodem die, ac eadem Ordinatione quatuor Minores ſimul conferantur. Ita P. Anacletus noſter, *Tractat. 14. diſt. 12. numero 61. Moral. Theolog.*

79 ℞. *II.* Duo Ordines Sacri eodem die nulli ſunt conferendi, ne quidem Regularibus. Ex Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 13. de Ref.* niſi hoc fieret de ſpeciali licentia Papæ, ſeu per diſpenſationem, &c.

80 ℞. *III.* Quatuor Minores ſimul cum Subdiaconatu non poſſunt conferri eodem die: ſtando Juri communi: ut patet *ex, cap. Litteras.* Et *cap. Dilectus, de Temp. Ord.* Dixi, *ſtando Juri communi*: quia in quibuſdam locis eodem die cuipiam conferri ſolent, quod recte factum admittunt Navarrus in Manuali, *cap. 25. num. 71.* Engel *tit. de temp. Ord. num. 19.* & alii DD.

Quæro XLIX. *Quamnam pœnam incurrit, qui abſque Summi Pontificis diſpenſatione extra Tempora à Jure ſtatuta Ordines Sacros ſuſcipit?*

81 ℞. Ultra pœnam ſpiritualem peccati mortalis, incurrit ſuſpenſionem à Divinis, & ſi in Ordine ſuſcepto ſic miniſtrat, fit Irregularis. Ex vi Bullæ Pii Secundi, apud Homobonum, *p. 2. Exam. tr. 2. q. 13.*

Quæro L. *Qui per ſaltum ordinaretur, quid incurreret?*

82 ℞. Ultra peccatum mortale, incurreret Suſpenſionem, & Irregularitatem; dummodò malitioſè hoc faceret. Ordinari autem *per ſaltum* eſt, omiſſo Ordine inferiori ad Superiorem promoveri, quaſi ſaltando aliquem Ordinem ſecundùm gradum, &c. V. G. recipere Subdiaconatum ante quatuor Minores: & ſic de ſimili, &c. Ita cum communi, & multis (more ſolito) citatis DD. P. Homobonus, *l. c. q. 14. §. 2.*

Quæro LI. *Quid ſunt Interſtitia?*

83 ℞. Nihil aliud ſunt, quàm intervallum ejus temporis, quod inter collationem unius Ordinis, & ſuſceptionem alterius Ordinis intercedere debet ex Jure communi.

Quæro LII. *Quiſnam poteſt diſpenſare ſuper iſta Interſtitia?*

84 ℞. *I.* Facultas diſpenſandi in Interſtitiis eſt ita Epiſcopis propria, ut non ſolùm Clerici Sæculares, ſed etiam Regulares ab ipſis debeant ſuper ea diſpenſationem petere, & recipere. Ut colligitur ex Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 11. de Ref.* – Et ex Declaratione S. Congregationis ejuſdem Conc. apud Matthæuccium, *in Officiali, cap. 35. n. 16.*

℞. *II.* Epiſcopus autem diſpenſans in 85
his debet eſſe ille, cui de Jure convenit dare Dimiſſorias, ideſt, proprius Epiſcopus Ordinandi, &c. ut probat Homobonus cit. quæſt. 15. – Reſpectu verò Regularium, debet eſſe Epiſcopus, in cujus Diœceſi habitant; vel ille, ad quem mittuntur à Superiore ipſorum, ut ordinentur, Qui tamen Epiſcopus quoad cauſam diſpenſationis legitimæ judicium formare debet ex atteſtatione Superioris Regularis ut habetur ex Declaratione S. Congreg. citata à noſtro P. Matthæuccio, *c. 35. n. 16. in Officiali.*

Quæro LIII. *Quale, & quantum eſſe debet illud tempus, quod interſtitii de Jure oportet inter collationes Ordinum?*

Senſus Quæſiti eſt. Quia Sacri Canones vulgatis Juribus præcipiunt, ut Ordi- 86
nes conferantur Ordinandis cum certo temporis intervallo, inter unum, & alterum Ordinem: hæc autem intervalla temporum vocantur *Interſtitia*, ut vidimus. Hinc quæro, quale, & quantum eſſe debeat hoc intervallum?

℞. *I.* Inter Primam Tonſuram, & Oſtiariatum non invenitur taxatum aliquod Interſtitium.

℞. *II.* Inter Minores Ordines, Triden- 87
tinum Conc. *ſeſſ. 23. cap. 11. de Ref.* requirit, ut Ordinandus in Minoribus promoveatur per temporum Interſtitia, inſtructus in iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent. – Ergo inſinuat, debere intercedere aliquod ſaltem intervallum, ut ipſo exercitio inſtruatur in Ordine jam recepto, & ſimul diſponatur ad alium Ordinem; ſed quia non determinat quale debeat eſſe hoc intervallum: addit, *niſi aliud Epiſcopo expedire magis videatur*: Ergo ipſius Epiſcopi prudenti arbitrio id remittitur.

Unde docent D. D. Epiſcopo licere, 88
Primam Tonſuram, & Minores Ordines ſimul, & eodem die conferre Ordinando ex qualicumque cauſa rationabili; imò ubi eſt Conſuetudo, poſſe etiam ſine cauſa: quia huic Conſuetudini non derogavit expreſsè idem Concilium.

Item docent, Epiſcopum poſſe vel ex 89
cauſa legitima, vel ex conſuetudine (ubi viget)

viget) ſimul eodem die conferre eidem Ordinando Acolythatum, & Subdiaconatum; quia Conc. cit. addidit ly *niſi fortè aliter Epiſcopo expedire videatur*.

90 ℞. *III.* Inter Acolythatum, & Subdiaconatum requiritur unius anni Eccleſiaſtici intervallum: ex Concil. Tridentino, *ſeſſ. 23. capit. 11. de Ref.* addit tamen in fine: *Niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas, judicio Epiſcopi, aliud expoſcat*. Ergo circa hoc interſtitium poterit Epiſcopus diſpenſare.

91 ℞. *IV.* Inter Subdiaconatum, & Diaconatum requiritur unus ſaltem annus intermedius: ex Concilio cit. cap. 13. additur tamen: *Niſi aliud Epiſcopo videatur*. Ergo & circa hoc datur poteſtas diſpenſandi.

92 ℞. *V.* Inter Diaconatum, & Sacerdotium, requiritur ad minùs alius annus integer: ex eodem Concilio capitulo 14. ubi item additur: *Niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur*. Ergo & hic datur locus Diſpenſationi Epiſcopali. Vide Thom. Tamburinum, *de Ordine cap. 11.* per totum, ubi plura.

Quæro LIV. *Prædictus annus Interſtitii debetne computari naturali, aut Eccleſiaſtico circulo?*

93 ℞. Communiſſima, & tutiſſima ſententia DD. dicit, quòd ſufficit annus Eccleſiaſticus, V. G. ab uno Sabbato Quatuor Temporum, quo quis fuit Ordinatus, ad aliud Sabbatum ſimile ſequentis anni: etiamſi non interceſſerint eo anno duodecim menſes integri. Ita Tambur. cit. cum aliis DD.

Quæro LV. *Quænam ætas requiritur in Ordinando?*

94 ℞. *I.* Ad Primam Tonſuram, & quatuor Minores licitè ſuſcipiendos non requiritur (de Jure Communi) determinata ætas, dummodò adſit ſufficiens capacitas, ſcientia, unà cum aliis requiſitis.

95 Quamvis tales ordinati ante annum decimum quartum (ſaltem inchoatum) non poſſint obtinere Beneficium Eccleſiaſticum prout decrevit Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 6. de Ref.* Et ut notat Barboſa, *ibid. num. 2.* cum aliis DD.

96 ℞. *II.* Ex Jure novo, & communi Concilii Trid. *ſeſſ. 23. cap. 12. de Reformatione*: Nullus impoſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum ſuæ ætatis annum: ad Diaconatus Ordinem ante vigeſimum tertium: & ad Presbyteratus Ordinem ante vigeſimum quintum annum, promoveri poteſt. Etiam quoad Regulares: niſi cum aliquo diſpenſetur à Summo Pontifice Romano.

Sufficit tamen annus hujuſmodi, ut ſit 97
inchoatus: etiamſi tantùm per unicam horam: prout ex communi docet noſter Herinx, *diſput. 10. de Ordinis Sacram. qu. 5. num. 72.* & Anacletus noſter, *diſt. 12. num. 50.*

Quæro LVI. *Qui ordinaretur Majori aliquo Ordine ante legitimam ætatem, quid incurreret?*

℞. Ultra peccatum mortale, incurreret 98
Suſpenſionem; & ſi in tali ſtatu miniſtraret, fieret Irregularis. Ita ex Bulla Pii Secundi incipien. *Cùm ex Sanctorum*. -- Validè tamen eſſet Ordinatus, ut patet ex dictis ſimilibus.

Hæc autem Reſolutio eſt intelligenda 99
de eo, qui ſcienter hoc faceret. Siquidem Ordinatus bona fide, & qui, poſt diligentem inquiſitionem, credidit, ſe habere ætatem legitimam, non peccaret, neque incurreret Cenſuram. Quia Bulla citata loquitur de illis, *Qui præſumunt* ordinari ante legitimam ætatem prædictam.

Quæro LVII. *Quænam ſcientia requiritur in Ordinando?*

℞. *I.* Ad primam Tonſuram initiandus 100
debet ſcire Fidei Rudimenta eſſentialia, legere, & ſcribere. ℞. *II.* Ad quatuor Minores, ut intelligat ſaltem linguam Latinam in Eccleſia Romana ℞. *III.* Ad Subdiaconatum, & Diaconatum, ut ſit inſtructus litteris, & iis, quæ ad Ordinem ſuum exercendum pertinent. ℞. *IV.* Ad Sacerdotium, ut ſciat tantùm, quòd poſſit Populum docere ea, quæ ſcire omnibus ad ſalutem æternam neceſſarium eſt & ſimul ſciat miniſtrare Sacramenta ordinaria. Ita habetur ex Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 4. de Ref.*

Quæro LVIII. *Si quis ordinatus eſſet in Subdiaconum, aut Diaconum à Papa, poſſetne licitè ordinari in Sacerdotem ab aliquo Epiſcopo?*

℞. Sine licentia Papæ non poſſet or- 101
dinari. Ita habetur, *cap. Cùm in diſtribuendis. De temp. Ord* Et *cap. Filium 1. q. 1.* Apud Summam Angelicam.

Quæro LIX. *Prælatus poteſtne cogere Clericum ad Ordines ſuſcipiendos?*

℞. Si

Digitized by Google

102 ℞. Si talis habeat Beneficium, poteſt cogi à Prælato, niſi legitimè excuſetur. Si verò non habeat Beneficium Eccleſiaſticum, non poteſt cogi. Ita Summa Angelica citans varios Canones, *V. Ordo* 3. *n.* 24.

Quæro LX. *Coactè ordinatus ſuſcipitne Characterem?*

103 ℞. Si coactio ſit conditionalis: puta, ut evadat mortem: ſuſcipit characterem; quia voluntas tunc non ſimpliciter eſt coacta; ſicut qui projicit merces in mare ad vitandum naufragium? Si autem coactio ſit abſoluta: quia V. G. per vim ordinatur; tunc non ſuſcipit characterem; quia nullo modo conſentit. Ex Summa Angelica, *cit. num.* 25. -- Idem dic de eo, qui ex ſolo metu ordinatur; nam metus cadens in conſtantem virum impedit conſenſum, tum quia hoc Sacramentum Ordinis eſt libertatis, non neceſſitatis. Si aliquo tamdem modo conſentit, erit Ordinatus.

Quæro LXI. *Quinam ſunt effectus hujus Sacramenti Ordinis?*

104 ℞. *I.* Per dignam cujuſcumque Ordinis ſive Majoris, ſive Minoris, ſuſceptionem confertur Gratia tum Sanctificans, tum ſpecialis, & cujuſcumque Ordinis propria, quæ conſiſtit in Jure quodam accipiendi ſpecialia quædam auxilia proportionata tali Ordini, functionibus, & Officiis propriis illius Ordinis.

105 ℞. *II.* Confertur Jus quoddam Eccleſiaſticum ad Sacras, & religioſas functiones cujuſque Ordinis proprias, legitimè exercendas, ut patet ex verbis prolatis ab Epiſcopo in Ordinatione.

106 ℞. *III.* Imprimitur Character indelebilis, ex quo nullus Ordo iterari poteſt.

Quæro LXII. *Quilibet Ordo tam ex Minoribus, quàm ex Majoribus imprimitne ſuum proprium, & diſtinctum characterem?*

107 ℞. Quòd ſic. Ratio eſt, quia quilibet Ordo eſt verè, & propriè Sacramentum, ut vidimus, ergo, &c. Ita Maſtrius (ex Scoto, & Div. Thoma) *in Moral. diſp.* 19. *n.* 25.

Quæro LXIII. *An Character Ordinis poſterioris neceſſariò præſupponat in Ordinato impreſſionem Characteris prioris?*

108 ℞. Quòd non. Ratio eſt: quia habetur in Jure Canonico, *cap. unico de Clerico per ſaltum Ordinato*; quòd qui omiſſo Diaconatu fuerat conſecratus Sacerdos, non jubetur, in Sacerdotem reordinari, ſed permittitur in Ordine Sacerdotali, poſtquam Diaconatum receperit. Quod utique factum non eſſet, ſi impreſſio Characteris Sacerdotalis neceſſariò præſupponeret (neceſſitate Ordinis, & valoris Sacramenti) Characterem antecedentem Ordinis Diaconatus; ergo, &c. Ita Maſtrius *Moral. diſp.* 19. *n.* 29. cum Aſteſano noſtro, *lib.* 6. *tit.* 2. *art.* 4.

Magna tamen eſt difficultas inter Theologos, & Canoniſtas de Charactere Epiſcopatus, *an ſcilicèt neceſſariò præſupponat, & prærequirat Characterem Sacerdotalem?* Sed quia hoc non ſpectat ad Examen Clericorum, remitto Lectorem ad libros Majores: Vide ergo Maſtrium citatum. Summam Angelicam, *V. Irregularitas*, §. *vel num.* 37. Bonacinam *de Sacram. diſp.* 8. *quæſt. unic. punct.* 1. *numer.* 4. Layman, *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 3. *numero* 6. Theologi tamen communiter tenent, & probant partem affirmativam; ut ſi Diaconus ordinaretur in Epiſcopum, non foret validè Ordinatus ob carentiam Characteris Sacerdotalis. 109

Quæro LXIV. *Quemnam finem ſibi præfigere debet, qui vult Ordines ſuſcipere?*

℞. Iſte deberet eſſe finis, ut, ſcilicèt, 110
DEO in ſtatu Clericali, tamquam perfectioris generis vitæ inſerviat, ac in vinea Domini Jeſu Chriſti laborans, Animarum Saluti totis viribus invigilet. Qui enim alio fine, vel affectu accedunt ad gradus Eccleſiaſticos, quàm ſubveniendi ſaluti Animæ propriæ, & Animabus proximorum, ac ſubmittendi humeros non externæ dignitati, ſed publico oneri, ac muneri laborioſo in Eccleſia Dei, fures ſunt, & latrones, atque maximi criminis Rei, quod ingens ultio tandem conſequitur: ut habetur in Concilio Colonienſi *de Sacram. Ordinis in fine*. Catechiſmo Romano *eodem tit. cap. Conſuluit diſt.* 74. *cap. cum ſecundum: extra de Præbend.* Lege etiam Conc. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. *& capit.* 18. *de Reform.* Homobonum *de Exam. part.* 1. *tract.* 5. *qu.* 1. Chriſtianum Inſtructum Segneri, *part.* 3. *ſerm.* 24. *per totum*.

Quæro LXV. *Suſcipiens Primam Tonſuram, aut Minores Ordines cum animo numquam ſuſcipiendi Majores: aut ſolùm, ut ſæculare Forum declinet: vel ut Eccleſiaſticum Beneficium conſequatur, &*

ne lautiùs, ac otioſius vivat, peccatne mortaliter?

111 ℞. Doctores meliùs ſentientes eum à peccato mortali non excuſant, ob inordinatum, imò contrarium finem, quem habet; contrarium; inquam, intentioni, ac menti Eccleſiæ Catholicæ expreſsæ in Conciliis citatis, ac juribus, & ſignanter Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *capitulo* 4. Ita Bonnes 2. 2. *quæſt.* 12. *art.* 1. & Marchinus, *de Ordine tract.* 1. *part.* 8. *capit.* 1. *num.* 13. & ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 1. Navarrus, Barboſa, P. Marchantius noſter, *tom.* 3. *fol. mihi* 112. Tum quia, rem, dignitatem tam divinam, & excelſam refert ad tam vilem, & abjectum finem, & quidem tamquam ad finem principalem, & primarium, ne dicam, unicum, & totalem; *magna enim perverſitas eſt* (ut inquit D. Auguſtinus) *frui utendis, & uti fruendis*, atqui ille vult frui utendis: igitur perverſus eſt; tum quia in re gravi decipit Eccleſiam, & Magiſtratum, aut Principem.

Quæro LXVI. *Eſtne licitum ſuſcipere Ordines cum ſpe obtinendi poſtea Beneficium Eccleſiaſticum, aut dignitatem lucrativam?*

112 ℞. Quòd ſic; dummodò principaliter, ut Deo inſerviat, & Eccleſiæ, poſtea minùs principaliter, vel ſecundariò, ut lucretur, aut licitè obtineat tale Beneficium intendat, aut ſpem habeat. Ita ex Navarro, *in Manual. c.* 33. *nu.* 102. ubi dicit, quòd *ex c. ſi Offic. diſt.* 59. — *& cap. Quid proderit, diſt.* 61. habetur licere Clericis ſervire Deo in Eccleſiis ob ſpem aſcendendi ad dignitates illarum; modò principaliter ob id non ſerviant.

Petes. *Peccantne Parentes, qui filios ſuos ad Tonſuram, & alios Ordines adigunt?*

℞. Graviſſimè. Quia auferunt eis libertatem eligendi ſtatum; tum quia innumeris periculis eos exponunt in maximam ruinam Animarum ſuarum, & filiorum, atque in detrimentum graviſſimum talis Eccleſiæ. Lege P. Marchantium noſtrum, *in Tribunal. Sacram. tom.* 3. *p.* 1. *tr.* 6. *tit.* 1. *q.* 4. *dub.* 4.

Quæro LXVII. *Quinam ſunt, qui prohibentur ordinari?*

℞. Multi. I. Qui non habent debitam 113
ætatem. II. Qui non habent uſum rationis. III. Illiterati. IV. Criminoſi. V. Bigami. VI. Solemniter pœnitentes. VII. Neophiti. VIII. Ratiociniis obligati. IX. Servi. X. Corpore vitiati. XI. Illegitimè nati. XII. Peregrini, & ignoti. XIII. Omnes Irregulares. XIV. Aliqua cenſura Eccleſiaſtica ligati. XV. Hermaphroditi. XVI. Conjugati. Ut ex variis Canonibus probat Summa Angelica, verbo, *Ordo* 3. *à n.* 1. *& ſeq.*

De Irregularitate, & Cenſuris agemus, Deo dante, *Tr.* 57. & 58.

Plura hìc omitto, quæ vel videre poteris *in Tractat. de Sacramentis in genere*, vel non pertinent ad ſcientiam Ordinandorum.

In ſequentibus videndum erit de Singulis Ordinibus in particulari.

TRACTATUS XLIX.

DE PRIMA TONSURA EXAMEN.

QUæro I. *Quid petis?*

1 *Reſpondeo*. Peto Primam Tonſuram. *Vel*, Peto examinari pro Prima Tonſura.

Quæro II. *Prima Tonſura eſtne Ordo?*

2 ℞. Secundùm Canoniſtas, eſt Ordo; ſecundùm verò Theologos, non eſt Ordo.

Quæro III. *Quare Prima Tonſura dicitur Ordo à Canoniſtis?*

3 ℞. Quia ex Navarro, *in manuali, cap.* 22. *n.* 18. Canoniſtæ ponunt Novem Ordines, qui ſunt Tonſuratus, Oſtiariatus, Exorciſtatus, Lectoratus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus.

Quæro IV. *Quare Theologi dicunt, Primam Tonſuram non eſſe Ordinem?*

℞. Quia licèt Tonſuratus habeat ex 4
deputatione Eccleſiæ, & ex Privilegio, gradum quemdam inter Clericos, & ex hac Tonſura homo fiat capax Juriſdictionis

Digitized by Google

nis Eccleſiæ, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum; tamen hujuſmodi Privilegium non pertinet ad ullam rationem, aut partem Sacramenti, nec habet ullum Officium annexum circa Miniſterium Altaris.

5 *Brevius*. Quia eſt præparatio quædam ad Ordines ſuſcipiendos: ſicut Catechiſmus dicitur diſpoſitio ad Baptiſmum.

Quæro V. *Pſalmiſtatus, vel Cantoratus eſtne Ordo?*

6 ℞. Minimè; quia reducitur ad Lectoratum. Lectores enim ſive legendo, ſive canendo legunt Lectiones Scripturarum in Eccleſia Dei. Tum quia antiquitùs Pſalmodia dabatur etiam non Tonſuratis, qui cantabant in Choro. Eſt ergo aliqua dignitas, non autem Ordo propriè captus, prout Ordo ſignificat Sacramentum.

Quæro VI. *Prima Tonſura eſtne neceſſaria ad Ordines ſuſcipiendos?*

7 ℞. Eſt neceſſaria ex præcepto Eccleſiæ, non verò quoad valorem Sacramenti.

Quæro VII. *Quare eſt neceſſaria ex præcepto?*

8 ℞. Quia Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 23. capitulo 2. de Reformatione* decrevit ſic, ut Prima Tonſura præcedat Ordines: Et qui jam Clericali Tonſura inſigniti ſunt, per Minores Ordines ad Majores aſcendant.

9 Prima enim Tonſura eſt veluti Janua ad Ordines ritè ſuſcipiendos: ac ſignum diſtinctivum Miniſtrorum Eccleſiæ à Plebe communi: quo homo efficitur Clericus.

Quæro VIII. *Quid ſignificat hoc nomen Clericus?*

10 ℞. I. Eſt vox Græca, quæ lingua latina idem eſt, ac ſortitus, vel ſorte electus vel in ſortem vocatus. Quia nemo deberet fieri Clericus, niſi eſſet verè à Deo electus, & vocatus, juxta illud Apoſt. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo*; ad Hebr. c. 5.

11 ℞. II. Clericus eſt, qui ex Dei Gratia, & Ordinatione Eccleſiæ ad Divinum cultum, & ipſius Eccleſiæ obſequium eſt deputatus.

Quæro IX. *Quomodo quis fit Clericus?*

12 ℞. Per ſuſceptionem Primæ Tonſuræ; nempe quando confertur ab Epiſcopo per abſciſſionem capillorum, & per ſuperpelliceum, ſeu Cottam cum verbis ab Epiſcopo prolatis.

Quæro X. *Poſſetne alio modo conferri?*

13 ℞. Utique. Sufficit enim, ut quis ab Epiſcopo deputetur ad obſequium, ac ſervitium Eccleſiæ quovis alio modo extrinſeco, ipſo Tonſurato petente, &c. quia cùm non ſit Ordo, vera materia, & forma non indiget ad ejus valorem.

Quæro XI. *Quare tonduntur Capilli in Tonſurando?*

14 ℞. Ad mundi hujus contemptum, & pompam calcandam. *Item* ad ſignificandum, quòd Clericus debet relinquere vanitates, & ſuperfluitates rerum terrenarum, ut poſſit expeditè Deo ſoli ſervire; qui enim vult Deo, & Eccleſiæ inſervire, debet renunciare ſuperfluitati rerum temporalium; quia Clericus fit Hæres Dei in ſorte Sanctorum.

Quæro XII. *Quare capilli tonduntur in modum Coronæ?*

15 ℞. Quia Clericus tonſuratus debet meminiſſe coronæ, quæ ex ſpinis contexta Salvatori noſtro Jeſu Chriſto impoſita fuit. *Vel*. Ad denotandam Regiam dignitatem, quæ videtur convenire iis maximè, qui in ſortem Domini vocati ſunt; *nam ſervire Deo regnare eſt*: juxta illud Petri Apoſtoli 1. epiſt. capit. 2. *Vos genus electum, Regale Sacerdotium, gens ſancta, &c.*

Quæro XIII. *Quare Tonſura fit in capite ordinandi?*

16 ℞. Quia Spinea Corona impoſita fuit tremendo Capiti Salvatoris noſtri. *Vel*. Ad ſignificandum, quòd Clericus deberet habere mentem ſemper elevatam ad DEUM.

Quæro XIV. *Quiſnam inſtituit Primam Tonſuram?*

17 ℞. Sanctus Petrus Apoſtolus, Chriſti Vicarius, & primus Papa. *Ut docet Cathechiſmus Romanus: de Ordine, &c.*

Quæro XV. *Quiſnam poteſt licitè, & validè conferre Primam Tonſuram?*

18 ℞. Proprius Epiſcopus. *Item* ſecundùm multorum ſententiam, Presbyteri Cardinales in ſuis Titulis. *Item* ſecundùm communem ſententiam, Abbates Presbyteri uſum Mitræ, ac Baculi habentes reſpectu ſuorum ſubditorum. *Ita Summa Diana.*

Quæro XVI. *Quinam dicitur proprius Epiſcopus?*

19 ℞. Ille, qui propriè eſt, vel cenſetur *ſuus*, nempe vel ratione Originis, vel ratio-

Digitized by Google

tione Beneficii, vel ratione Domicilii. *Ita omnes DD.*

20 Vide plura Quæſita quoad hoc: *tr.* 48. *à n.* 38. *& ſeq.*

Quæro XVII. *Quinam ſunt capaces primæ Tonſuræ?*

21 ℞. Omnis, & ſolus homo maſculus, & baptizatus.

Quæro XVIII. *Quare fœmina non poteſt ordinari?*

22 ℞. Quia Chriſtus Dominus inſtitutor Sacramentorum excluſit fœminas ab Ordine; nam neque Beatiſſima Virgo Maria hanc poteſtatem, & capacitatem accepit à Chriſto Filio ſuo; non obſtante, quòd fuerit digniſſima, & excellentiſſima univerſorum Fidelium. Ut dicit Scotus, *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 2.

Quæro XIX. *Quare Chriſtus excluſit fœminas ab ordine Sacramento?*

23 ℞. Quia mulier, in pœnam peccati Hevæ, ſub viri poteſtate eſſe debet; ergo non erat congruum ut fœmina gradum eminentiæ in Eccleſia haberet. Ita Scotus moralis.

Quæro XX. *Si autem aliqua fœmina veſtitu clericali perſonata furtivè reciperet ordines, eſſetne validè ordinata?*

24 ℞. Minimè; quia eſt ſubjectum incapax Ordinationis.

Objicies. Anima mulieris, & Anima viri ſunt ejuſdem ſpeciei; atqui vir eſt capax omnium Sacramentorum; ergo & mulier.

25 ℞. Quamvis Anima mulieris, & Anima viri ſint ejuſdem ſpeciei; & idem ſit Agens, nempe Epiſcopus tamen non induceretur forma, nempe Poteſtas Ordinis in Anima mulieris; quia Epiſcopus non eſt hic tamquam Agens naturale, ſed ſolùm Agens morale, faciens nempe actum, ad quem Agens ſupernaturale, nempe DEUS, voluntariè formam, ſeu poteſtatem induceit. Deus autem non decrevit inducere hanc formam in hoc ſubjectum nempe in Animam mulieris; quia excluſit à principio hoc ſubjectum; ergo mulier omninò invalidè ordinaretur. Ita Scotus moralis.

26 ℞. *Breviùs*. Anima viri, & mulieris eſt ejuſdem ſpeciei: *concedo*. Vir eſt capax omnium Sacramentorum, & divina Ordinatione: *concedo*. Ergo, & mulier eſt capax ſimiliter omnium Sacramentorum: *diſtinguo*: omnium, uno hoc exceptò: *concedo*: omnium etiam cum hoc Sacramento Ordinis: *nego*: quia Deus excepit & excluſit mulieres: ut vidimus.

Objicies. Quare igitur antiquitùs aliqua 27
mulier dicebatur *Presbyteriſſa*: alia *Diaconiſſa*?

℞. Quia in Eccleſia Græca Presbyter habebat uxorem, quæ ex denominatione ſui viri, vocabatur *Presbyteriſſa*: ſicut uxor V. G. Doctoris, dici ſolet *Doctoriſſa*. Idem dic de *Diaconiſſa*; quia erat uxor Diaconi.

Quæro XXI. *Quænam conditiones requiruntur in eo, qui vult tonſurari, aut Tonſuram recipere?*

℞. Quatuor. I. Ut ſit confirmatus, id- 28
eſt, Sacramentum Confirmationis receperit. II. Ut ſciat rudimenta Fidei, ſeu myſteria principaliora noſtræ Sanctæ Fidei capiat, & pronunciare noſcat. III. Ut legere, & ſcribere moderatè ſciat. IV. Ut habeat animum Deo, & Eccleſiæ inſerviendi. Ut docet Concilium Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 4. *de Reformatione*.

Quæro XXII. *Quænam ſunt Myſteria principaliora noſtræ S. Fidei?*

℞. Quæ continentur in ſigno, & verbis 29
Sanctiſſimæ Crucis; nempe Unitas Dei, Trinitas Perſonarum Divinarum, Incarnatio Secundæ Perſonæ, &c.

Quæro XXIII. *Qui non eſt confirmatus poteſtne tonſurari?*

℞. Validè, ſed non licitè. *Validè*: quia 30
ſi non confirmatus reciperet Ordines, utique validè reciperet: ut vidimus; ergo & Tonſuram, quæ eſt ſola præparatio, & diſpoſitio ad Ordines. -- *Non licitè*; quia ageret contra præceptum Tridentini, *ſeſſ.* 23. *c.* 4. *de ref.*

Quæro XXIV. *Qui in peccato mortali reciperet Tonſuram peccaretne?*

℞. Puto, quòd non peccaret mortali- 31
ter; quia non recipit Sacramentum; ut patet ex dictis.

Quæro XXV. *Quænam ætas requiritur ad recipiendam licitè Primam Tonſuram?*

℞. Ex verbis Concilii Tridentini ſupra- 32
citati, *ſeſſ.* 23. *c.* 4. *de reform.* licèt nulla determinata ætas præfigatur, colligitur tamen, quòd requiratur uſus rationis; nam ibi dicit: *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint: & Fidei rudimenta edocti non fuerint: quique legere, & ſcribere neſciant*. Sed ad has conditiones habendas requiritur uſus rationis; ergo requiritur ætas ſeptem ſaltem annorum.

Quæ-

Quæro XXVI. *Quid, ſi ſeptennio minor comprehendatur ſufficienter inſtructus, & habilis, ut ſuprà, poteritne tonſurari?*

33 ℞. Quòd ſic. Ita Thomas Tamburinus cum Quintanadvena; quia tunc ingenium præcox ſupplet defectum ætatis, & præſupponitur adeſſe uſus rationis.

Objicies. Caput *Nullus*. De Tempo-
34 re Ordinationis in Sexto, dicit: *Nullus Epiſcopus, vel quivis alius Clericalem præſumat conferre Tonſuram infanti, ſeu illiterato*. Ubi Gloſſa: *infanti*, ideſt, minori ſeptem annorum; ergo, cùm infantia uſque ad ſeptennium completum duret: eo non completo, minimè licebit tonſurari.

℞. Iſta regula generalis Canonica intelligitur de communi uſu; quia communiter loquendo non præſumitur puer ad uſum rationis deveniſſe, niſi completo ſeptennio. Cùm autem in aliquo caſu conſtaret, puerum aliquem ante ſeptennium deveniſſe ad uſum rationis; non eſt cur Prima Tonſura tali puero denegetur ex vi illius capitis, vel Canonis; quia tunc uſus rationis, atque ingenium docile, & doctum ſupplent ætatem ad Sacramentum Confirmationis recipiendum, & conſequenter ad Tonſuram. Ita Quintanadvenas, *tractat. 6. ſingulare 21.*

Quæro XXVII. *Si infans ante uſum rationis ordinaretur, eſſetne benè ordinatus?*

℞. Ordinans peccaret contra præcep-
35 tum Concilii, & Canonis citatorum *ſuprà, numero 32. & 34.* An autem foret *validè* ordinatus; non eſt certum; nam licèt multi D. D. teneant, quòd ſic; tamen Durandus, P. Soto, & alii tenent quòd non: ob carentiam intentionis debitæ, &c.

Quæro XXVIII. *Si quis initiaretur Tonſura cum animo non aſcendendi ad ulteriores Ordines, peccaretne?*

℞. Si hoc faceret abſque juſta cauſa
36 peccaret utique, vel mortaliter, vel ſaltem venialiter; quia Concilium Trident. *ſeſſ. 23. capitulo 4. de reformat.* ait: *Prima Tonſura non initientur, de quibus probabilis conjectura non ſit, eos, non ſæcularis Judicis fugendi fraude, ſed ut DEO fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.* Atqui ille, qui initiatur Tonſura cum animo non aſcendendi ad ulteriores Ordines, certè facit contra intentionem expreſſam S. Matris Eccleſiæ (in dicto Concilio legitimè congregatæ;) ergo peccat, &c.

Dixi, *mortaliter*, vel *ſaltem venialiter*: 37
quia eſt controverſia inter Doctores circa gravitatem, & levitatem hujus tranſgreſſionis.

Quæro XXIX. *Si quis ſine Prima Tonſura ordinaretur, eſſetne benè ordinatus?*

℞. Validè eſſet Ordinatus; quia Or- 38
dines non dependent eſſentialiter à Prima Tonſura. Illicitè tamen ordinaretur; quia ſcienter hoc faciens, agit contra præceptum Concilii Tridentin. ſeſſ. 23. cap. 2. ubi dicit: *Ut qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent, per Minores ad Majores aſcenderent.*

Irem maneret ſuſpenſus uſque ad bene- 39
placitum ſui Epiſcopi. Per receptionem autem alicujus Ordinis (poſito conſenſu Epiſcopi) evaderet ſufficienter diſpoſitus ad alios Ordines recipiendos. Unde talis non tonſuratus non teneretur recipere Tonſuram poſt aliquem Ordinem jam ſuſceptum; quia unus Ordo ſufficienter diſponit ad alium.

Quæro XXX. *Quinam ſunt effectus primæ Tonſuræ?* Vel *quænam ſunt Privilegia Tonſurati?*

℞. Effectus, ſeu Privilegia Tonſurati 40
ſunt infraſcripta principaliora enumerata à Fagnano *in capitulo cum contingat, numero 112. de ætate, & qualitate præficiendorum.*

Primum. Legitimè Tonſuratus transfer- 41
tur à ſtatu laicali ad Statum Clericalem, & de Sorte Domini efficitur. Ita habetur *arg. can. Duo ſunt 12. q. 1. Et Can. Clericos, diſt. 21.*

Secundum. Tonſuratus acquirit Pri- 42
vilegium *Fori*; hoc eſt, eximitur ab omni Poteſtate, ſeu Juriſdictione ſæcularis Fori. Ita habetur, *Canon. ſi Imperator, diſt. 96.* -- Ac proinde non poteſt ampliùs à Judice ſæculari in Judicium ſuum trahi, non citari, non incarcerari, non puniri; ſed dumtaxat ab Eccleſiaſtico Foro.

Verumtamen novo Jure Concilii Tri- 43
dentini *ſeſſ. 23. cap. 6. de Reform.* ad hoc ut Prima Tonſura initiatus gaudeat hoc Privilegio *Fori*, requiritur, quòd is, vel Beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonſuram capillorum deferat, aut alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſerviat: vel in Semi-
nario

Digitized by Google

nario Clericorum, vel in aliqua Schola, vel Univerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad alios Ordines ſuſcipiendos, verſetur.

44 Sufficit tamen quælibet ex dictis conditionibus, ut is Privilegio *Fori* gaudeat. Sicut docet P. Anacletus noſter *in Moral. Tr.* 14. *d.* 12. *n.* 11. *in fine*.

45 *Tertium*. Tonſuratus acquirit *Privilegium Canonis, Si quis ſuadente Diabolo*, 17. *q.* 4. Ex quo Tonſuratum injurioſè percutiens, incidit ipſo facto in excommunicationem, ibi latam.

46 *Quartum*. Tonſuratus poteſt obtinere Beneficium Eccleſiaſticum: Ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de Reform.* Non tamen ante decimum quartum ætatis ſuæ annum.

47 *Quintum*. Tonſuratus fit capax omnis Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, tam ordinariæ, quàm extraordinariæ, ſeu delegatæ, cujus merus Laicus eſt incapax. Hinc initiatus Prima Tonſura eſt capax Poteſtatis conferendi Beneficia Eccleſiaſtica, Cauſas Spirituales cognoſcendi, ferendi ſententiam etiam Excommunicationis, &c. ideſt, poteſt fieri Vicarius Generalis, & Judex; &c.

Et tamdem gaudet omnibus Privilegiis Clericorum.

Quæro XXXI. *Declara mihi Privilegium prædictum Canonis?*

48 ℞. *I.* Innocentius Papa Secundus in Concilio Lateranenſi, ut refertur, capite. Si quis ſuadente, &c. decrevit ſic: *Si quis, ſuadente Diabolo, hujus Sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, Anathematis vinculo ſubjaceat, &c.* Concordat Clementina. *Si quis ſuadente, De pœnis*. Explico ſingula.

49 ℞. *II. Si quis*. Intelligitur omnis homo baptizatus cujuſcumque ſexus, ſtatus, conditionis, dignitatis: dummodò rationis compos, & doli capax ſit. Extenditur autem ad efficaciter mandantes, conſulentes, conſentientes, ſuo nomine factam percuſſionem ratihabentes, non impedientes, ſaltem ſi ex Officio, aut ex Juſtitia teneantur impedire, & non impediant, ut Reges, Judices, cæteri Superiores: item Patres, Tutores, Domini, Pedagogi, Parochi, &c. quibus aliorum cura demandata eſt. — Ita cum Laymanno Bonacina, Molina, & aliis DD. Buſembaus, *lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 4. *art.* 4.

50 ℞. *III. Suadente diabolo*. Hæc verba ſignificant, ad incurrendam Excommunicationem hujus Canonis, requiri gravem injuriam, adeoque mortale peccatum, etiam in ratione Sacrilegii, cùm hoc ſit proprium objectum hujus pœnæ Eccleſiaſticæ, ſicut cum Cajetano, Angelo, & Molina docet Laymannus, *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 5.

51 ℞. *IV. Injecerit manus violentas*. Per hoc intelligitur quævis contumelioſa actio exterior mortalis circa Perſonam Clerici, vel Monachi, vel res ei adhærentes: ſive actio prædicta fiat manu, vel pede, gladio, vel baculo, aut quovis alio inſtrumento, ipſum Clericum, vel Monachum occidendo, mutilando, vulnerando, percutiendo, &c. aut injurioſè capiendo, vel detinendo in cuſtodia publica, vel privata. *Vel* ipſum perſequendo, ut in flumen, vel foſſam incidat, vel equo decidat. *Vel* ipſum conſpuendo, conſpergendo aqua, pulvere, &c. aut conſpurcando luto, &c. *Vel* ejus capillos injurioſè eripiendo, evellendo, aut veſtem lacerando. *Vel* aliquid per vim injurioſam de ejus corpore, ut pileum, pallium, &c. abripiendo. *Vel* manus violentas injiciendo in equum, cui Clericus inſidet; quia omnes, & ſingulæ prædictæ actiones ſunt valdè contumelioſæ reſpectu honoris debiti Ordini Clericali. Ita cum multis Buſembaus, & Anacletus citati.

52 ℞. *V. In Clericum, vel Monachum*. Nomine *Clericis* intelligitur omnis ſaltem Prima Tonſura inſignitus, dummodò Privilegio iſto Canonis privatus non exiſtat ex defectu omnium illarum conditionum (*ſuprà numero* 43.) requiſitarum, ergo à fortiori quilibet Minoribus, aut Majoribus Ordinibus condecoratus; etiamſi iſte eſſet aliàs excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, &c. Ita D. D. citat.

53 ℞. *VI.* Nomine autem *Monachi* hic intelliguntur omnes omninò Religioſi, & Religioſæ, eorumque Converſi, & Converſæ: imò etiam Novitii, & Novitiæ. Item Tertiarii, & Tertiariæ Ordinis S. P. Dominici, & S. P. N. Franciſci. Item Eremitæ, qui ſub aliqua Regula, & Obedientia Superiorum vivunt. Secùs dicendum de Eremitis vagis, & ſegregatis, qui nullam ſpecialem Eccleſiaſticam obligationem habent. Ita P. Anacletus noſter,

cit. numero 63. Felix Poteſtatis, *tom.* 1. *numer.* 3560. Bordonus, Lezana, & alli DD.

54 ℞. *VII.* Hæc Cenſura Excommunicationis majoris eſt reſervata Summo Pontifici; quia additur: *Et nullus Epiſcoporum præſumat eum abſolvere.*

Quæro XXXII. *Incurruntne hanc Cenſuram Parentes, Superiores, Præceptores, Senes, Propinqui, &c. percutientes moderatè ad correctionem ſuos Clericos filios, diſcipulos, ſubditos?*

55 ℞. Nequaquam. Tum quia talis percuſſio non fit, *ſuadente diabolo*, ut dicit Canon, ſed ſuadente ratione, auctoritate, &c. Tum quia hoc permittitur à Sacris Canonibus, *capitulo Cum voluntate. De ſent. Excomm.* Et *capitulo ex tenore.* Et *Authentica Presbyteros* 1. *co. de Epiſcopo, &c.*

Quæro XXXIII. *Pueri Tonſurati ſi ſe ſe pugnis percutiant, incurruntne hanc Excommunicationem?*

56 ℞. Minimè. Ratio eſt: hæc injuria inter pueros levis reputatur. Tum quia talis percuſſio de ſe (reſpectu iſtorum) eſt levis; etiamſi ex prava voluntate fuiſſet gravis, & mortalis, nempe animo graviter lædendi ſocium. Ita Diana Coordinatus, *tom.* 5. *tr.* 2. *Reſol.* 1. *&* 2. cum aliis DD.

Idem dices à ſimili de Novitiis junioribus: ob paritatem rationis.

Quæro XXXIV. *Cur Clericus, vel tonſurandus induitur tunica talari?*

57 ℞. Ad deſignandam morum gravitatem & majorem vitæ perfectionem; Clerici namque omnes dicuntur in Dignitate quodammodò conſtituti; unde ſicut Laicos omnes loco in Eccleſia præcedunt, ſic & Religione, ac pietate eos antecellere oportet. Ita Homobonus, *de Examine*, *p.* 1. *tr.* 3. *q.* 7.

Quæro XXXV. *Cur ſuperpelliceo induitur?*

58 ℞. Ad puritatem, & innocentiam denotandam: juxta illud Pſalmi 100. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Albedo namque, ut omnibus notum eſt, puritatem, & munditiem ſignificare ſolet.

Quæro XXXVI. *Cur utitur, vel ornatur Bireto?*

59 ℞. Ad ſignificandum, quòd Clericus debet geſtare Crucem Chriſti in mente, & carnis mortificationem in corpore ſuo; nam *Biretum* in modum Crucis confectum eſt; & quatuor ejus anguli quatuor etiam ipſius Crucis partes exprimunt: Ita Homobonus cit.

Quæro XXXVII. *Quare veſtis talaris Clerici eſt nigri coloris?*

℞. Quia niger color in veſtibus eſt ſi- 60
gnum gravitatis, modeſtiæ, & firmitatis Animi, quia Clericus debet eſſe morum gravis, modeſtus, ac firmus in Dei ſervitio. Tum etiam ad denotandum, quòd Clericus debet eſſe mortuus mundo, ac mundis vanitatibus, color enim nigredinis etiam mortem deſignat.

Quæro XXXVIII. *Prima Tonſura inſignitus peccabitne, ſi tonſuram capillorum, ſimul cum habitu prædicto non deferat?*

℞. *I.* Si habeat Beneficium Eccleſiaſti- 61
cum, etiam ſimplex, aut Jus ad illud, vel Penſionem percipiat, tenetur ſub mortali, & ſub pœna privationis Beneficii, vel Penſionis, Tonſuram Clericalem, & habitum deferre. Ex Conſtitutione Sixti Papæ Quinti incipiente: *Cùm Sacroſanctam.* Apud Homobonum, *citat. quæſt.* 8. Graffium, *lib.* 3. *deciſ. capitulo* 3. Bonacinam *de Sacram. diſp.* 8. *quæſt. un. punct. ult. num.* 3. Reginaldum, *lib.* 30. *tr.* 3. *cap.* 2. *n.* 10.

℞. *II.* Tonſuratus ſimplex, ideſt, 62
non habens Beneficium, nec Penſionem, non deferendo habitum Clericalem, & tonſuram capillorum, excuſatur à peccato; quia de Jure communi talis Clericus non poteſt cogi ad deferendum habitum Clericalem, niſi quatenùs uti velit Privilegio Clericorum: *ex cap. finali de Clerico conjugato.*

℞. *III.* Clericus tonſuratus, ſi habitum 63
deferre velit, poteſt cogi à Superiore Eccleſiaſtico, ut habitum decentem, & honeſtum ferat: *ex c. nullus* 21. *q.* 2. apud Bonacinam, cit.

℞. *IV.* Clericus Prima Tonſura inſi- 64
gnitus in habitu, & tonſura clericali non incedens, Beneficio Fori non gaudet; ita Homobonus, *de exam. tractat.* 3. *qu.* 8. *in prima parte.* Paſqualigus *in quæſt. variis, quæſt.* 96. *numero* 1. Toletus *in Inſtr. Sacerdot. libro* 1. *capitulo* 31. *numero* 4. Ubi dicit: Non portantes habitum Privilegio non gaudent (Fori, & Canonis) non autem perdunt; illo ergo Privilegio, quandocumque portent habitum, gaudebunt: & quatenus dicitur ab aliquibus *quòd aliquando perdunt*, intelligitur uſ-

que

que ad reaſſumptionem ; dummodò non reaſſumant in fraudem. -- Ita etiam Laymannus, *lib. 1. tr. 5. part. 3. cap. 5. n.* 3. §. 3.

65 ℟. *V.* Percutiens Clericum habitum publicè non deferentem à pœna Excommunicationis excuſatur ; dummodò ignoret, eum eſſe Clericum. Et aſſerenti, ac juranti, ſe non exiſtimaſſe illum eſſe Clericum, quem in laicali veſte incedentem percuſſerat, fides præſtanda eſt in Judicio, & extra. Ut cum multis DD. docet Homobonus *cit. quæſt.* 8. Ex P. Marchantius noſter, *tom. 3. Tribun. tr. 6. tit.* 1. *q.* 6.

66 ℟. *VI.* Clericus Beneficiarius, ſeu Beneficiatus, ideſt, gaudens aliquo Beneficio Eccleſiaſtico, ſi non ferat habitum Clericalem in publico, incurrit pœnam Suſpenſionis ab Ordinibus, & Officiis, atque pœnam privationis eorumdem Beneficiorum, & Officiorum. Ut cum pluribus probat Reginaldus *in Praxi, lib.* 30. *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 10. Et Naldus Faventinus, *V. Clericus, numero* 43. citans Bullam Sixti Papæ Quinti, incipien. *Cùm Sacroſanctam.*

67 ℟. *VII.* Prædicta intelligenda ſunt, ſi ſpectatis circumſtantiis Perſonæ, loci, diuturnitate temporis, &c. Clericalis Tonſuræ, & habitus neglectus notabiliter repugnet honeſtati, & bono exemplo Clericorum, cujus gratia talis habitus lege Eccleſiaſtica præcipitur. Ut prudenter, more ſolito, notat cum multis Layman, *lib.* 5. *tr.* 9. *c.* 12. n. 3.

68 ℟. *VIII.* Ex juſta cauſa, vel ad tempus breve, ſine honeſtatis detrimento, habitus Clericalis poteſt deponi ſine peccato, & pœna; ſpectanda tamen eſt cujuſcumque Diœceſis laudabilis conſuetudo, ac Synodus. Dixi, *laudabilis conſuetudo*; ne quis Clericus ſe excuſet contraria Conſuetudine ſui Territorii, ut patet: quoniam (ut Canones, & Concilia clamant) talis non poſſet cenſeri laudabilis, nec rationabilis Conſuetudo, ſed potiùs judicanda eſſet corruptela à vanitate, & levitate (ne dicam pompa) procedens, & ſubrepens, ut dicit, ac probat Reginaldus *cit. n.* 12.

Quæro XXXIX. *Quænam eſt differentia inter Tonſuram, & Clericam?*

69 ℟. Eſt iſta; quia *Tonſura* propriè capta eſt, quæ à parte inferiori capillorum fit in rotundum uſque ad aures. *Clerica* verò eſt parva illa rotunditas, & ratione capillorum fit in ſummitate, aut vertice capitis. Ita Reginaldus, *cit. numero* 15. Convenit autem Clericis hæc Tonſura, & Raſura in formam Coronæ, ad ſignificandam perfectionem vitæ, & Regni, quod in Deo habet ii, qui in ſortem Domini vocati, ſe, & alios in virtutibus regentes, ſperant à Deo Coronam Gloriæ ſingularem. Vide ſupradicta, *nu.* 14. *& ſeq.*

Quæro XL. *Clericus poteſtne arma geſtare?*

70 ℟. Nequaquam; quia uſus armorum Clericis prohibetur expreſsè in *c. Clerici, & Clementina* 1. *de vita, & honeſtate Cler.* Tum quia arma defenſiva, & offenſiva non decent ſtatum, & Habitum Clericalem. Tum quia deferentes arma poſſunt excommunicari. Et in aliqua Diœceſi lata eſt ſententia Excommunicationis contra Clericos deferentes genus illud armorum, quod *Sclopus* appellatur.

Unde deduces, Clericos peccare geſtando arma cujuſvis generis abſque juſta, & rationabili cauſa, vel abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, vel ſine licentia expreſſa Ordinarii; nam quamvis Epiſcopus (per ſe loquendo) non poſſit diſpenſare in Jure communi; poteſt tamen diſpenſare in ſuis Edictis, & Statutis, & in caſibus particularibus declarare poteſt, competere huic Clerico juſtam cauſam deferendi arma; ut cum aliis DD. probat Bonacina *de Sacram. diſp.* 8. *q. un. pun. ult. n.* 7.

Quæro XLI. *Clericus ſola Tonſura initiatus, ſed habens Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, teneturne recitare Horas Canonicas?*

71 ℟. Affirmativè: quia ſic ſentit communis DD. ſententia, & antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudo, quæ vim legis habet. Ita Homobonus *in Exam. part.* 2. *tr.* 4. *quæſt.* 32. Et patet tum *ex cap. Dolentes*, tum ex aliis Summorum Pontificum Conſtitutionibus: Tum quia, Beneficium datur propter Officium, ut, *ex cap. ult. de Reſcriptis in* 6. apud Anacletum, *tr.* 4. *diſt.* 1. *num.* 25. habetur.

Quæro XLII. *Beneficiarius habens tenue Beneficium teneturne recitare Officium?*

72 ℟. Affirmativè. Quia Beneficium, licèt tenue, eſt *Beneficium*, & verum ſpirituale Jus confert. Tum quia Clericus ſpontè accipiens tale Beneficium, ſe aſtringit Le-

Digitized by Google

gibus Eccleſiæ. Ita cum multis DD. Homobonus, *cit. q.* 33.

In praxi tamen ſi Beneficium adeò ſit tenue, ut ferè pro nullo reputetur: & his temporibus ſaltem ſummam *octo Ducatorum* non attingat, Confeſſarius, naturali æquitate ante oculos habita, pro ejuſdem prudentia, & arbitrio ad aliquoties recitandum, V. G. feſtivis, & Dominicis diebus, eum obligare poſſet, ut multi DD. (apud cit. Homobonum) tenent.

Cætera, quæ circa hanc materiam de Horis Canonicis dicenda forent, vide *Tr.* 54. per totum.

TRACTATUS L.

DE MINORIBUS ORDINIBUS Examen.

QUæro I. *Quid petis?*

1 *Reſpondeo*. Peto Quatuor Ordines Minores. Seu, examinari pro his Ordinibus recipiendis.

Quæro II. *Quot ſunt Ordines Minores?*

2 ℞. Sunt quatuor; nempe Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, & Acolytatus.

Quæro III. *Quare dicuntur Minores?*

3 ℞. Quia in minori, ſeu inferiori dignitate Eccleſiaſtica circa Euchariſtiam conſtituunt ordinatum; nam minora officia exercent circa Sacrificium Miſſæ.

Quæro IV. *Iſti quatuor Ordines ſuntne Sacri?*

4 ℞. Minimè; quia homo initiatus his Ordinibus non conſecratur immutabiliter Deo, nec aſtringitur aliquo voto; nam à ſtatu Clericali in his Minoribus poteſt tranſire ad ſtatum Laicalem, ad Matrimonium.

Quæro V. *Ordines Minores quomodo differunt à Majoribus?*

5 ℞. Vide dicta *in tr.* 48. *n.* 24. *De Ordine in genere*.

Quæro VI. *Si quis jam ordinatus in Minoribus tranſiret ad ſtatum laicalem, aut Matrimonialem, amitteretne Ordines ſuſceptos?*

6 ℞. Non; quia non amittit Characterem, ſeu poteſtatem remotam; ſed tantùm amittit Officium, exercitium, & Privilegia Clericorum.

Quæro VII. *Peccaretne Clericus tranſeundo ad ſtatum laicalem?*

7 ℞. Si hoc faceret ex neceſſitate, aut alia de cauſa rationabili, non peccaret; quia quilibet poteſt licitè uti ſua libertate in eligendo ſtatum vitæ ſibi magis proportionatum, & convenientem. Si autem hoc faceret ex inſtabilitate, levitate, tædio, &c. tunc peccaret ſaltem venialiter quia hujuſmodi Clericus videretur recedere à ſtatu, quem in ipſa receptione Tonſuræ, & aliorum Ordinum apparet ipſi Eccleſiæ ſaltem implicitè promiſiſſe: ut doce Thom. Tamburinus, *de Sacram. libro* 7. *capitulo* 2. §. 6. *numero* 14. Tum quia hìc adeſſet aliqua deordinatio actus, ex indecentia mutationis ſtatus. Tum quia experientia docet, tales Clericos temerè habitum Clericalem dimittentes, & uxorem ducentes flagellari à Chriſto, & ejus primo Vicario Div. Petro, etiam in hoc mundo.

Quæro VIII. *Si quis ſuſciperet Minores Ordines cum intentione non aſcendendi poſtea ad Majores, peccaretne?*

℞. Vide dicta ſuperiùs *in tract.* 48. *n.* 111. — *De Ordine in genere*. Addo hic cum Laymanno, *lib.* 5. *tract.* 11. *cap.* 7. *num.* 2. *in fine*: Interdum poſſe dari caſum, quo quis non peccet ſuſcipiendo Minores Ordines cum intentione non aſcendendi ad ulteriores. V. G. Si Rector alicujus Academiæ, ſeu Seminarii Clericalem Tonſuram, & Minores Ordines reciperet ſolùm, ut Juriſdictionem in Clericos, & ſtudentes exercere poſſet. 8

Quæro IX. *Si aliquis Clericus Beneficium Eccleſiaſticum reciperet, ſine intentione permanendi in ſtatu Clericali, peccaretne.*

℞. Affirmativè: ut habetur *capitulo Su-* 9

per

per inordinata, & *capitulo Gravi*, *de Præbendis*, ubi dicitur, quòd qui recipit Beneficium, tenetur habere determinatam intentionem ſtatus Eccleſiaſtici, & permanendi in ſtatu Clericali. – Imò aliqui DD. magni nominis addunt, in tali caſu non poſſe Beneficium illud retineri, & ad reſtitutionem teneri fructuum perceptorum. Limitant tamen dicendo, quod, ſi ex juſta cauſa poſtmodum ſtatus Clericalis non ſatis illi convenire videatur, poſſit animum mutare. V. G. ſi primogenitus familiæ, aut frater unicus ſine liberis, ſeu filiis decedat, ad conſervationem familiæ nobilis, vel graves lites vitandas inter cognatos hæredes. Et ratio eſt, quia Mater Eccleſia ita ad Clericalem ſtatum obligare non intendit, ut hæc, & ſimilia bona impediantur, vel mala permittantur. Ita cum Navarro, Leſſio, & Laymanno Maſtrius *in Moral. diſp. 14. n. 62.*

Quæro 10. *Ordinatus in Minoribus poteritne licitè contrahere Matrimonium?*

10 ℞. Si hoc faciat juſta, & rationabili de cauſa, utique poterit licitè ducere Uxorem, ut vidimus. Si autem hoc faciat temerè, vel impudenter, peccabit ſaltem venialiter, ut pariter vidimus; valebit tamen Matrimonium; ut patet.

Quæro XI. *Si ordinatus in Minoribus contraxerit Matrimonium, perdetne Privilegia Clericorum?*

11 ℞. Diſtinguo. Si contraxerit cum ſecunda muliere, ſeu uxore, ſecunda vice, vel cum prima, ſed non virgine, tunc exuitur omni Privilegio Clericali, & additur, ſeu remittitur Foro ſæculari: & prohibetur ſub pœna Excommunicationis deferre Tonſuram, & Habitum Clericalem habetur, *de Bigamia altercat. lib. 6.*

Si autem contraxerit cum una, & Virgine, deferendo Tonſuram, & veſtem clericalem, de licentia Epiſcopi inſerviens alicui Eccleſiæ, retinet Clericale Privilegium in duobus: nempe Privilegio Canonis: *Si quis ſuadente*, &c. & quòd pro crimine non poſſit ad Judicium ſæculare trahi: aut à Judice ſæculari, prætextu cujuſcumque exceſſus, puniri pecunialiter, vel perſonaliter, criminaliter, aut civiliter: ut habetur *de Cler. conjug. cap. un. lib. 6.* – In aliis autem non retinet Privilegia.

Si verò talis non deferat Tonſuram, & habitum Clericalem, nullum retinebit Privilegium; ut habetur *eodem c. de Cler. conjug.* apud Silveſtrum *in Summa*, *V.* Clericus 3. §. *vel n. 7. & alibi*.

Quænam autem ſint Privilegia Clerici? Require ſuprà, *tract. 49. à numero 40. & ſeq.*

Quæro XII. *Quodnam eſt majus Privilegium Clericorum, Fori, vel Canonis?*

12 ℞. Privilegium *Fori* eſt majus, quàm Privilegium *Canonis*. Quia illud plura comprehendit in favorem Clericorum, & majori difficultate amittitur. Tum quia Privilegium *Fori* ex Divino provenit jure, privilegium verò *Canonis* ex humano, ſeu Eccleſiaſtico tantùm jure procedit. Ita ex Abbate, Angelo, Sylveſtro, & Suarez, docet Laymann. *lib. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 3.* §. 3.

Quæro XIII. *Ordines Minores ſuntne Sacramenta?*

13 ℞. Utique. Quia habent ſuam determinatam materiam, & formam, atque effectum Sacramentalem producunt.

Quæro XIV. *Quomodo ſalvatur unitas Sacramenti Ordinis, ſi omnes Ordines, etiam Minores ſunt Sacramenta?*

14 ℞. Salvatur optimè per hoc, quòd ſinguli Ordines ſunt veluti partialia Sacramenta, quæ integrant unum totum Sacramentum Ordinis. Tum etiam propter unitatem moralem finis; quia omnes Ordines tendunt ad Sacerdotium.

Quæro XV. *Quandonam fuerunt inſtituti à Chriſto iſti Ordines Minores?*

15 ℞. In ultima Cœna. Ratio eſt: quia tunc Chriſtus explicitè, ut conſtat, inſtituit Sacerdotium; ergo deducitur, quòd omnes alii Ordines tunc fuerunt inſtituti; nam ipſe Chriſtus, conferendo principalem Ordinem Apoſtolis, præſupponitur, quòd contulerit etiam reliquos, tamquam diſpoſitivos ad actum principalem conſecrandi. Aliàs non poſſet intelligi, quomodo tunc Chriſtus inſtituerit Sacramentum *Ordinis* cum debita ſolemnitate, niſi intelligatur, quòd tunc etiam omnes inferiores Ordines gradatim inſtituerit; nam, (ut inquit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 23. capitulo 2.) *Cùm Divina res ſit tam ſancti Sacerdotii Miniſterium, conſentaneum fuit, quò digniùs, & majori cum reverentia, & veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent Miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervirent*, &c.

&c. – Atqui ordinatiſſima hæc diſpoſitio Eccleſiæ in his Ordinibus habuit ſuam originem à Chriſto Inſtitutore ; ergo Chriſtus in ultima Cœna , quando inſtituit hoc Sacramentum *Ordinis* , de facto inſtituit omnes Ordines, qui componunt, & conſtituunt unum hoc *Sacramentum Ordinationis*.

16 Et Card. Bellarminus , *de Ordine , cap. 9.* ſic diſcurrit: Credibile eſt, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum tunc inſtituiſſe omnes etiam iſtas materias Ordinum inferiorum Sacerdotio; non quidem in particulari, ſed generatim, monendo Apoſtolus, ut Ordines conferrent per cæremoniam inſtrumentalem , qua ſignificaretur eorum poteſtas.

17 Circa verò punctum temporis , & modum præciſum , quo Chriſtus tunc in ultima Cœna inſtituerit , & contulerit hos Ordines , non habemus aliquid certum: quidquid meditentur quidam liberculi tractantes de Ordinibus . Sufficit autem nobis auctoritas Eccleſiæ in Concilio Trident. ſeſſ. 23. canon. 2. de Ordine , ubi dicitur; Si quis dixerit , præter Sacerdotium, non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines, & Majores , & Minores , per quos , velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur ; anathema ſit. – Et canon. 3. ſeq. Si quis dixerit, Ordinem, ſive Sacram Ordinationem , non eſſe verè , & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit. – Ergo de fide eſt, omnes Ordines fuiſſe inſtitutos à Chriſto.

18 Quòd autem Sacerdotium fuerit inſtitutum à Chriſto in ultima Cœna, patet manifeſtè ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *c.* 1. *&* 2. – *& ſeſſ.* 22. *c.* 1. *& can.* 2. – Ergo & tunc credibile eſt inſtituiſſe inferiores Ordines: Minores, & Majores.

De Oſtiariatu.

Quæro XVI. *Quid eſt Oſtiariatus?*

19 ℞. Eſt Ordo Eccleſiaſticus, quo confertur poteſtas ex Officio aperiendi, & claudendi januas Templi, cuſtodiendi Eccleſiam, dignos admittendi, & indignos arcendi, atque campanas pulſandi ad convocandum populum Dei. *Vel* eſt poteſtas, per quam ordinatus in Oſtiarium, poteſt admittere dignos, & excludere indignos ab Eccleſia, eamque cuſtodire.

Quæro XVII. *Quinam ſunt iſti digni, & quinam indigni?*

℞. Digni ſunt omnes Chriſti Fideles. 20
Indigni ſunt omnes infideles, & hæretici, ſeu excommunicati.

Quæro XVIII. *Quodnam eſt munus Oſtiarii?*

℞. Patet ex definitione allata. Oſtiarii 21
ergo munus eſt, Templi claves, & januam cuſtodire; *Nolam* , ideſt, Campanam pulſare, aditu Templi eos arcere, quibus ingredi interdictum eſt; ad S. Miſſæ Officium aſſiſtere, & curare, ne quis propiùs quàm par eſt, ad Sacram Aram accedat, aut ne Sacerdotem rem Divinam facientem interpellet.

Quæro XIX. *Laici, & ſæculares pulſant campanas , ergo non erit proprium munus Oſtiarii hoc opus?*

℞. Licèt laici, & ſæculares hoc, & alia 22
opera, quæ ad Minores Ordines ſpectant, aliquando faciant , non tamen agunt ex Officio, & ſolemniter; ſed ex pietate, aut neceſſitate in ſubſidium agunt, aut vocantur. Ut docet Homobonus, *in exam. p. 1. tr. 3. qu. 73.*

Quæro XX. *Quænam eſt materia hujus Ordinis?*

℞. Materia remota ſunt Claves Eccle- 23
ſiæ. Materia autem proxima eſt traditio Clavium.

Quæro XXI. *Quænam eſt Forma?*

℞. Sunt verba prolata ab Epiſcopo , 24
quando in traditione Clavium dicit Ordinando: *Sic age, quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.*

Quæro XXII. *Si loco Clavium Eccleſiæ traderentur claves domus, vel capſæ, eſſetne valida ordinatio?*

℞. Nequaquam . Ratio eſt: quia tunc 25
falſa eſſet forma verborum, & materia impropria; nam Claves Eccleſiæ ſunt materia; & forma verborum indicat ipſaſmet claves Eccleſiæ, vel Templi.

Quæro XXIII. *Claves tamquam materia hujus Ordinis: debentne tangi ab ordinando tactu phyſico, vel morali?*

℞. Tactu phyſico . Ita Div. Thomas , 26
in additionibus, quæſt. 34. art. 5. ad 3. arg. Tum quia traditio materiæ debet eſſe efficax, & ſenſibilis per contactum . Tum quia ubi agitur de valore Sacramenti tutior via eſt eligenda.

Quæro XXIV. *Quænam ætas requiritur ad hunc Ordinem ſuſcipiendum?*

℞. Sa-

Digitized by Google

27 ℞. Satis eſt, ut ordinandus in Oſtiarium habeat ſeptennium completum; ut habetur *ex cap. de iis, diſt. 28. — & capit. in ſingulis, diſt. 77.* apud Filliucium *tract. 9. n. 84.*

Quæro XXV. *Quænam ſcientia requiritur in Ordinando in Oſtiarium?*

28 ℞. Pro omnibus Minoribus Ordinibus licitè ſuſcipiendis requiritur, ut Ordinandi intelligant linguam latinam, & ſciant, quæ ad proprium Officium ſpectant. Ita ex Concil. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 4 de reformat.* Hæc autem ſcientia, & intelligentia ſufficit, quòd ſit mediocris; ut dicit Gloſſa *in cap. Illiteratos.*

Quæro XXVI. *Illiteratus, & ignarus poteſtne licitè ordinari?*

29 ℞. Minimè. Quia imperitus in legendo, ſcribendo, & intelligendo linguam latinam eſt irregularis ex defectu animi: ut habetur ex pluribus Canonibus, & ſignanter *cap. Illiteratos 36. diſt. & cap. Cùm in cunctis, de elect. & cap. 1. diſt. 39.* ubi Papa Gelaſius ait: *Illiteratus nullus præſumat ad Ordines promoveri: quia litteris carens Sacris Officiis aptus eſſe non poteſt.* — Siquidem naturale lumen dictat, non eſſe admittendos ad aliquod munus eos, qui neſciunt illud munus exercere.

30 Hæc tamen Irregularitas de ſe, & abſque alia diſpenſatione, tollitur, ſublata cauſa, nempe ipſa ignorantia, per debitam ſcientiam jam acquiſitam: ut docet Anacletus noſter *in moral. tract. 13. diſt 3. num. 26.*

31 Nota hic cum Patre noſtro Angelo à Clavaſio, *in Summa, V. Clericus, 2. §. vel numero 2.* quòd parùm ſciens, ſi ſpes ſit, quòd poſſit proficere, poteſt promoveri; alias non.

32 Nota etiam cum Diana *Coordinate, tomo 2. tractat. 5. reſol. 77.* §. 2. quòd cum Religioſis, & Monachis non multùm litteratis poſſunt Epiſcopi diſpenſare, ut Ordines recipiant; quia in illis non requiritur tanta ſcientia, quanta in Clericis ſæcularibus: eò quòd ad Curam Animarum non ordinentur, & ex continuo convictu, & communicatione cum Doctis in Religione ſemper manet ſpes diſcendi; idque colligitur *ex cap. Nullus: de tempore ordin. in 6.* & facit, quod legitur, *16. diſt. quæſt. 1.* ut etiam docent Angelus, *V. Clericus, 2. numero 2.* — Sylveſter, *V. Clericus 2. num. 1.* Portel *dub. Regul. V. Ordines Sacri, num. 6.* — Hier. Roderic. *Comp. reſol. 52. n. 22.* — Peyrinus *de Relig. Prel. tr. 2. qu. 4. c. 7. n. 20.* & alii DD. apud iſtos.

Quæro XXVII. *Si quis illiteratus, vel ignarus, ut ſuprà? ordinaretur, eſſetne benè ordinatus?*

33 ℞. Validè; ſed non licitè. *Validè*, patet ex dictis de Ordine in genere. *Non licitè* quia peccaret mortaliter tam Ordinans, quàm ordinatus, ob gravem prohibitionem prædictam Juris Canonici; & ratio patet ex ſupradictis, *n. 29.*

De Lectoratu.

Quæro XXVIII. *Quid eſt Lectoratus?*

34 ℞. Eſt Ordo Eccleſiaſticus, quo confertur poteſtas ſpiritualis ordinato in Lectorem legendi in Eccleſia Dei Prophetias, & Lectiones Sacræ Scripturæ ex Officio. — *Vel* eſt Poteſtas, per quam ordinatus in Lectorem poteſt legere Lectiones & Prophetias.

Quæro XXIX. *Quænam eſt materia hujus Ordinis?*

35 ℞. Materia remota eſt liber Epiſtolarum & Prophetiarum, qui dicitur *Lectionarius*. Materia autem proxima eſt ejuſdem libri traditio, & acceptatio.

Quæro XXX. *Quænam eſt forma hujus Ordinis?*

36 ℞. Sunt illa verba prolata ab Epiſcopo dum porrigit librum, dicente: *Accipe, & eſto Verbi Dei relator, &c.*

Quæro XXXI. *Quodnam eſt munus Lectoris?*

37 ℞. Eſt annuntiare Populo Verbum Dei, legendo ex libro, non autem prædicando, legendo ſcilicet Prophetias, & Sacras Lectiones Scripturarum extra Miſſam. Nam legere eaſdem Lectiones in Miſſa, eſt Officium Subdiaconi. Quamvis in quibuſdam Miſſis ſolemnibus, ubi plures leguntur Prophetiæ, & Lectiones Sacræ Scripturæ, Officium Lectoris ſit eas clara voce legere. Item legere lectiones in Officio Divino nocturno. Et antiquitùs, antequàm Epiſcopus prædicaret, Lectoris munus erat, textum Sacræ Scripturæ in Concione explicandum, alta voce prælegere. — Item Officium Lectoris eſt, Catechumenos in Fide erudire, ſeu rudimenta Fidei eos docere.

Quæro XXXII. *Si loco libri Lectionarii*

Digitized by Google

traderetur Miſſale, aut liber Bibliorum, eſſet valida Ordinatio?

38 ℞. Affirmativè; quia in Miſſali, & Bibliis continentur Lectiones, & Prophetiæ; ergo eſſet materia idonea. Idem dici poteſt, ſi tradatur Breviarium. E contra dices, ſi porrigatur liber alterius ſpeciei, ubi non ſunt Scripturæ Sacræ veteris, & novi Teſtamenti; quia tunc non eſſet materia idonea.

Quæro XXXIII. *Quodnam eſt Officium principalius Lectoris?*

39 ℞. Legere Lectiones, & Prophetias in Eccleſia Dei clara, alta, & diſtincta voce.

Quæro XXXIV. *Quare datur iſte Ordo legendi hujuſmodi Scripturas, ſi Clericus Tonſuratus poteſt hoc munus exercere?*

40 ℞. Quia ſic placuit Chriſto Inſtitutori Sacramentorum: voluit autem in hoc Sacramento *Lectoratus* communicare gratiam & internam Spiritus-Sancti unctionem ad legendam Sacram Scripturam cum ſenſu, & devoto mentis affectu, ita ut, qui ex Officio legit Divinum Verbum, cæteros ad pietatem, & devotionem excitare poſſit. Ut docet Homobonus, *in Examine, tr. 3. q. 73.*

De Exorciſtatu.

Quæro XXXV. *Quid eſt Exorciſtatus?*

41 ℞. Eſt Ordo Eccleſiaſticus; quo confertur poteſtas ſpiritualis imponendi manus ſuper Energumenos, ſeu vexatos à dæmone, & exorciſmos legendi ad dæmones fugandos ex officio. *Vel* Eſt Poteſtas, per quam ordinatus in Exorciſtam poteſt expellere diabolum, ne impediat aliquem Fidelem à ſumptione Euchariſtiæ.

Quæro XXXVI. *Quænam eſt materia hujus Ordinis?*

42 ℞. Materia remota eſt liber Exorciſmorum. Materia autem proxima eſt ejuſdem libri traditio, & acceptatio.

Quæro XXXVII. *Quænam eſt forma?*

43 ℞. Sunt verba illa ab Epiſcopo prolata: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſive baptizatos, ſive catechumenos.*

Quæro XXXVIII. *Quodnam eſt munus Exorciſtæ?*

44 ℞. Patet ex dictis; Officium enim ejus eſt, imponere manus ſuper vexatos à dæmoniis, & adjurare dæmonia, ut à corporibus diſcedant, &c.

Dices. Chriſtus dixit in Euangelio Marci, cap. 16. v. 17. omnibus, qui in ipſum credunt: *In nomine meo dæmonia ejicient*. Ergo omnes Fideles habent hanc poteſtatem. 45

℞. Virtute Fidei: *concedo*: Ex vi Ordinis, & ex Officio, *nego*.

Quæro XXXIX. *Quid eſt Exorciſmus?*

℞. Eſt formula Sacra verborum authentica, ab Eccleſia ſcilicet inſtituta, ad dæmones fugandos, & eorum opera diſſolvenda: ut habetur in Rituali Romano, *tit. de Exorcizandis obſeſſis à dæmonio*. 46

Quæro XL. *Exorciſta quid ſignificat?*

℞. *Exorciſta* eſt vox Græca, quæ Latinè ſonat, Adjurans, ſive increpans dæmonem. Ut habetur, *c. Cler. verſ. Exorciſta 21. diſt.* 47

Quæro XLI. *Exorciſta in qua virtute ejicit dæmonia?*

℞. Ex vi Ordinis. Cùm enim Exorciſtatus ſit Sacramentum ad hunc finem ſpecialiter inſtitutum, debet ex ſe, & ex vi Ordinis abſolutè, & infallibiliter ſecundum legem Dei ordinariam, dæmones ab obſeſſis corporibus expellere; dummodò adſint omnia requiſita. Ita P. Candidus Brognolus Bergomenſis Ord. Minorum ſtrict. Obſervantiæ, *in ſuo Manuale Exorciſtarum, part. 1. articulo 1. §. 3.* – Virtus enim hujus Ordinis Exorciſtatus eſt expulſio dæmonis ab obſeſſis, quæ per ſe pendet ex Inſtitutione Divina, & poteſtate tradita à Chriſto Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus, & ab Eccleſia communicata ſuis Eccleſiaſticis Miniſtris, nempe *Exorciſtis*. Qui Exorciſtæ, mediante Exorciſmo, in quo Nomen Sanctiſſimum Dei, vel SS. Trinitatis, vel Domini noſtri Jeſu Chriſti invocatur, & mediantibus præceptis in debita forma factis, poſſunt expellere dæmones, eorumque opera maligna, & maleficia deſtruere, ex vi Ordinis, & verborum Exorciſmi. 48

Quæro XLII. *Quænam eſt cauſa efficiens Exorciſmi?*

℞. Cauſa principalis eſt Deus, qui dæmonem tum ab hominibus obſeſſis, tum à maleficiatis, tum à rebus ad homines ſpectantibus, virtute ſua infinita expellit. Cauſa verò inſtrumentalis, ſeu miniſterialis eſt Exorciſta, qui in Nomine JESU dæmoni 49

moni præcipit, ut exeat à corpore quod poſſidet. Ejus enim officium eſt, dæmonem adjurare, & increpare, eique præcipere per nomen DOMINI JESU. Exorcizare namque eſt, per Divinam virtutem immundum ſpiritum adjurando expellere, ut dicit D. Auguſtinus, *libr.* 1. *De vita beata.*

Quæro XLIII. *Quænam eſt formula breviſſima Exorciſmi?*

50 ℞. Formula eſt multiplex juxta varietatem præceptorum. Præceptum eſt ordinatio, ſeu mandatum, quo efficaciter aſtringitur dæmon virtute Divina ad præſtandam obedientiam Exorciſtæ, ut Miniſtro Chriſti, & Eccleſiæ.

51 Omnia autem præcepta ad quinque genera reduci poſſunt. *Primi generis* præceptum eſt illud, quo Exorciſta in quacumque neceſſitate utitur, cùm dæmonem vult compellere ad aliquid agendum, vel ab aliqua actione ceſſandum, vel ad reſpondendum aliquibus interrogationibus: cujus formula eſt iſta, videlicet.

52 *Ego N. ut Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ in Nomine Jeſu Chriſti, pracipio tibi dæmon, ut facias hoc, vel illud,* &c. Vel, *ne impedias obſeſſum, quin liberè ad me accedat.* Vel, *ut iſte homo ſine ullo impedimento loquatur*: Et ſimilia ſecundùm exigentiam; &c. Et hæc vocatur *formula pracepti communis.*

53 *Secundi generis* præceptum, vocatur *probativum*, quo utitur Exorciſta ad probandum, an aliquis ſit imaginariè, aut fictè: an verè, & realiter vexatus à dæmone, quod ſequenti formula fit, videlicet.

54 *Ego N. ut Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ in Nomine Jeſu Chriſti, pracipio vobis, ſpiritus immundi, (ſi aliqui eſtis, vel aliquis eſt in corpore hujus Creaturæ Dei) ut ſtatim detis mihi aliquod ſignum evidens, ac certum præſentiæ veſtræ, cauſando in hac Creatura coram me aliquem ex illis doloribus, quos priùs, me abſente, efficere in ea ſoliti eratis.*

55 *Tertii generis* præceptum vocatur *lenitivum*, quod fieri debet, quando Energumenus actualiter vexatur, ad tollendas vexationes, & fit hac formula.

56 *Ego N. Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ in Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, & in virtute Domini Noſtri Jeſu Chriſti, pracipio vobis, dæmones, qui vexatis hanc Creaturam Dei, ut ſtatim deſinatis nocere ei: nec habeatis poteſtatem impediendi ſenſus ejus, ſive interiores, ſive exteriores, ita ut attentè, & quietè ſine ulla perturbatione meas poſſit audire, ac percipere inſtructiones.*

57 *Quarti generis* præceptum *Inſtructivum* appellatur, quo utitur Exorciſta ad oſtendendam dæmonis obedientiam, ut vexatus dæmonis vilitatem, ac debilitatem videns, excitetur ad firmiter credendum, ac confidendum, ſe poſſe liberari, &c. cujus formula eſt iſta, videlicet.

58 *Ego N. ut Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ in Nomine Jeſu Chriſti, pracipio tibi, dæmon, qui exiſtis in corpore hujus Creaturæ Dei, ut ſtatim coram me in terram proſternas hanc Creaturam, ſine ullo tamen nocumento ipſius.* Poſtea dicat: *Iterùm pracipio tibi, dæmon, in Nomine Jeſu, ut facias illam ſurgere.*

Vel. *In Nomine Jeſu pracipio tibi, dæmon, ut facias lugere hanc Creaturam me præſente, ſicut faciebas me abſente.* Poſtea dicat: *Iterùm pracipio tibi, ut ceſſes, nec facias eam ampliùs lugere.*

Vel. *Pracipio tibi dæmon, in Nomine Jeſu, ut venias ad guttur, & leviter, more ſolito, hanc Creaturam torqueas.* Poſtea dicat: *Iterùm pracipio tibi, ut recedas à gutture.*

59 Poteſt etiam Exorciſta ad majorem inſtructionem patientis præcipere dæmonibus, ut obediant ipſimet vexato. Et tunc vexatus benè inſtructus dæmoni aliquid præcipiat, credens firmiter in Virtute Nominis JESU, quòd ſibi dæmon pro certo obedit, dicendo propria loquela;

Nel Nome di Gierù Criſto ti commando, ò diavolo maledetto, che tu ti parti ſubito dal mio ſtomaco, ò dalla mia teſta, ò dalle mie gambe, ò da quella parte, nella quale hora mi tormenti. Interim pollice Crucis ✠ ſignum ſuper vexatam partem formando.

60 *Quinti generis* præceptum *Expulſivum* appellatur, & eſt, quod ordinatur ab Exorciſta ad expulſionem dæmonum, & formatur hoc modo:

Ego N. ut Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ, ea auctoritate, quam accepi à Chriſto Domino, & ab Eccleſia in ordine Exorciſtatus, in Nomine Sanctiſſ. Trinitatis, & in Virtute Sanctiſſ. Nominis JESU CHRISTI Domini Noſtri, pracipio vobis, dæmones, (ſi plures eſtis (*vel tibi* (ſi unus es) *ut illicò exeas cum omnibus tuis ſociis ab hac Creatura Dei: nec ampliùs habeas poteſtatem nocendi ei.*

Vide

Vide plura *in Manuale* P. Noſtri Candidi Brognoli, *part.* 3. *cap.* 4. *art.* 1. §. 3. *& ſeqq.* Nam in hac arte fuit verſatiſſimus Religioſus iſte.

61 Breviſſimè reſpondebis ad Quæſitum: *Quanam eſt forma Exorciſmi?* ſic: *Eſt præcipere dæmoniis in Nomine Jeſu Chriſti*; quia ipſi Apoſtolis, ac Diſcipuli Chriſti, ſic imperabant dæmonibus: *In Nomine Jeſu*; ut habetur Luc. 10. *Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in Nomine tuo*. Et Actuum Apoſt. 16. *Præcipio tibi in Nomine Jeſu Chriſti, exire ab ea*: dixit D. Paulus, quando ejecit ſpiritum pythonem a quadam puella. Et D. Petrus Apoſtolus ſimiliter, teſte Sancto Clemente, hac forma utebatur, dicendo: *Non curo, quomodo huc intraveris; ſed ut exeas, impero in Nomine Jeſu Chriſti*. Sic D. Joannes Euangeliſta dicebat: *Interdico tibi in Nomine Jeſu Chriſti Nazareni, ne ultra hìc habites*. Item, *In Nomine Jeſu Chriſti hinc exite, numquam redituri*. Sic omnes Sancti paucis verbis utebantur, ut omnes Eccleſiaſticæ ferunt Hiſtoriæ. Quæ formæ, ſeu formulæ eſſentialiter non differunt. Ratio eſt: quia intentio Chriſti eſt, ut præceptum dæmonibus fiat in Nomine ejus: ut habetur in Evangelio Marci, cap. ultimo: *In Nomine meo dæmonia ejicient*. Vide noſtrum Brognolus, *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. §. 7. *in Manuale Exorciſtarum*.

Quæro XLIV. *Exorciſta poſt Ordinationem ſuam poteſtne licitè exercere ſuum Officium exorcizandi?*

62 ℞. Nequaquam. Quia requiritur ulteriùs Juriſdictio, ſeu poteſtas Juriſdictionis. Ut docent Homobonus, Brognolus, aliique DD.

Quæro XLV. *Quo Jure requiritur hæc poteſtas Juriſdictionis?*

63 ℞. Non Jure communi, ſed particulari multarum Diœceſum; nam Epiſcopi prudenter (imò, & Superiores Regularium) interdicere conſueverunt, ne quis ſine eorum licentia, etiam in ſcriptis obtenta, audeat, obſeſſos à dæmone exorcizare.

64 *Dices*. Talis auctoritas Miniſtris Eccleſiæ à Chriſto Domino conceſſa eſt, nec Epiſcopus in Ordinatione illam coarctat, aut ſuſpendit; ergo Exorciſta licitè poterit exercere hoc munus ſibi proprium.

℞. Sufficit, quòd Epiſcopus per ſua Decreta Synodalia hoc exercitium ſuſpendat ob cauſam rationabilem, ad evitanda ſcandala; ergo ſtandum eſt Decreto Superioris.

Quæro XLVI. *In aliquo caſu eritne licitum exorcizare abſque licentia expreſſa Superioris?*

65 ℞. Maximè; in caſu nempè neceſſitatis; at ſine ſolemnitate; quando nimirùm quis taliter torqueretur à dæmone, ut non ſineret quietè vivere ejus domeſticos, aut timeretur periculum ſuffocationis, tunc enim, ſicut unuſquiſque Fidelium poteſt in *Nomine Jeſu* imperare dæmoniis præcepto lenitivo ſuprà expreſſo; ita à fortiori poterit Clericus Exorciſta. Quilibet enim Chriſtianus habet à Jure Divino poteſtatem generalem adjurandi imprecativè, compeſcendi, & etiam ejiciendi imperativè dæmonia per fidem *in Nomine Jeſu Chriſti*. Ut docet Navarrus, *Conſiliorum, libr.* 1. *conſil.* 6.

Quæro XLVII. *Quanam conditiones requiruntur in Exorciſta ad licitè fungendum Officio ſuo?*

66 ℞. Multæ; ſed præcipuè iſtæ requiruntur. I. Approbatio Superioris Eccleſiaſtici, quæ fieri ſolet prævio examine rigoroſo. II. Fides viva. III. Probitas morum. IV. Scientia competens. V. Prudentia magna. VI. Intentio recta. VII. uſus libri approbati Exorciſmorum. *Lege Rituale Romanum*. Brognolum *citatum*, & Liberculum P. Pinamonti *de modo exorcizandi*.

De Acolythatu.

Quæro XLVIII. *Quid eſt Acolythatus?*

67 ℞. Eſt Ordo Eccleſiaſticus, quo confertur poteſtas ſpiritualis accendendi lumina, cereumque accenſum portandi de Altare: ac porrigendi Subdiacono urceolos plenos vino, & aqua pro Sacrificio Miſſæ ex officio. -- *Vel* Eſt poteſtas, per quam ordinatus in Acolythum poteſt accendere lumina, eaque geſtare; & portare urceolos ad Altare.

Quæro XLIX. *Quanam eſt materia hujus Ordinis?*

68 ℞. Materia remota ſunt candelabrum cum cereo extincto, & urceoli vacui. Proxima verò materia eſt horum inſtrumentorum traditio, & acceptatio.

Quæro L. *Quanam eſt forma?*

69 ℞. Sunt illa verba prolata ab Epiſcopo, nem-

nempe: *Accipe ceroferarium cum cereo: ut ſcias, te ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipatum, &c.* Et alia *Accipe urceolos ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam, &c.*

Quæro LI. *Quodnam eſt munus, ſeu Officium Acolythi?*

70 ℞. Patet ex dictis, eſt enim ponere candelabra ſuper Altare, candelas accendere, geſtare candelabrum accenſum, ampullas præparare, & Subdiacono porrigere.

Quæro LII. *Quare traditur cereus extinctus Ordinando, & pariter traduntur vaſa vacua?*

71 ℞. Quia Officium Acolythi eſt, accendere poſtea cereos, aut candelas: ac implere urceolos pro Sacrificio Miſſæ.

Quæro LIII. *Quænam ex his materiis eſt magis nobilis, & eſſentialis?*

72 ℞. Utraque eſt eſſentialis, & nobilis; quamvis urceoli videantur materia nobilior, & principalior; quia vinum, & aqua magis ſunt neceſſaria ad Miſſam.

Dices. In Ordine iſto dantur duæ materiæ, & formæ; ergo erunt duo Ordines.

73 ℞. Sunt duæ partiales conſtituentes unam totalem.

Quæro LIV. *Quando imprimitur character hujus Ordinis?*

74 ℞. In traditione urceolorum; nàm D. Bonaventura *in 4. ſent. diſt. 24. part. 2. q. 2.* docet: Hoc pro regula generali habendum eſt, quòd per illud ſignum exterius imprimitur character in quolibet Ordine, per quod principalis poteſtas, quam reſpicit talis Ordo, ſignatur tradi Ordinato.

Quæro LV. *Quænam eſt differentia inter Acolythos, & Ceroferarios?*

℞. In re, & officio non differunt; nam 75 Acolythus eſt vox græca, quæ latinè ſignificat Cereum ferentem.

Quæro LVI. *Ordo Acolythatus eſtne nobilior Exorciſtatu?*

℞. Utique. Quia Conc. Tridentinum, 76 *ſeſſ. 23. cap. 2.* numerando omnes Ordines gradatim ponit hunc in gradu ſuperiori: ut patet legenti. Tum quia majoris eſt dignitatis accendere lumina, & parare materiam pro Sacrificio Miſſæ, quàm dæmones expellere, &c. Ut dicit Homobonus, *in examine part 1. tract. 3. q. 73. §. Acolythi officium*. Et D. Bonaventura de Inform. Novitiorum cap. 11. dicit: Miniſtrare Sacro eſſe Angelorum opus.

Quæro LVII. *Poſſuntne licitè conferri eodem die quatuor Ordines Minores ſimul cum Subdiaconatu?*

℞. Diana Coordinatus, *tom. 2. tr. 5.* 77 *reſ. 97.* dicit, quòd ſic; niſi conſuetudo, quæ vim legis habet, hoc prohibeat. Et ratio affirmationis eſt: quia non eſt minuenda poteſtas Epiſcopi ſine textu claro, & rotundo in oppoſitum; atqui nullo textu Canonico prohibetur hoc; ergo, &c.

Vide plura de Ordine in genere tract. 48.

TRACTATUS LI.

DE MAJORIBUS ORDINIBUS Examen.

QUæro Primò. *Quot ſunt Ordines Majores.*

1 ℞. Sunt tres, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus: & ad hunc reducitur Epiſcopatus. Dicuntur *Majores*, quia ampliorem habent dignitatem. Dicuntur etiam *Sacri*, quia Ordinatus his dignitatibus ſolemniter Deo, & Eccleſiæ conſecratur, & Sacra tangit, & ampliùs nequit redire ad ſtatum laicalem, &c. *Vide quæ diximus in tract. 48. de ordine in genere.*

De

De Subdiaconatu.

Quæro II. *Quid eſt Subdiaconatu?*

2 ℞. Eſt Ordo ſacer Eccleſiaſticus, quo confertur ſpiritualis poteſtas aſſiſtendi Sacerdoti in Miſſæ Sacrificio, & ſubminiſtrandi Diacono neceſſaria ad Euchariſtiam, atque canendi, vel legendi ſolemniter Epiſtolam ex Officio. *Vel* eſt Poteſtas, per quam ordinatus in Subdiaconum poteſt portare Calicem ad Altare, miniſtrare Diacono, & legere Epiſtolam in Sacrificio Miſſæ.

Quæro III. *Quare dicitur Subdiaconus?*

3 ℞. Quia in Altari eſt ſubminiſter Diacono miniſtranti inſerviens. Unde *Subdiaconi* dicuntur, quia Levitarum, ſeu Diaconorum Officiis ſubjacent in Eccleſia Dei.

Quæro IV. *Quænam eſt materia Subdiaconatus Ordinis?*

4 ℞. Materia remota eſt Calix vacuus, & patena vacua, ideſt, Calix ſine vino, & patena ſine hoſtia: item liber Epiſtolarum. Materia verò proxima eſt harum rerum traditio, & acceptatio.

Quæro V. *Quænam eſt forma hujus Ordinis?*

5 ℞. Sunt verba prolata ab Epiſcopo Ordinante, qui dicit, tradendo Calicem cum patena: *Videte, cujus Miniſterium vobis traditur; ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, quòd Deo placere poſſitis.*

6 Priora verba, nempe *Videte, cujus miniſterium vobis traditur*: habent rationem propriam formæ; poſteriora verò: *Ideò vos admoneo, &c.* habent ſolùm rationem monitionis. Ut dicit Felix Poteſtatis, *in Examine Ordinandorum, n.*129. At Homobonus de Bonis, *in Examine Eccleſiaſtico, tr.* 4. *q.*20. dicit, quòd cùm traditur Calix vacuus cum patena, nulla profertur verborum forma ab Epiſcopo; quia hoc ritu, & cæremonia datur ſolùm ei ordinando poteſtas tangendi Sacra vaſa ad Altaris Miniſterium, & idcircò ſatis eſt, ut Epiſcopus inſtrumenta tangenda porrigat.

7 Cùm verò facultas legendi Epiſtolas traditur, Epiſtolarum liber ei porrigitur, cum expreſſa verborum forma, ſic: *Accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia Sancta Dei, &c.* Ita etiam Fornarius, *de Ordine, cap.* 2. *num.* 7.

8 Mihi autem magis placet opinio Felicis Poteſtatis, *loc. c.* qui tenet, hic duplicem eſſe materiam, duplicemque formam partialem. Prima forma correſpondens primæ materiæ ſunt verba illa: *Videte cujus Miniſterium vobis traditur*. Secunda correſpondens ſecundæ materiæ ſunt verba ſubſequentia: *Accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem, &c.* Ita etiam ſentit Maſtrius, *in Moral. diſput.* 19. *n.* 10.

Quæro VI. *Quodnam eſt officium Subdiaconi?*

9 ℞. Præcipuum Subdiaconi officium eſt, Sacra vaſa, Calicem, videlicet, & patenam ad uſum Sacrificii præparare, & ad Altare deferre; aliud verò officium minùs præcipuum eſt, Epiſtolam in Miſſa ſolemniter cantare: Deinde Diacono miniſtrare in his, quæ explicantur in Miſſali Romano. Corporalia, & purificatoria abluere, aliaque ſimilia præſtare. Item abſente, vel impedito Diacono, catechumenos inſtruere, &c. Ita Homobonus, *cit. q.*19. Maſtrius cit. & alii DD.

Quæro VII. *Si traderetur Calix non conſecratus, eſſetne valida Ordinatio?*

10 ℞. Quòd ſic. Ratio eſt: quia nullo jure præcipitur hoc punctum, quòd Calix, & patena debeant eſſe conſecrata ad hunc Ordinem conferendum. Ita Felix Panormitanus, *tom.* 3. *n.*133. Homobonus *cit. q.* 19. cum aliis DD. Alii tamen DD. cum Fornario *de Ord. c.*2. *n.*7. tenent oppoſitum, quod eſt tutius.

Quæro VIII. *Si traderetur calix ſine patena, vel patena ſine calice, eſſetne valida Ordinatio?*

11 ℞. Non; quia materia non eſſet completa, & perfecta.

Quæro IX. *Quare traditur hic pro materia Calix vacuus, & patena ſine hoſtia?*

12 ℞. Quia Calix cum vino, & patena cum hoſtia ſunt materia alterius ordinis, nempe Presbyteratus. Tum quia proprium officium Subdiaconi eſt, præparare in vaſis Sacris materiam Euchariſtiæ, eamque Diacono porrigere.

Quæro X. *Si liber Epiſtolarum non traderetur, eſſetne valida ordinatio?*

13 ℞. Quod ſic; quia hæc materia non eſt eſſentialiter requiſita ad valorem hujus Ordinis. Ut docent Vaſquez, Coninchius, & alii DD. cum Caſtropalao,

tract.

Digitized by Google

tract. 27. *diſp. un. punct.* 8. *n.* 13. & 14. quia iſti DD. tenent, Librum Epiſtolarum, ejuſque traditionem non eſſe materiam hujus Ordinis. Ego autem adhæreo opinioni oppoſitum ſentienti; nam, ut vidimus, traditio libri Epiſtolarum eſt partialis materia cum ſua forma; ergo neceſſariò requiritur. Sic tenet etiam Filliucius, *de Sacram. Ord. tr.* 9. *n.* 45.

Quæro XI. *Eſtne neceſſarium, ut materia tradatur immediatè ab Epiſcopo Ordinante?*

14 ℞. Quòd ſic; ut habetur *cap. Subdiaconus, diſt.* 23. Ubi dicitur de Subdiaconatu expreſsè, ut materia tangatur ab Epiſcopo Ordinante; & à fortiori infertur de aliis Majoribus Ordinibus. Ratio eſt: quia idem debet eſſe qui profert verba, & materiam tradit in Sacramento conferendo; alioquin non verificaretur forma. V. Filliucium, *cit. n.* 33.

Quæro XII. *Si, per errorem, traderetur Ordinando in Subdiaconum Calix cum vino, & patena cum Hoſtia, eſſetne valida Ordinatio?*

15 Affirmativè; quia iſte eſſet error accidentalis non varians ſubſtantiam materiæ hujus Ordinis, quæ, ut vidimus, eſt Calix cum patena. Tum quia, *Utile per inutile non vitiatur*; Ita Cardin. de Lugo, *tom. Reſp. Moral. l.* 1. *c.* 30.

Quæro XIII. *Quænam eſt veſtis propria, & diſtinctiva Subdiaconi?*

16 ℞. Eſt Manipulus in brachio ſiniſtro, qui ſignificat fletum, & dolorem habendum pro peccatis, & Paſſione Domini Jeſu, qui vinculis, & funibus aſtrictus fuit pro nobis.

Quæro XIV. *Si Subdiaconus ſolemniter miniſtraret ſine Manipulo, peccaretne?*

17 ℞. Si hoc faceret cum advertentia, utique peccaret contra præceptum, & praxim Eccleſiæ. Si autem hoc faceret ex oblivione, vel ex neceſſitate: quia nimirùm deficit Manipulus: tunc non peccaret; nam inadvertentia, aut neceſſitas excuſat à culpa.

Quæro XV. *Si Subdiaconus ſolemniter miniſtraret in ſtatu peccati mortalis, peccaretne mortaliter?*

18 ℞. I. Doctores antiquiores dicunt, quòd ſic; quia Gregorius Nonus *cap. ultim. de temporibus Ordinandorum*, loquens de Diaconis, & Subdiaconis, ait: *Si non pœnituerint, monendi ſunt, & ſub interminatione Divini Judicii obteſtandi, ut in teſtimonium ſuæ damnationis, in ſuſceptis etiam Ordinibus non miniſtrent.* -- Sed hæc verba Pontificis videntur continere graviſſimam prohibitionem, ne Diaconi, & Subdiaconi in mortali miniſtrent; ergo, &c.

℞. II. Recentiores autem DD. tenent, 19
quòd non; quia Diaconi, & Subdiaconi in eorum Officiis neque immediatè concurrunt àd conficiendum Sacramentum Euchariſtiæ, neque conficiunt aliquod Sacramentum, neque modò diſpenſant Euchariſtiam, neque ſunt cauſa miniſterialis Sanctificationis; ergo eorum actus non ſunt tam Sancti, ut neceſſariò prærequirant ſtatum Gratiæ; & conſequenter non peccabunt mortaliter aſſiſtendo, & miniſtrando. P. Marchant *tom.* 3. *Tribun. fol. mihi* 143.

℞. III. Ad auctoritatem allegatam reſ- 20
pondent moderni DD. Pontificem loqui de Diaconis; & Subdiaconis malis, & ſcandaloſis notoriè; non verò de occultè peccatoribus, qui nullum dant ſcandalum in miniſtrando. Vide quæſo, ſi habes ad manus, Homobonum, *de Exam. part.* 1. *tr.* 4. *q.* 16. Summam Dianæ, *V. Ordinis effectus, & Miniſterium, n.* 53. -- Ipſum Diana Coordinatum, *tom.* 2. *tr.* 5. *reſ.* 118 ubi pro parte mitiori, & favorabiliori citat Villalobos, Fernandez, Vaſquez, Valentiam, Sotum, Coninchium, & Suarez.

℞. IV. Concedunt tamen omnes, Dia- 21
conum, & Subdiaconum in mortali miniſtrantes, peccare venialiter ob aliquam irreverentiam, &c. Vide etiam Felicem Panormitanum, *tom.* 3. *n.* 147. -- Lege dicta *tr.* 48. de Ordine in genere. -- & *tr.* 41. De Sacramentis in genere.

Quæro XVI. *Quare Subdiaconus, & Diaconus non induunt Planetam, ſed Dalmaticam?*

℞. Ad differentiam Sacerdotis; Unum 22
enim ex paramentis Sacerdotalibus eſt Caſula, ſeu Planeta. *Dalmatica* autem eſt veſtis Miniſtrorum Sacerdotis: quæ hoc nomine appellatur, quia in *Dalmatia* regione primò fuit in uſu, ut dicit D. Thom. 4. *ſent. diſt.* 25. *quæſt.* 3. *art.* 3. -- Dalmatica porrò ſignificat Crucem Chriſti; nam in figura Crucis efformata eſt: vide Bonacinam, *de Sacram. Ord., q. un. punct.* 5. *n.* 48.

Quæro XVII. *Quænam conditiones requiruntur in Clerico ordinando in Subdiaconum?*

℞. Pu-

23 ℞. Plures; ſed præcipuæ ſunt iſtæ: videlicèt. I. Ut ſit in minoribus jam conſtitutus. II. Ut habeat legitimam ætatem, quæ eſt viginti duorum annorum incœptorum. III. Ut ſit examinatus, & approbatus ab Epiſcopo proprio. IV. Ut habeat ſcientiam competentem. V. Ut habeat verum Titulum Beneficii, vel Patrimonii, vel Paupertatis Religioſæ. VI. Ut ſperet, Deo dante, ſe continere poſſe, ſeu Caſtitatem ſervare ob Votum annexum huic Ordini Sacro. VII. Ut ſciat recitare Horas Canonicas, ſeu Divinum Officium diurnum, & nocturnum, ad quod tenetur ex vi ſui Ordinis. -- *Vide alias conditiones communes omnibus Ordinibus, in tract. 48. de Ordine in genere, à n. 50. & ſeqq.*

24 *Quoniam verò Examen Subdiaconandi* ſolet fieri majori cum rigore, quàm Ordinandi quovis alio Ordine, (nam Homobonus de Boni egregius Examinator, & Pœnitentiarius in Metropolitana Eccleſia Bononienſi, *parte prima Exam. Eccleſiaſt. Tractat. 4. cap. 1. præ ſuppoſito 2.* dicit: *Advertant Examinatores, ut in hoc Examine Subdiaconatus occultiſſimi ſint, & ſe difficiles præſtent in illis approbandis, qui ad hunc Ordinem Sacrum ſunt aſſumendi: cùm hoc Ordine ſuſcepto, non ſit ampliùs pœnitentia locus, nec regredi liceat, &c.*) ſequitur manifeſtè, ut Ordinandi in Subdiaconos debeant exactiùs ſe præparare addiſcendo multa Quæſita, & præſertim *de Sacramentis in genere: de Ordine in genere: De Voto Caſtitatis: De Horis Canonicis: De Cenſuris: De Patrimonio: De Beneficio Eccleſiaſtico, &c.* quas materias partim jam vidimus partim videbimus in ſeqq.

25 *De Voto* ſatis egimus in prima parte hujus Lucis Moralis Tractat. 16. De Horis Canonicis agemus, Tract. 54. -- De Cenſuris, &c. Tractat. 57. & 58. De Patrimonio vide dicta, Tr. 48. à num. 55. & ſeqq. De Beneficio Eccleſiaſtico vide Tr. 55 -- Nihilominus nonnulla breviſſimè tangam, & repetam hìc in gratiam Subdiaconi, ut poſſit tranſcribere faciliùs, quæ ſibi placebunt.

Quæro XVIII. *Quid eſt Votum.*

26 ℞. Eſt deliberata promiſſio facta Deo de meliori bono.

Quæro XIX. *Quotuplex eſt Votum?*

27 ℞. Duplex; nempè Votum ſimplex, & Votum ſolemne.

Quæro XX. *Quale eſt Votum Caſtitatis Subdiaconi?*

28 ℞. Eſt Votum ſolemne, & publicum in faciem Eccleſiæ factum.

Quæro XXI. *Ordinandus in Subdiaconum nulla verba profert, quibus ſe obliget ad hoc Votum; quare ergo dicitur Votum?*

29 ℞. Eſt Votum annexum tali Sacro Ordini ex præcepto, & praxi Eccleſiæ Romanæ; unde dicitur, *Votum implicitum*. Ita habetur ex Sacris Canonibus, *diſt. 28. cap. 1. & 2. cap. Quoniam: cap. Cùm olim, de Cler. Conjug* apud P. Marchantium, *tom. 3. Tribunal. fol. mihi 136. & 137.*

Quæro XXII. *Si ordinandus expreſsè Caſtitatem ſervare non intenderet, teneretur ne ad hoc Votum ſervandum?*

30 ℞. Utique: ex præcepto ſcilicet S. Matris Eccleſiæ; quia Eccleſia præcipit, ut Subdiaconi abſtineant à venereis, ſeu à contrahendo Matrimonio; nam huic Ordini Sacro eſt annexum impedimentum dirimens Matrimonium; hoc eſt, ſi Subdiaconus attentaret contrahere Matrimonium, invalidè omninò contraheret; & tale Matrimonium eſſet nullum, *lege Conc. Tridentinum, ſeſſione vigeſima quarta, Canone nono*. Et habetur etiam, *diſt. 28. cap. 1. & 2.*

Quæro XXIII. *Obligatio Subdiaconi ſervandæ Caſtitatis eſtne ex vi Voti, an ex vi dumtaxat Præcepti Eccleſiæ?*

31 ℞. Ex Utroque capite; ſed immediatiùs procedit ex vi Voti annexi inſeparabiliter tali Sacro Ordini; impedimentum autem dirimens Matrimonium eſt ex vi Præcepti Eccleſiæ. Lege Thom. Tambur. *lib. 7. de Ordine, cap. 3. de Subdiaconatu, §. 3.* Et Anacletum noſtrum, *tr. 14. diſt. 12. n. 28.*

Quæro XXIV. *Qui ſcienter nollet vovere Caſtitatem, ſeu non intenderet, ſe obligare ad Caſtitatis Votum, obligareturne adhuc ad Caſtitatem ſervandam?*

32 ℞. Si vult ſuſcipere hunc Ordinem Sacrum, tenetur etiam ad onus illi annexum; ergo tenetur omninò ad Caſtitatem, &c. nam qui ſentit commodum, debet ſentire & incommodum; & qui vult principale, debet velle & acceſſorium.

33 Ille autem malitioſus Clericus, qui ſic excludit intentionem vovendi Caſtitatem, non ſolùm peccat pro tunc, quando ordinatur, ſed etiam pro tempore ſequenti, quouſque, aut explicitè, aut implicitè voveat.

voveat Caſtitatem ſervare, quia ad eam vovendam, aut promittendam tenetur, tamquam ad aliquid neceſſariò annexum ſtatui, quem ſuſcepit. Et ſanè prædictus Clericus nolens vovere, nimis temerè decipit Eccleſiam in re graviſſima, & ipſa Eccleſia eum cogit ad ſaltem extrinſecè ſervandam ipſam Caſtitatem, & prohibet omninò ei Matrimonium.

Quæro XXV. *Si quis Clericus prorsùs inculpatè neſciret aliquid de hoc Voto, teneretur ne ad illud?*

34 ℞. Quamvis ſine peccato non emiſiſſet Votum, ad hoc tamen adhuc teneretur, ut patet ex modò dictis, imò & à fortiori, & conſequenter irritum eſſet Matrimonium, ſi hoc contraheret; quia jam habet Ordinem, cui annexa eſt ab Eccleſia irritatio Matrimonii.

35 Votum autem, quod tunc per ignorantiam non emiſit, deberet deinde emitere, cùm primùm eam ignorantiam deponeret, ſi vellet uti Ordine Sacro ſuſcepto, & aſcendere ad alios Ordines.

36 Quòd ſi nollet uti Ordine ſuſcepto, nec aſcendere ad alios, poſſet petere diſpenſationem à Papa, quam tamen Pontifex difficulter concederet, quia difficilimè poterit quis hodie in tanta rerum peritia, & multitudine Clericorum, inculpatam ſuam ignorantiam probare.

Quæro XXVI. *Si quis Clericus non haberet intentionem ſuſcipiendi Ordinem Subdiaconatus, ſed tantùm fingeret velle Ordinari, teneretur ne ad Votum Caſtitatis?*

37 ℞. In foro conſcientiæ nequaquam teneretur; quia cùm Ordo fuerit invalidè ſuſceptus, nullam gigneret obligationem. At in foro fori, ſeu externo, cogeretur ad Caſtitatem ſervandam, quia Eccleſia non judicat de internis, neque admitteret ejus excuſationem ex defectu intentionis debitæ, quinimò puniret ejus Sacrilegium, & temeritatem.

38 Quòd ſi talis Clericus ad pœnitentiam rediret, deberet confiteri apud Epiſcopum proprium crimen deceptionis, & petere novam Ordinationem.

Quæro XXVII. *Si quis Clericus injuſto metu, vel vi coactus ſuſciperet Subdiaconatum, teneretur ne Voto Caſtitatis.*

39 ℞. Affirmativè; quia metus ex ſe non tollit omninò voluntarium, ergo validum reciperet Ordinem, & teneretur ad Caſtitatem, &c.

Tum quia, licèt vota etiam ſolemnia injuſto timore extorta, irrita ſint ex lege ſaltem Eccleſiaſtica; Eccleſia tamen numquam invalidavit receptionem Sacramenti factam ex timore; idcircò Clericus ita ordinatus contrahit impedimentum dirimens Matrimonium. Diſpenſari tamen poterit à Summo Pontifice; quia talis metus, ſi poſſit probari, dat juſtam cauſam diſpenſandi. Ut docet Tamburinus, *citat. libr. 7. de Ordine, cap. 3. §. 3. numer. 13.*

Dices. Qui ex metu gravi, & injuſtè incuſſo ſolemniter profitetur in aliqua Religione, poteſt, probato metu, validè inire Matrimonium; cur ergo non ita Clericus prædictus ex metu ordinatus? 40

℞. Quia hìc, ut diximus, valet Ordo Sacer ſuſceptus, validèque talis Clericus fit Subdiaconus; quia metus non tollit omninò, aut ſimpliciter voluntatem Ordinationis; unde & contrahit id oneris, & impedimenti, quod Ordini eſt adnexum. At ille, qui ex metu profitetur nullam obligationem adnexam Profeſſioni (invalidè factæ) ſubire poteſt.

Replicabis. Clericus ex metu injuſtè incuſſo, & gravi non tenetur ad Votum Caſtitatis; ergo erit liber ab omni obligatione Ordinis Sacri. 41

℞. Tenetur priùs probare talem metum, & ab Eccleſia liberari poterit ab hoc onere; quia, ſtante validitate Ordinis, ipſe coram Eccleſia cenſetur obligatus, ſicut & cæteri ſuſcipientes Sacrum Ordinem. Licèt ergo Votum ſit invalidum, Ordo tamen eſt validus; & conſequenter ſine diſpenſatione non poterit contrahere Matrimonium, ac liberari à præcepto, & aliis obligationibus deſcendentibus à validitate Ordinis.

Quæro XXVIII. *Coactè Ordinatus in Sacris eſtne validè ordinatus?*

℞. Si nullo modo conſenſerit in ſuſceptionem Ordinis, utique non erit validè Ordinatus; quia deficit omnis voluntas, ac intentio. Si autem per vim conſenſerit, dico, quòd eſt validè ordinatus; ut patet ex dictis, *Tract. 41. num. 125. & 126.* 42

Quæro XXIX. *Poteſtne Clericus in Minoribus ſolùm conſtitutus exercere Officium Subdiaconi?*

℞. Minimè; quia Ordinum officia nequeunt eſſe communia cæteris non habentibus tales Ordines; alioquin Ordines confunderentur. 43

Dices.

Digitized by Google

Dices. Video hoc practicari quibuſdam in Eccleſiis; ergo erit licitum.

44 ℟. Hoc facient Clerici ſine Manipulo, & conſequenter ſine ſolemnitate, aut ex Privilegio; aliàs peccarent, & fierent Irregulares.

Quæro XXX. *Quid, ſi cum Manipulo?*

45 ℟. Si non intenderet talis Clericus ex Officio exercere talem actum proprium Subdiaconi, non fieret irregularis; quia tunc actus cenſetur incompletus. Sicut è contra canens Epiſtolam ſine manipulo, ſi eam ex vi proprii muneris cantare mente conaretur, aut moliretur, ab irregularitate immunis eſſet; quia ad hanc cenſuram contrahendam non ſufficit internus actus, nec actus incompletus ex Officio miniſtrandi in Ordine non ſuſcepto, ſed requiritur exterior quoque ſolemnitas, & actus completus ex temeritate, & præſumptione factus. Ita Homobonus cum aliis DD.

Quæro XXXI. *Si Subdiaconus in caſu neceſſitatis ſolemniter baptizaret, quid incurreret.*

46 ℟. Mortaliter peccaret, & incurreret irregularitatem; Hoc enim Sacramentum tali modo ſolemni, (nempe cum ſolito Sacerdotali apparatu, & forma ſolemni) adminiſtrare, ad Sacerdotes ſpectat. Ita Suarez, Sayrus, & alii DD. Et colligitur *ex cap.* 1. *&* 2. *extra, de Cler. non ordinat. miniſtrantibus*.

Quæro XXXII. *Poteſtne Subdiaconus aliquod Sacramentum ex officio, vel ex comiſſione Epiſcopi, aut Parochi miniſtrare?*

47 ℟. Nullum omninò, præter Baptiſmum in neceſſitate, ac ſine ſolemnitate miniſtrare valet; quia ex vi ſui Ordinis præcisè nulla ad hoc confertur poteſtas. Unde ſi hoc faceret, V. G. miniſtrando Extremam Unctionem, &c. ultra peccatum mortale, incurreret irregularitatem; & Sacramentum Extremæ Unctionis eſſet invalidum. Ita DD. communiter.

Quæro XXXIII. *Si Subdiaconatu tantùm inſignitus caneret ſolemniter Euangelium more Diaconorum, quid incurreret?*

48 ℟. Ultra peccatum mortale, fieret Irregularis, ſi hoc faceret ſcienter, & temerè. ut cum aliis DD. docent Homobonus, *in Examin. parte prima tractat.* 4. *quæſt.* 21.

De Diaconatu.

Quæro XXXIV. *Quid eſt Diaconatus?*

℟. Eſt Ordo Sacer, quo confertur poteſtas proximè aſſiſtendi, & immediatè inſerviendi Sacerdoti in Miniſterio Altaris, porrigendi patenam cum hoſtia, & calicem cum vino pro Miſſæ Sacrificio, legendi ſolemniter Euangelium, & prædicandi populò Verborum Dei. 49

Vel eſt poteſtas, per quam ordinatus in Diaconum poteſt proximè aſſiſtere Sacerdoti in Miſſa ſolemni, & Euangelium cantare, ac prædicare?

Quæro XXXV. *Quare dicitur* Diaconus? *Vel quid ſignificat hoc nomen?*

℟. Hoc nomen græcum eſt, quòd latinè idem eſt, ac *Miniſter*; quia Diaconus eſt præcipuus Miniſter Sacerdotis in Altaris Miniſterio. 50

Levita etiam hebraico vocabulo appellatur, eò quòd à Tribu *Levi* Levitæ exorti ſunt, à quibus in lege veteri Miniſteria in Templo Dei explebantur, ac ad Sacerdotum auxilium aſſumebantur.

Levita ſignificat *Aſſumptum*; quia Diaconus aſſumitur ad Miniſterium Altaris propinquiùs Sacerdotio.

Quæro XXXVI. *Quænam eſt materia Ordinis Diaconatus?*

℟. Duplex eſt Materia: Una eſt impoſitio manus dexteræ Epiſcopi cum hac verborum forma: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus in Nomine Domini.* -- Altera materia eſt traditio libri Evangeliorum, cum hac forma. *Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei, tam pro vivis, quàm pro Defunctis, in Nomine Domini.* 51

Quæro XXXVII. *Utraque materia eſtne eſſentialis, ſeu de valore hujus Ordinis?*

℟. Affirmativè; quia utraque inſinuatur à Sacris Conciliis; nam impoſitio manus habetur *ex Conc. Carthaginenſi* 4. *cap.* 4. Traditio verò Euangeliorum habetur *in Concilio Florentino, Decret. ad Armenos*; ergo utraque judicanda eſt eſſentialis. 52

Impoſitio tamen manus Epiſcopi eſt antiquior, & principalior materia; nam iſte modus ordinandi in Diaconos legitur *in Actibus Apoſt. cap.* 7. Altera verò eſt magis declarativa poteſtatis Diaconalis, ut patet. 53

Ambæ

54 Ambæ ſunt materiæ partiales conſtituentes unam totalem materiam hujus Sacri Ordinis. Et quod dixi de materiis, dicendum eſt de formis prædictis.

Quæro XXXVIII. *Si loco libri Euangeliorum traderetur liber Bibliorum eſſetne valida Ordinatio?*

55 ℞. Quòd ſic: quia in Bibliis continentur omnia Euangelia. Si autem exhiberetur alius liber, in quo nullum extat Euangelium, non eſſet valida Ordinatio ex defectu materiæ idoneæ.

Objicies. In primitiva Eccleſia non tradebatur liber Euangeliorum, quia nondum erant ſcripta Euangelia; ergo liber iſte non erit materia eſſentialis.

56 ℞. Nego conſequentiam; & ratio ſufficiens eſſet authoritas Concilii Forentini citati; nihilominus addo, quòd Chriſtus Dominus determinavit materias, & formas Sacramentorum non omnes in ſpecie, ſed aliquas: ut patet de materia, & forma Baptiſmi, Euchariſtiæ, &c. alias verò inſtituit velut in genere, relinquendo Eccleſiæ poteſtatem determinandi eas in ſpecie. Cùm ergo Concilium, (quod idem eſt, ac Eccleſia Univerſalis congregata) determinaverit hanc materiam partialem Diaconatus in traditione Euangeliorum, dicendum erit, hanc eſſe eſſentialem.

Quæro XXXIX. *In Ordinatione Diaconi imprimiturne duplex character?*

57 ℞. Nequaquam; ſed unus tantùm ob rationem allatam; quia licèt ſint duæ materiæ, & duæ formæ, ſunt tamen partiales conſtituentes unam totalem, tum quia unus eſt Ordo Diaconatus, ergo unus character.

Quæro LX. *Sed quando imprimitur iſte character in hoc Ordine?*

58 ℞. In prolatione ultimæ formæ; quia tunc completur Sacramentum.

At quomodo ſalvabitur efficacia prioris formæ, ſeu actionis Sacramentalis, quæ fit per impoſitionem manus Epiſcopi?

59 ℞. Optimè ſalvatur, dicendo, quòd licèt prior actio ſit efficax, & Sacramentalis, non tamen operatur ſuum effectum, niſi completa ſubſequenti actione traditionis libri Euangeliorum. Quia quotieſcumque plures actiones ſubordinatæ requiruntur ad unum Sacramentum, ſola ultima complet, & perficit totam actionem.

Quæro XLI. *Qualia ſunt officia Diaconi?*

60 ℞. Sunt iſta. I. Præbere Hoſtiam in patena, & vinum in Calice Sacerdoti celebranti. Et hoc munus eſt principalius; quia magis approximatur Sacrificio, & Sacramento Miſſæ. II. Euangelium cantare ſolemniter inter Miſſarum ſolemnia. III. De licentia Epiſcopi prædicare populo Verbum Dei. IV. de licentia Parochi baptizare ſolemniter. V. In neceſſitate, & ex commiſſione Parochi miniſtrare, vel diſpenſare Euchariſtiam. VI. Deferre pixidem, in qua ſunt particulæ conſecratæ de uno in aliud Altare, & tangere vas, in quo eſt SS. Sacramentum, ſeu aptare Oſtenſorium in Expoſitione Venerabiliſſimi Sacramenti, illud è Tabernaculo educere, & Sacerdoti porrigere, &c. VII. In defectu Subdiaconi, lavare purificatoria, & corporalia, calices, patenas, &c. quarum rerum prima lotio in Sacrarium mittenda eſt: qua habita licitè poſſunt Laicæ perſonæ proſequi lotionem. V. Felicem Panormit. *tom.* 3. *n.* 161.

Quid, ſi prima lotio harum Sacrarum rerum fieret à Laicis?

℞. Peccarent ſaltem venialiter ex irreverentia. Et ſi adſit contemptus, erit mortale peccatum. Ita ex communi Tonellius *in Enchiridio Sacro, libr.* 1. *cap.* 3. §. 5. 61

Quæro XLII. *Quare Diaconus tenet brachium Sacerdotis ſolemniter celebrantis, & dicit cum eo verba oblationis Calicis?*

℞. Quia Diaconus nomine populi circumſtantis offert cum Sacerdote materiam, quæ converti debet in ſanguinem Chriſti. — Si vis plura ſimilia videre lege Tonellium citatum, & Gavantum *in Rubricas Miſſalis*, & Bauldrium *in Manuale Sacrarum Cæremoniarum*. 62

Quæro XLIII. *Quænam eſt Veſtis propria, & diſtinctiva Diaconi?*

℞. Eſt Stola tranſverſim geſtata: quæ ſignificat vitam activam Diaconi, quam debet gerere erga proximum in ſuo miniſterio, & officio in operibus miſericordiæ ſpiritualis, & corporalis. 63

Quæro XLIV. *Quænam ſunt conditiones requiſitæ in eo, qui vult recipere hunc Sacrum Diaconatus Ordinem?*

℞. Multæ; ſed præcipuæ ſunt. I. Ut ſit jam inſignitus Minoribus Ordinibus, & Sacro Subdiaconatu. II. Ut habeat legitimam ætatem, nempe viginti trium annorum incœptorum. III. Ut ſervetur interſtitia unius anni Eccleſiaſtici à Suſce- 64

ptione Subdiaconatus ad hunc Ordinem Diaconalem. IV. Ut habeat litteraturam competentem. V. Ut non ſit ligatus aliqua Cenſura, ut Irregularitate. VI. Ut ſit bonis moribus imbutus, & in ſtatu gratiæ. VII. Ut ſit examinatus, & approbatus à proprio Epiſcopo.

Quæro XLV. *Si quis aliqua Cenſura foret ligatus, & impeditus, & ſic ad Ordinationem accederet, quid incurreret?*

65 ℞. Ultra peccatum mortale incurreret Irregularitatem; nec licitè poſſet exercere Ordinem ſic ſuſceptum; quòd ſi exerceat, peccabit mortaliter contra præceptum Eccleſiæ; eſſet tamen validè ordinatus; quia Cenſura facit actum illicitum, non autem invalidum.

66 *Objicies*. Quomodo iſte eſſet validè Ordinatus, ſi, ut mos eſt, Epiſcopus per ſuum Archidiaconum ante Ordinationem enunciare publicè facit, ſe non intendere ordinare omnes excommunicatos, irregulares, furtivè accedentes, & ſimiles?

℞. Poſt prædictam enunciationem (ut habetur in Pontificali) ſolet etiam Epiſcopus abſolvere Ordinandos ab omni vinculo Excommunicationis, &c. ad effectum hunc ſolùm, ut ordinandi reverà ſuſcipiant Ordines. Tum quia, data etiam illa proteſtatione non ordinandi prædictos, in actu practico non valet; ratio eſt: quia, ſi Epiſcopus dicat: *nolo ordinare aliquos*; niſi expreſsè eos diſtinguat, & agnoſcat, tunc vel nullus ordinandorum foret ordinatus, vel omnes; ſicut patet de Celebrante intendente expreſsè, ſe nolle conſecrare aliquas ex particulis ſibi expoſitis, Ergo ne dicamus, nullum eſſe ordinatum, neceſſariò fatendum erit, omnes eſſe validè ordinatos ex parte intentionis Epiſcopi. Ita cum Sà, Theſauro, Laymanno, & Sanchezio docet Thomas Tamburinus, *libr. 7. de Sacrament. capit. 6. numer. 13.*

Quæro XLVI. *Illa pœnitentia, quam imponit Epiſcopus Clericis Ordinatis* (Nempe, ut Ordinati in Minoribus recitent ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Litaniis Sanctorum, & precibus: Ut Ordinati in Subdiaconatu, & Diaconatu recitent Nocturnum Mortuorum, &c. Ut Ordinati in Sacerdotio recitent, vel Celebrent tres Miſſas,) *obligatne ordinatos ſub mortali?*

℞. Diana, Bonacina, & alii Doctores 67
dicunt, quòd ſic. -- Sanchez verò, Tamburinus aliique DD. dicunt, quòd non. Melius tamen erit obedire Epiſcopo Ordinanti.

Quæro XLVII. *Diaconus ex vi ſuæ Ordinationis, aut ex commiſſione Epiſcopi, aut Parochi, poteſtne miniſtrare aliquod Sacramentum?*

℞. De commiſſione Parochi, & ur- 68
gente neceſſitate, poterit Diaconus ſolemniter baptizare. Item diſpenſare Euchariſtiam. Item dare Sanctiſſimum Viaticum infirmo. His exceptis, ad nullum aliud Sacramentum ſe extendit ejus auctoritas; quia conficere alia Sacramenta proprium eſt Sacerdotis, & Epiſcopi, ut notum eſt: & patet ex dictis *de Sacram. in genere*.

Quoniam verò inter cætera *Diaconi*, " officia unum eſt, *Prædicare Populo Verbum* " *DEI de Epiſcopi licentia*, operæ pretium " erit, apponere hîc Examen pro Concionatore; " nam arbitrio Epiſcopi reſervatur " examinare omnes tam Clericos Sæculares, " quàm Regulares de hac materia " tam neceſſaria Eccleſiæ Dei; & " quia puto longiorem evaſurum Tractatum, " novum ſequentem inſtituam, " in gratiam tyronum præſertim Regularium. "

TRA-

TRACTATUS LII.

EXAMEN CONCIONATORIS.

QUæro I. *Quid eſt Concionator?*

1 *Reſp.* Eſt Miniſter Chriſti, & Eccleſiæ Ordine Sacro Diaconatus ſaltem inſignitus, benèque inſtructus ad prædicandum ex officio Verbum Dei.

Quęro II. *Quænam ſunt partes Cõcionatoris?*

2 ℞. Tres: Docere, movere, & delectare ſuaviter auditores. *Docere* nempe ſanam doctrinam: *movere* animos auditorum per rationes, & auctoritates convincentes: & *delectare* ſuaviter per actionem, modumque benè dicendi.

Quæro III. *Quiſnam eſſe debet finis ultimatus Concionatoris Eccleſiaſtici?*

3 ℞. Gloria Dei, & ſalus Animarum.

Quæro IV. *Quænam eſt via ad benè concionandum?*

4 ℞. Natura, Ars, Exercitium, & Oratio.

Quæro V. *Quot poſſunt eſſe genera Concionum?*

5 ℞. Tria. Demonſtrativum, Deliberativum, & Judiciale. Genus *demonſtrativum* eſt, in quo laudatur aliqua virtus, vel aliquis Sanctus: aut vituperatur aliquod vitium, vel aliquis peccator. *Deliberativum* eſt, in quo ſuadetur aliquod bonum, vel aliqua virtus, aut diſſuadetur aliquod vitium. *Judiciale* eſt, in quo defenditur, aut accuſatur aliqua cauſa, aut aliquod factum.

Quæro VI. *In eadem Concione poſſuntne uniri iſta tria genera?*

6 ℞. Utique; at regulariter loquendo, & principaliter Concio moralis fit in genere deliberativo; Panegiricus fit in genere demonſtrativo; Problema, Declamatio, & Controverſia fiunt in genere judiciali.

Quæro VII. *Ultra prædicta tria genera Concionis, poteſtne aliud genus Concionis fieri, vel dari?*

7 ℞. Certè ab aliquibus additur quartum genus, quod vocant *Doctrinale*, & conſiſtit tantùm in edocendo (modo quodam ſimplici, utili, & plano juxta capacitatem plebis) veritates æternas, & in declarando dogmata Fidei, Evangelium, Legem Divinam, & Eccleſiaſticam, Textum aliquem Sacræ Scripturæ, aut auctoritatem alicujus Sancti, &c. Et in hoc genere debent *Parochi*, aliique curam Animarum habentes prædicare populo ſibi commiſſo, juxta mandatum Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. ubi dicit: *Plebani, & quicumque Parochiales, vel aliàs curam Animarum habentes, per ſe, vel (ſi legitimè impediti fuerint) per alios, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, Plebes ſibi commiſſas, pro ſua, & earum capacitate, paſcant ſalutaribus verbis: docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: annunciando eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & Cœleſtem Gloriam conſequi valeant.* Hæc Concilium.

Quæro VIII. *Tenenturne Parochi, aliique Curam Animarum habentes ſub culpa gravi ſic prædicare ac docere?*

℞. Certiſſimè; juxta omnia jura, Le- 8
geſque omnes, tam Divinas, Naturales, quàm humanas, & Eccleſiaſticas; atque juxta omnium Sanctorum Patrum, & Theologorum conſenſum, & placitum: ut, more ſuo, fundatiſſimè probat P. Paulus Segnerus in fine magni libri Chriſtiani Inſtructi: *Ramemoratione del graviſſimo debito, che hanno i Parrochi di paſcer le Anime con la parola di Dio.* Lege, & videbis. Attende quid inde ſequatur.

Ergo quamvis Parochi arte concionatoria careant, non per hoc eximuntur ab onere prædicandi, & docendi, &c. ut patet ex Concilio citato.

Quęro IX. *Quinam ſunt actus concionatoris?*

℞. Quinque: nempe Inventio, Diſpo- 9
ſitio, Elocutio, Scriptio, & Recitatio.

Quæro X. *Quænam ſunt partes Concionis formalis?*

℞. Septem; ideſt, Exordium, ſeu Procœ- 10
mium: Narratio: Probatio: Confirmatio: Confutatio: Ampliatio: & Epilogus, ſeu Peroratio.

Quæro XI. *Quiſnam eſt modus benè concionandi?*

℞. Modus benè concionandi conſiſtit in 11
multis requiſitis, ſed præſertim in his ſex. I. In imploratione Divini auxilii. II. In decore Prædicationis. III. In prudentia, providentia, vel Judicio Prædicatoris.

IV. In emendata, & examinâta locutione. V. In moderatione vocis, & VI. In debita actione.

Quæro XII. *Explica mihi primum requiſitum?*

12 ℟. Cùm dignitas Officii Concionatoris Eccleſiaſtici Divina ſit; nam *DEI ſumus Adjutores*, ut inquit Apoſtolus, cùmque *Divinorum diviniſſimum ſit cooperari Deo in ſalutem Animarum*, ut teſtatur S. Dionyſius Areopagita cap. 3. de cœleſti Hierarchia; cùm etiam principium elocutionis fructuoſæ, ac totius Eccleſiaſticæ eloquentiæ è DEO benedicto procedat, à quo omne bonum; hinc eſt, quòd Concionator ſemper implorare debet Divinum auxilium, & aſſiſtentiam per humilem, ac confidentem Orationem. Quis enim unquam audeat de DEO, & pro DEO loqui ſine DEO? Ergo imploratio Divini auxilii erit unum, & primum requiſitum ad modum benè concionandi. Unde D. Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana, cap. 4. dicit: *Prædicator laboret, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: & hoc ſe poſſe magis pietate Orationum, quàm orationis* (ideſt concionis) *facultate, non dubitet; Priùs ſit Orator, quàm Doctor.* — Lege P. Angelum Paciuchellum Dominicanum ſupra Jonam Prophetam, *Lect.* 45. *à n.*30.

Quæro XIII. *Explica ſecundum requiſitum.*

13 ℟. Sicut Propheta David dicebat Deo, Pſal. 25. *Domine, dilexi decorem domus tuæ*; ſic Concionator debet dicere: *Dilexi decorem Prædicationis tuæ*; magis enim Deo chara, & grata eſt domus ſpiritualis, quę eſt Eccleſia, ſeu congregatio Fidelium, quàm domus materialis, quæ eſt Templum; ergo magno cum decore concionandum eſt in ædificationem Eccleſiæ Dei.

14 Nonnullæ autem aſſignantur leges *Decoris Prædicationis*, quæ ſunt. I. Quòd vita Concionatoris à Concione non diſcrepet. Unde dicebat Plautus: *Monendus ne moneas*. S. Iſidorus, lib. 3. de Summo bono: *Non debetis vitia aliorum corrigere, qui eſtis vitiis ſubjecti*. S. Proſperus in ſententiis dicit: *Malè vivere, & benè docere, nil aliud eſt, quàm ſemetipſum propria lingua damnare.*

15 *Secunda lex, vel regula eſt*: Ne Concionator unquam falſum, vel mendacium in Pulpito, aut Altari advertenter proferat; multò minùs fingat aliquod miraculum, aut revelationem falſam; quia tunc incideret in Excommunicationem Papalem, ex Conc. Lateran. ſeſſ. 11. apud Lezanam, *tom.*1. *cap.* 20. Deus enim non indiget noſtris mendaciis. Neque, ad ſalvandum totum Mundum, & omnes Animas ad pœnitentiam convertendas, licitum unquam eſſe poteſt mendacium, aut fallacia Prædicatoris.

Tertia lex, vel regula eſt, ne Auditori- 16
bus aduletur, eos variis epithetis, vel titulis frequenter laudando: parcè enim, & diſcretè adhibendæ ſunt laudes populi, quem corrigere oportet, non laudare.

Quarta regula eſt, non ſe ipſum jacta- 17
re, aut res pulcherrimas non antea dictas, vel auditas polliceri: vel narrare, ſe in aliis locis conſpicuis hoc dixiſſe, & adminiſtrationem concitaſſe, & ſimilia; quia laus in ore proprio ſordeſcit: & Concio, vel Concionator vileſcit.

Quinta regula eſt, ne ſupervacaneis, & 18
inutilibus verbis tempus, & opus perdat; qui enim implent Concionem foliis, floribus, & levitatibus, numquam fructus producent, ſed umbram, & nihil; laborabunt ſine fructu; unde dicere poterunt: *Per totam Quadrageſimam laborantes nil cœpimus*. Ultraquamquòd Concio ipſa puerilis evadit.

Quæro XIV. *Explica tertium requiſitum?*

℟. Judicium, Providentia, & Pruden- 19
tia neceſſaria ſunt Concionatori, ad multa. I. Ut poſſit adaptare ſuum ſermonem capacitati, & utilitati audientium: unde Iſajas cap. 50. dicit: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut ſciam ſuſtentare eum, qui lapſus eſt, verbo*. Quam ſententiam ſic tradúxerunt Septuaginta Interpretes Veteris Teſtamenti: *Dominus dat mihi linguam diſciplinæ, ut ſciam, quando oporteat, me loqui Verbum*. Ubi Sanct. Hieronymus explicando, dicit Verba hæc de Chriſto Domino, ac ejus veris Prædicatoribus accipienda ſunt: qui ſciunt, quando debeant loqui, & quando reticere. Magnæ enim eſt, dare in tempore conſervis cibaria ſua, & audientium conſiderare perſonas. — Et S. Gregorius Papa, ſuper Pſal.50. v.17. *Domine, labia mea aperies, &c.* ait: Illius labia Deus aperit, qui non ſolùm quid loquitur, ſed etiam quando, & ubi, & cui loquatur, attendit. Sapientia namque Dei dicit: *Dominus dedit mihi linguam eruditam*. Proferamus

ergo

Digitized by Google

ergo Sermones examinatos libra Juſtitiæ: ut ſit gravitas in ſenſu, modus in verbis, pondus in ſermone; nec priùs loquendo os aperiamus, quàm expediat; ſed examinemus verba noſtra, &c. Hæc S. Gregorius.

20 II. Ut priùs diligenter inquirat mores, & præcipua vitia illius Civitatis, Oppidi, loci, Villæ, &c. ubi eſt concionaturus; ad hoc, ut, pro diverſitate vitiorum, opportuna adhibere poſſit medicamenta verborum.

21 III. Ut adaptet ſermones non ſolùm in eruditionem ſapientium, verùm etiam in documentum inſipientium; major enim pars Auditorum ſolet eſſe plebs ignara, quæ magis indiget Verbo Dei; Concionator autem ſapientibus, & inſipientibus debitor eſt; at magis inſipientibus.

22 IV. Quòd ubi ſunt magni peccatores, ac vitioſi, debet vehementiùs arguere, & proclamare. Quare Deus mittens Jonam Prophetam ad Ninivitas, ait: Jon. 3. *Prædica in ea Prædicationem, quam Ego loquor ad te.* Verſio hebræa dicit: *Proclama proclamationem, quam Ego loquor:* Ubi S. Joannes Chryſoſtomus, ait: Clamandum eſt, non cantandum, dum populi peccata arguuntur. Et D. Gregorius ibi: Quia nimirùm qui rectè prædicat obſcuris adhuc cordibus, apertè clamat, *Et proclamat proclamationem.* Unde Deus ipſe Iſajæ dixit, *cap.* 58. *Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, &c.*

Quæro XV. *Explica quartum requiſitum?*

23 ℞. Examinata, & emendatà locutio ea eſt, quæ commendatur à P. N. S. Franciſco in cap. 9. ſuæ Regulæ: ubi ait: *Moneo quoque, & exhortor eoſdem Fratres, ut in prædicatione, quam faciunt, ſint examinata, & caſta eorùm eloquia, ad utilitatem, & ædificationem populi.* Ad hoc igitur requiſitum habendum, cavere debet Concionator multa puncta, & pericula, nempe. I. Ne ſolæciſmis, ac barbariſmis auditorum aures offendat. II. Ne verbis jocoſis, vel facetiis riſum univerſalem excitet in populo. III. Ne prædicet errores, improbabilitates, inveriſimilitudines, & ſimilia. IV. Ne peccata carnalia nimis apertè declaret. V. Ne hiſtorias, aut Scripturas apochryphas defendat. VI. Ne nimis ſit deditus fabulis, ac libris gentilium, & poetarum. VII. Ne Prælatis Eccleſiæ, Religioſis, & Sacerdotibus detrahat; nempe vitia eorum nominatim propalando, exaggerando, &c.

Dixi, *nominatim*; quia alioquin licitum eſt Concionatori ſeni, ac prudenti generalibus verbis vitia etiam Prælatorum, & Eccleſiaſticorum dulciter reprehenderet, ut patet quotidiana experientia. 24

VIII. Ut in vitiis corrigendis abſtineat ſe à contumeliis, injuriis, & execrationibus ſcandaloſis. IX. Ne inducat peccatores in laqueum deſperationis, aut in præſumptionem ſalutis; ſed prædicet miſericordiam Dei cum Juſtitia, Juſtitiam Dei cum miſericordia, Timorem, & Amorem. X. Ne ſingulares quaſdam opiniones defendat. XI. Ne Sacram Scripturam ex proprio ingenio interpretetur, neque adducat quaſdam interpretationes exorbitantes, extravagantes, curioſas, leves, ridiculas nonnullorum non Sanctorum Auctorum. XII. Ne ſit longus, nimis, ac faſtidioſus in dicendo. 25

Quæro XVI. *Explica quintum requiſitum?*

℞. Vocem ſuam debet Concionator Eccleſiaſticus ita moderari, ut rebus, quas tractat, & auditoribus, quibus loquitur, & loco, ubi prædicat, ſit accommodata, & attemperata. Caveat, ne cantet ſuam Concionem more puerorum. Nimiam in proferendis verbis tarditatem, nimiamque celeritatem fugiat; magis autem debet inclinare ad tarditatem, quàm ad velocitatem. Et ſonus vocis naturalis eſſe debet. Diſcurſus ſit familiaris, naturalis, & amabilis. Et tandem caveat, ne uno, eodemque vocis ſono totam recitet Concionem; quia hoc vitium nimis grave, & moleſtum eſſe ſolet auditoribus. 26

Quæro XVII. *Explica tandem ſextum, & ultimum requiſitum?*

℞. Actio in Concionando eſt inter naturalia requiſita potiſſimum. Eſt autem individua pronunciationis comes, & complementum, in motu, & geſtu corporis conſiſtens. Ad habendam hanc actionem, debet Concionator eo modo; quo vocem portat, ita & geſtum manuum, corporiſque accommodare voci, & verbis, quaſi indigitando Auditoribus id, quod voce exprimit. Oculi, & facies Concionatoris ſunt præcipui pronunciationis comites, quorum intentione, & remiſſione, conjectu, & hilaritate affectiones exprimuntur. 27

Cavere autem debet Concionator I. Ne eodem 28

Digitized by Google

eodem ſemper geſtu, neque eadem compoſitione manuum, neque ſemper eadem vultus moderatione afficiatur. II. Ne pulpitum ſæpiùs manibus percutiat, niſi quando rei magnitudo poſtulat. III. Ne per ſuggeſtum curſitet, vel ſaltet. IV. Ne brachium tamquam gladiator immoderatè projiciat. V. Ne pede ſupplodat, niſi cùm de rebus maximis agit. Et alia ſimilia indecora, & affectata fugiat; quia præterquamquòd ſunt contraria bonæ arti Concionatoriæ, etiam à ruſticis perſonis notantur, tamquam defectuoſa, & reprehenſione digna. – Si vis plura, & conſule libros de hac materia tractantes, & ſignanter Areſium *in tom. de Arte, & modo prædicandi*; – Panigarolam *in Praxi componendi Conciones*. Didacum Stellam, *de bonitate Concionatoris*. Introductionem ad officium Prædicationis P. Octavii Jadertini. Felicem Panormitanum, *tom. 3. par. 2.* & alios DD. CC.

Quæro XVIII. *Quid prædicandum eſt Populo Chriſtiano Catholico?*

29 ℞. Verbum Dei debemus prædicare: nempe Divinam, Sacramque Scripturam; præſertim Euangelium: & materiam de virtutibus, & vitiis, de pœna, & gloria ſempiterna; ut docet Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2 Et P. S. Franciſcus in ſua Regula, cap. 9. Quæ quidem Sacra Scriptura proponenda eſt ſecundùm explicationem, & interpretationem Sanctorum Patrum.

Si quæratur. *Quid eſt Euangelium?*

℞. Eſt bona annunciatio, qua annunciatur, ſeu euangelizatur requies poſt laborem, Regnum poſt ſervitium, vita ſempiterna poſt mortem. *Gloſſa in Act. Apoſt. cap. 1.* unde dixit Chriſtus Apoſtolis: *Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Marci 16. Ubi S.Greg. Papa gloſſat. Vera fides eſt, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit; ergò fides Euangelii prædicanda, quæ operibus tenenda eſt.

Quæro XIX. *Eſtne tantùm prædicanda Sacra iſta Scriptura?*

30 ℞. Etſi ſufficeret; tamen poteſt conjungi cum auctoritatibus Conciliorum, & SS. Patrum, rationibus theologicis, & naturalibus, ſimilitudinibus, exemplis, aliiſque materiis prædicabilibus, ut patet in tot voluminibus Concionum.

Quæro XX. *Quiſnam fuit author Sacræ Scripturæ?*

31 ℞. Spiritus Sanctus: ut dicit S. Petrus Apoſt. 2. Epiſt. cap. 1. v. 21. ibi: *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines.*

Quæro XXI. *Sacra Scriptura quot habet partes?*

32 ℞. Duas, videlicet, Vetus, & Novum Teſtamentum. Utrumque Teſtamentum ſubdividitur in quatuor partes; nempè in libros Legales, Hiſtoriales, Sapientiales, & Prophetales. Omnes autem libri Bibliorum vocantur Canonici.

Quæro XXII. *Quare libri ſacræ Scripturæ, ſeu Bibliorum vocantur Canonici?*

33 ℞. Quia hæc vox *Canon* eſt idem, ac *Regula*; ideò igitur vocantur *Canonici*; quia continent Regulas, quas ſequi debemus in materia Fidei, & morum. Tum quia ab Eccleſia Catholica ſunt poſiti in Catalogo librorum Divinorum: quia ſunt libri divinitùs dictati.

Quæro XXIII. *Quare ſacra Scriptura vocatur* liber vitæ?

34 ℞. Quia continet præcepta, & conſilia, quæ, ſi ſequantur, ducunt nos ad vitam æternam. Tum quia legitur in Apoc. c. 5. *Et vidi in dextera ſedentis ſuprà Thronum librum ſcriptum intus, & foris.* Dicitur liber ſcriptus *intus*, ut ſignificetur ſenſus ſpiritualis Sacræ Scripturæ dicitur ſcriptus *foris*, ut denotetur ſenſus litteralis.

Quæro XXIV. *Sacra Scriptura quot habet ſenſus?*

35 ℞. Duos principales: nempe litteralem, & ſpiritualem. Senſus *litteralis* eſt illa ſignificatio prima, qua voces ſignificant res, ad quas ſignificandas ſunt impoſitæ. – *Spiritualis* verò, ſeu myſticus eſt illa ſignificatio, qua res per voces ſignificatæ rursùs ſignificant aliud abſconditum, & occultum. *Vel*, ſenſus litteralis eſt ſenſus immediatus ex vi verborum productus, qui velut corpus continet ſpiritum, ſeu ſenſum ſpiritualem. Spiritualis autem eſt ſenſus mediatus, & ſtat intùs, ſicut ſpiritus ſtat in corpore; ideòque vocatur ſpiritualis.

Quæro XXV. *Senſus litteralis eſtne unicus.*

36 ℞. Non; ſed duplex, nempe hiſtoricus, & parabolicus. Senſus *hiſtoricus* eſt ille, quo aliqua ſignificatur hiſtoria, vel res geſta realiter; ſenſus verò *parabolicus* eſt ille, quo aliqua per ſimilitudines, vel comparationes parabolicas, vel figuratas decla-

Digitized by Google

declarantur, & ſignificantur; ut patet in Euangelio, ubi Chriſtus ſæpè ſæpiùs loquebatur Judæis in Parabolis.

Quæro XXVI. *Senſus ſpiritualis, ſeu myſticus ſacræ Scripturæ quotuplex eſt?*

37 ℞. Triplex: nempe Allegoricus Tropologicus, & Anagogicus. *Allegoricus* dicitur, quia datur per Allegoriam, & docet, quid credendum. *Anagogicus* dicitur, quia datur per Anagogiam, & docet, quid ſperandum. *Tropologicus* dicitur, quia datur per Tropologiam, ſeu per Tropos, & docet quid operandum, unde & ſenſus *Moralis* nominatur.

38 Ex dictis colligitur ſummatim, ſenſus Sacræ Scripturæ eſſe quatuor: nempe Litteralem, Allegoricum, Anagogicum, & Tropologicum, ſeu Moralem, qui ſenſus explicantur his verſibus.

Littera geſta docet: Quid credas, Allegoria:
Moralis quid agas: Quò tendas, Anagogia.

Quæro XXVII. *Quinam ex dictis quatuor ſenſibus ſacræ Scripturæ eſt principalior & nobilior?*

39 ℞. Eſt Senſus litteralis proprius: quia eſt ille, quem immediatè, & primariò intendit Spiritus Sanctus Author Scripturæ Sacræ, tum quia ex hoc, tamquam ex ſuo fundo hauriuntur alii Senſus; & etiam quia iſte Senſus eſt validior ad confirmandam Veritatem Catholicam, & ad Hæreticorum errores confutandos; ut patet ex Conciliis Generalibus.

Quæro XXVIII. *Daturne alius ſenſus, qui dicitur Accommodatitius?*

40 ℞. Senſus iſte (qui fieri quandoque ſolet à Concionatoribus in aliqua re difficilis probationis per accommodationem, nempe aptando, & applicando Verba aliqua Euangelii, vel Sacræ Scripturæ ad proprium aſſumptum probandum) non eſt verus, & proprius, ideòque vocatur *Accommodatus*. Cautè autem eo utendum, & nonniſi à verſatis, doctiſque viris. Sic Orator Catholicus in nova electione Ducis cujuſdam Reipublicæ, cui Duci nomen erat *Proſper*, uſus eſt verſu Pſalmi 44. *Intende Proſpere, procede, & regna*: utendo nempe æquivocè *proſperè* adverbialiter, & mutando in Nomen Ducis.

Ad majorem intelligentiam *Senſus Accommodatitii* noto hic cum P. Antonio à Candelaria, *in Brev. p. 1. diſp. proœm. q. 9. art. 5.* quod ſenſus iſte per Accommodationem poteſt fieri dupliciter: *primò per Extenſionem; ſecundò per Alluſionem*. Primo modo fit per legitimam quamdam conſecutionem ex Senſu litterali, qui eſt de aliquibus rebus, aut perſonis, & ad alias extenditur à Concionatore; ſic V. G. illud Iſajæ, cap. 1. v. 4. *Vah genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, &c.* quod dictum eſt de populo Iſraelitico, & extenditur à Concionatoribus ad populum Chriſtianum; ſicque plura loca veteris Teſtamenti applicantur in novo per Accommodationem ob aliquam ſimilitudinem, & Analogiam: ut videri poteſt in multis locis novi Teſtamenti, & ſignanter, Matth. c. 15. v. 8. ubi Chriſtus Dominus accommodat Scribis, & Phariſæis ſui temporis verba, quæ ab Iſaja, cap. 29. v. 13. dicta fuerunt populo ſuo: *Populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me.*

Secundo autem modo, nempe *Alluſione* fit, quando aliquid dictum de uno accommodatur alteri ob aliquam ſimilitudinem, & alluſionem in particulari. Sic V. G. Verba illa Eccleſiaſtici, c. 44. v. 20. *Non eſt inventus ſimilis illi in gloria, qui conſervavit legem Excelſi*: quæ dicta litteraliter intelliguntur de Abraham, & applicantur ab Eccleſia cuilibet Sancto Pontifici in Breviario Romano: quòd ſæpiùs fit de aliis, ut patet conſideranti tam Breviarium, quàm Miſſale Romanum in Feſtis.

Adverto hic etiam cum P. Octavio Jadertino Dalmata, *exam. 8. q. 9.* quòd in Scripturæ Sacræ accommodatione attendendum eſt à Concionatore, ne obtrudatur ſenſus litteralis pro accommodatitio, aut accomodatitius pro litterali; eſſet enim abuſus, contra quem D. Hieronymus ad Paulinum epiſt. 103. ſcribendo dicit: *Quidquid dixerint, hoc Legem DEI putant; nec ſcire dignantur quid Apoſtoli, quid Prophetæ ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant Teſtimonia.* Sint ergo applicationes Sacræ Scripturæ taliter factæ, ut à veritate rei non diſcordent, ſed Analogiam aliquam realem, & aptam habeant.

Quare hic advertendum eſt præceptum 41 Sacroſancti Concilii Trid. ſeſſ. 4. in Decreto, De uſu Sacrorum librorum: ibi: *Præterea, ad coercenda petulantia ingenia, decernit S. Synodus, ut nemo ſuæ prudentiæ inni-*

innixus, in rebus Fidei, & Morum, ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero Senſu, & interpretatione Scripturarum, aut etiam contra unanimem ſenſum Patrum, ipſam Sacram Scripturam interpretari audeat, &c. Hæc Concilium.

42 Et S. Gregorius Papa, in libr. Job, c. 28. ait: Dum laudari quidam tamquam de excellenti ingenio cupiunt; quaſi nova quædam proferunt, quæ in antiquorum Patrum libris non continentur; inde fit, ut dum videri Sapientes deſiderant, miſeris ſuis Auditoribus ſtultitiæ ſemina ſpargunt. Hæc Gregorius Magnus. Qui legit, intelligat.

Quæro XXIX. *Quare Chriſtus Dominus non ſcripſit propria manu Evangelium?*

43 ℟. Quia ſic conveniens erat, ut ipſe non ſua, ſed aliena manu opera ſua ſcriberet; ut oſtenderet, quòd ipſe per alios erat locuturus, & mundum converſurus; tum quia Regiæ Majeſtatis eſt, non per ſe Legem ſuam ſcribere, ſed per Miniſtros.

Quæro XXX. *Novum Teſtamentum eſtne Excellentius Veteri Teſtamento?*

44 ℟. Utique, quia, ut inquit D. Paulus ad Hebræos, c. 1. *Multifariàm, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*, atqui excellentius eſt loqui *in Filio*, quàm *in Prophetis*; ergo Novum Teſtamentum, in quo locutus eſt Filius Dei, erit Excellentius Veteri, in quo Deus loquebatur in Prophetis ſuis.

Quæro XXXI. *Qui non habet artem concionandi, nec libros materiarum prædicabilium, & tamen vel ex efficio, vel ex Charitate debet concionari, quomodo faciet ad componendum diſcurſum, aut ſermonem ordinatum?*

45 ℟. Si habeat *Miſſale Romanum*, & *Breviarium*, habet (& neſcit) parvam Bibliothecam Scripturarum, & Sanctorum Patrum. Unde his duobus libris facilè poterit exhaurire abundantem materiam pro uno Quadrageſimali. *Dabo exemplum.*

46 V. G. Die Cinerum vis habere ſermonem ad populum *de Jejunio*: & cupis probare: *Jejunium eſſe medium neceſſarium, & valdè aptum ad placandam Divinam indignationem.*

Lege Evangelium currentis diei, & accipe *pro themate* illa verba: *Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* Matthæi cap. 6.

Pro Exordio, vel Proœmio, accipe verba Sermonis S. Leonis Papæ, prout in Breviario, *Dominica prima* Quadrageſimæ: *Prædicaturus vobis, dilectiſſimi, Sacratiſſimum, maximumque Jejunium, &c.*

Pro Narratione, vel introductione primæ partis Concionis, accipe Sacram hiſtoriam Ninivitarum, quam invenies in *Prophetia decima* Sabbati Sancti in Miſſali, eamque declara.

Pro Probatione, & Confirmatione tui aſſumpti, quod intendis, ut ſuprà, probare accipe Lectionem Joelis Prophetæ, quæ eſt in Miſſali *die Cinerum*: Item Sermonem S. Ambroſii in *Dominica quarta* Septembris Breviarii. Item Sermonem Divi Baſilii in *Dom.* 4. Quadrag.

Pro ampliatione, & confutatione, accipe Sermonem S. Athanaſii *in Dominica* 3. Novembris Breviarii.

Pro Epilogo, ſeu peroratione, & fine Concionis in prima parte: annon valebis reſtringere dicta ſuperiùs, & concludere: *ergo Deus reverà placatur per Jejunium?*

Pro ſecunda parte (ſi vis eam facere) poteris legere, & accipere Sermonem S. Leonis Papæ *in Dominica tertia* Adventus Breviarii. Et ecce completa, & ordinata Concio tua.

Modus autem ſic uniendi materias, & 47
poſtea dividendi per partes Concionis, erit iſte. Fac tibi Sylvam ex Breviario, & Miſſali, ſcribendo omnes materias ad propoſitum tuum probandum idoneas. Lege etiam Pſalmos, & omnes verſus pertinentes ad hanc Concionem ſcribe, & nota per numeros marginales, vel per litteras Alphabeti.

Facta jam Sylva; conſidera, quænam ſententia, vel hiſtoria poſſit inſervire tibi pro Exordio? Quænam pro Narratione, vel Introductione? Et ſic de cæteris partibus prædictis: poſtea ſcribe tales ſententias, vel hiſtorias ſeparatim in foliis diverſis: aut fac aliquod ſignum, aut litteram majuſculam, quæ tibi indicet materiam pro Exordio, pro Narratione, & ſic de aliis partibus Concionis: tamdem ſcribe omnia ordinatè, ut ſuprà, & omnia memoriæ tuæ commenda, &c.

Quæro XXXII. *Quinam libri poterunt juvare tyrones ad componendas ſuas Conciones?*

℟. De

48 ℞. De guſtibus non eſt diſputandum. Præterea, vel delectaris lingua Latina, vel Italica. *Si Latina*: poteris legere opera P. Joan. Carthagenæ *Minorita de Obſervantia.* vel Tertullianum prædicantem P. Michaelis Vivien. *Strictioris Obſervantia*; vel Bibliothecam Concionatoriam Pat. Tobiæ Lohner Societatis Jeſu. Si *Italica*; poteris legere Opera P. Pauli Segneri: vel P. Angeli Paciuchelli ſupra Jonam: vel P. Didaci Stellæ de Contemptu mundi, vel Pauli Areſii Epiſcopi, & penè infinitorum aliorum Authorum.

Quæro XXXIII. *Eſtne licitum, & laudabile tyronibus tranſcribere, & addiſcere ad litteram Conciones aliorum impreſſas, & publicatas?*

49 ℞. Teodorus Gennari Epiſcopus Velienſis in quodam opere, cui titulus *Di-*
„ *ſcorſi morali, overo Inganni ſcoperti al Pec-*
„ *catore*, in epiſtola ad Lectorem ſic dicit:
„ Che io habbi preſo dagl'altri, lo confeſ-
„ ſo, ne mi vergogno fare quello, hanno
„ praticato li primi huomini del Mondo.
„ S. Girolamo nel Proemio del primo ſuo
„ libro contro Ruffino, dice, che S. Hila-
„ rio havea pigliato da Origene una gran
„ parte della ſua Interpretazione ſopra
„ Giob, & ſopra il libro de' Salmi: & il
„ medemo dice di S. Ambrogio, che ha-
„ vea traſportato nelle ſue opere molte co-
„ ſe preſe dal medeſimo Origene; e noi
„ ſapiamo, che l'Eſamerone, libro, che
„ ſcriſſe queſto S. Dottore, non è quaſi
„ altro, che una Traduzione di quello di
„ S. Baſilio. Di più, l'iſteſſo S. Girola-
„ mo confeſſa di ſe, d'haver fatto quel
„ tanto, che dice d'Hilario, e d'Ambro-
„ ſio, e ſi gloria d'haver tolto da Orige-
„ ne, e a chi lo riprenderà di ciò, egli
„ riſponderà così (*Proœm. 2. in Micheam*)
„ *Nam quod dicunt, Origenis me volumina*
„ *compillare, quod illi maledictum vehemens*
„ *eſſe exiſtimant, laudem ego maximam du-*
„ *co, cùm illum imitari velim, quem cun-*
„ *ctis prudentibus & vobis placere non dubi-*
„ *to, &c.* Che più? Caſſiodoro nella ſua
„ dichiarazione de Salmi compendiò San.
„ Agoſtino; il che anco ha fatto Beda nel-
„ le ſue opere. Così Teofilato, & Ecume-
„ nio ſono abbreviatori di S. Giovanni Gri-
„ ſoſtomo. Sete ſodisfatto? Sì, mà non io;
„ e voglio riſpondere al punto, ò alla tac-
„ cia di furto. Sentite il Veſcovo Sponda-
„ no che difende me, e tutti gl' antichi
„ Scrittori: *Nec veremur, ne plagii jure ac-*
cuſari poſſimus; Namque excerpſimus, ex li- “
bris publicis habuimus. Quæ publica ſunt, “
nullius ſunt, ſed fiunt occupantium: nec ad “
aliud, qui pecuniam ſpargit in vulgus, id “
agit, quàm ut fiat arripientis. Hæc Illu- “
ſtriſſimus Epiſcopus Vellæ. “

Tum quia, ſi tyrones (poſt ſtudium) 50
citò non incipiant laborioſum Prædicationis opus, quò tardiùs prædicabunt, eò difficiliùs incipient, imò ſe exponent manifeſto periculo numquam incipiendi; At quomodo *de ſuo* citò prædicare valebunt? Ergo meliùs, & laudabilius omninò erit, ut *ex alieno* dent principium, poſteà ex aſſidua lectione librorum ſibi acquirant artem, modum, & materiam *ex proprio* Conciones componendi. Ita me docuerunt inſignes Concionatores noſtræ ætatis & dixerunt, requiri, ad unum Quadrageſimale perfectè componendum, *ferè totam meliorem hominis vitam.*

Quæro XXXIV. *Cujus virtutis actus eſt Concionari?*

℞. Ex proprio objecto, & fine prima- 51
rio, eſt actus miſericordiæ ſpiritualis. In aliquibus eſt actus Charitatis: in aliis eſt actus Juſtitiæ: pro qualitate conditionis, & intentionis Prædicatoris. Hoc autem opus majoris eſt meriti, quàm opera miſericordiæ corporalis; S. enim Joan. Chryſoſtomus homil. 4. in epiſt. 1. ad Corinthios, dicit: *Magnum bonum eſt, egenorum per eleemoſynam, miſereri, ſed nihil eſt, quale ab errore, & damnatione per Prædicationem Animas liberare.*

Quæro XXXV. *Eſtne licitum, prædicare etiam ob mercedem, vel ſtipendium temporale?*

℞. Minùs principaliter, vel ſecundario 52
fine, erit licitum. Quia qui miniſtrat ſpiritualia magno cum labore, poteſt etiam ex juſtitia petere, & exigere congruam ſuſtentationem. *Dignus eſt enim Operarius cibo ſuo.* Matth. capit. 10. – Et *quis umquam militat ſuis ſtipendiis?* Et *ſi vobis ſpiritualia ſeminamus magnum non eſt, ſi veſtra temporalia metamus.* 1. Corinth. capit. 9. Et *qui Evangelium annunciant: de Evangelio vivunt*; ibi. Vide Officialem Curiæ Regul. Matthæuccius cap. 12. numer. 14.

Quæro XXXVI. *Illi Prædicatores, qui populo prædicant ſubtilia, curioſa, vana, inutilia, &c. peccantne mortaliter?*

℞. Videtur, quòd ſic. *1.* Quia ex Pro- 53
verbiis Salomonis, cap. 11. habetur: *Qui abſcon-*

Digitized by Google

abſcondit frumenta maledicentur à populis. Ubi San. Hieronymus gloſſat: Qui Sanctæ Prædicationis apud ſe verba retinet, talis maledicitur in populis: quia non ſolùm culpa ſilentii, ſed pro ſalute neglecta multorum, quos corrigere potuit damnatur.

II. Quia S. Joan. Chryſoſtomus, Orat. 1. adverſùs Judæos, explicans Sententiam illam Chriſti, Matth. 25. *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores:* ait: Dat pœnas ſervo, eò quòd non auxerat lucrum; ita & tu, ſi non augeas talentum, nec proximum pereuntem revoces ad ſalutem per exercitium Prædicationis, eadem, quæ ſervus piger, & inutilis paſſus eſt, patieris.

54 *III.* Probatur ratione. Unuſquiſque tenetur ſub mortali culpa fungi officio ſuo rectè (arbitrio boni viri) ad utilitatem Communitatis; atqui Concionatores (ratione ſtipendii, vel ex Juſtitia) aſſumunt officium Prædicatoris; ergo ex Juſtitia tenentur fungi officio ſuo rectè arbitrio boni viri in utilitatem populi; ergo qui hoc non præſtant, peccant mortaliter contra Juſtitiam. *Confirmatur.* Aymon Epiſcopus, & Doctor Alberſtatenſis, antiquus Pater, in Matth. cap. 8. v. 1. -- *Cùm deſcendiſſet Jeſus de monte, &c.* dicit: Demonſtratur autem Doctoribus, ut in prædicatione ſua ſermonem habeant temperatum, & ſicut viderint, unumque capere poſſe, ita & Verbum Dei annuntient. Et Gilbertus Abbas ſerm. 72. in Cant. ait: Quidam ſtudent, magis alta, quàm apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum ſui, non auditorum ſalutem operantes. Erubeſcunt humilia, & plana docere, ne ſola hæc ſciviſſe, videantur. Erubeſcunt, ubera habere, nudare mammam, lactare parvulos. -- Quid eſt hoc? Magis patebit.

Quæro XXXVII. *Quare noſtris temporibus cùm tot ſint Concionatores, tam exiguus emendationis vitæ fructus cernitur in populis?*

55 ℞. *I.* P. Vieyra in Concione *Dominica Sexageſima* ſolemniter probat, hunc defectum procedere ex hoc capite: quia non ampliùs prædicatur *Verum Dei Verbum*: nempe Sacra Scriptura ſecundùm ejus genuinum ſenſum. Ita etiam probat P. noſter Salvator à Cotonio, *defenſ. 6. à nu. 95.*

℞. *II.* Cornelius à Lapide in Epiſt. D. Jac. c. v. 13. dicit: quia Concionatores ſæpè non docent, quæ neceſſaria ſunt: non explicant, non inculcant veritates morales: non deſcendunt ad carpenda vitia illi loco propria, &c.

℞. *III.* Quia non habent ea requiſita, quæ ſuperiùs explicata ſunt. Non habent rectam intentionem; *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*: non intendunt (inquit D. Thomas in Matth. c. 24.) niſi, quod ſibi utile eſt, non quod multis, ut multi ſalvi fiant. &c.

℞. *IV.* Quia non terrent peccatores obſtinatos; nam, ut dicit idem Angelicus Doctor in Apoc. 10. Prædicator vehementer debet Animos excitare, terrendo per comminationem magnos peccatores; ideò enim Prædicatores dicuntur *Tonitrua*, ratione nempe terroris, quem debent ingerere, comminando Divina ſupplicia, &c.

℞. *V.* Quia non ſunt purgati à vitiis propriis: & quomodo alios purgabunt? Nullus (inquit D. Thom. 3. *p. q. 41. art. 3.*) nullus debet Prædicationis Officium aſſumere, niſi fuerit priùs ipſe à vitiis purgatus, &c. Vide Regulas Sacri Oratoris Doct. Thom. Galetti poſitas in fine Quadrageſimalis P. Didaci Motigli de Obſervantia S P. Franciſci.

Quæro XXXVIII. *Poſſuntne Regulares prædicare ſine licentia Epiſcopi?*

℞. Nequaquam; quia hoc prohibetur 56
expreſsè à Concilio Tridentino, *ſeſſ. 5. c. 2. de Reform. ibi*; Regulares verò cujuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, prædicare non poſſint. Cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere, teneantur, antequam prædicare incipiant. *Hæc Concil.* quæ poſtea Gregorius Quintus-Decimus, Conſtitutione incipiente, *Inſcrutabili*: & deinde Clemens Decimus, *Conſt. Superna*, confirmarunt. *Vide hanc Conſtitutionem per extenſum, Tract. 67. in fine.*

Quæro XXXIX. *Quid ſi Epiſcopus nollet dare benedictionem alicui Regulari volenti prædicare in Eccleſia ſui Ordinis?*

℞. Idem Clemens cit. declaravit hoc, 57
dicendo: Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere,

re,

„ re, prædicare tamen poſſe, quamvis il-
„ lam non obtinuerint.

Quæro XL. *Quid ſi Epiſcopus non tantùm non dederit benedictionem, verùm etiam prohibuerit?*

58 ℞. Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. c.
„ 4. de Ref. dicit: Nullus autem ſæcularis,
„ ſive Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum
„ Ordinum, contradicente Epiſcopo prædi-
„ care præſumat. -- Et ſeſſ 5. cap. 2. dicit:
„ In Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum
„ non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superio-
„ rum, etiam Epiſcopi licentiam habere te-
„ neantur: ſine qua in ipſis Eccleſiis non
„ ſuorum Ordinum nullo modo prædicare
„ poſſint; ipſam autem licentiam gratis Epi-
„ ſcopi concedant. -- Si verò (quod ab-
„ ſit) Prædicator errores, aut ſcandala diſ-
„ ſeminaverit in populum, etiamſi in Mo-
„ naſterio ſui, vel alterius Ordinis prædi-
„ cet, Epiſcopus ei prædicationem interdi-
„ cat. *Hæc Concilium.*

Et Clemens X. *in Superna, &c.* hoc idem declaravit, dicendo: Quòd ſi Epiſcopus benedictionem nedum non
„ conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec
„ in prædictis quidem Eccleſiis (ſuorum
„ Ordinum) licere Regularibus prædicare.
„ Epiſcopum tamen abſque juſta, ac ratio-
„ nabili cauſa contradicere non debere. --
„ *Hæc Papa.*

Quam tamen cauſam Epiſcopus non tenetur Regularibus ſignificare; ut cum aliis DD. teſtatur Antonelius, *de Regim. Eccleſ. libro 7. capitulo 13. ſub numero 6.* Et hoc videtur eſſe juxta tenorem Conſtitutionis, *Superna*: in qua, §. *Et eos*: ſtatuitur, Epiſcopum non teneri ſignificare Regularibus cauſas, ob quas Confeſſarios aliquos ſuſpenderit; ergo à ſimili de Prædicatoribus.

Quæro XLI. *Poſſuntne ſaltem Regulares ſine petita benedictione prædicare in quibuſdam Oratoriis ſuis Ordinis coram populo?*

59 ℞. Etiam hoc eſt eis prohibitum in prædicta Conſtitutione, *Superna*: à Clemente X. his verbis -- Et hujuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, ſi in quibuſcumque Oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram populo, vel in Eccleſiis, aut ad crates Monaſteriorum Sanctimonialium eorum Juriſdictioni ſubjectarum, licèt clauſis januis, & nullus ſæcularis ibi interſit, habere voluerint.

Quæro XLII. *Poteruntne ſaltem prædicare in plateis, aut in aliis locis publicis extra Eccleſiam, & Oratorium, ſine petita benedictione?*

60 ℞. Negativè. Ratio patet, vel deducitur ex prædictis; aliàs eſſet fruſtranea prohibitio generalis; nam variatio loci non variat publicitatem Concionis. Ita ex Donatò, *in Praxi Regul. tom. 3. tract. 6. quæſt. 19.* Matthæuccius, *in Offic. cap. 12. n. 8.*

Quæro XLIII. *Quid, ſi Regularis vellet concionari aliquando in loco, ubi commodè non poteſt petere benedictionem ab Epiſcopo, ut V. G. in Opidis, Villis, Montibus?*

61 ℞. Tunc ſufficiet petere benedictionem à Vicario Foraneo, aut à Parocho illius Eccleſiæ; quia nomine Epiſcopi, quoad hanc Juriſdictionem, venit quilibet Ordinarius, vel Superior Eccleſiaſticus loci, &c. Et S. P. Franciſcus in ſuo Teſtamen- dicit: *Et ſi haberem tantam ſapientiam, quantam Salomon habuit, & invenirem pauperculos Sacerdotes hujus ſæculi in Eccleſiis, in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipſorum: &c.* V. Peyrinum *de Subd. q. 1. c. 22.* Rodericum, *in Comp. reſol. 112.*

62 Summa Diana Coronii, V. *Regularium Privilegia in prædicando*, dicit: quòd Concionatores Regulares ſemel approbati ab Epiſcopo, concionari poſſunt in quacumque Diœceſi, dummodò Epiſcopus loci, vel Parochus non contradicat, ex Privilegio Gregorii XIII. conceſſo Societati Jeſu. Villalobos, *tom. 2. tract. 35. diff. 5. num. 2.* Et Regulari docto, & pio, præſertim itineranti, concedere poteſt facultatem prædicandi in ſua Eccleſia Parochus bis, aut ter. Ita etiam Portel, Peyrinnus, Rodericus; Barboſa, *de Off. Parochi, c. 14. n. 8.*

Quæro XLIV. *Diaconus, vel Sacerdos noſtri Ordinis poteritne licitè populo prædicare, antequam fuerit examinatus, & approbatus à Miniſtro Generali, vel Provinciali?*

63 ℞. Nequaquam; aliàs peccaret mortaliter contra Regulam noſtram, cap. 9. contra Concilium Lateranenſ. ſub Leone X. ſeſſ. 21. contra Tridentinum, ſeſſ. 5. capit. 2. de Reform. -- Lege P. Sanctorium de Melfi, *in Comment. Conſtit. & ſtat. Ordinis noſtri, cap. 9. ſtat. 1. §. 5. per totum.*

Quæro XLV. *Obtenta facultate concionandi in*

Digitized by Google

abſcondi in aliqua Eccleſia Parochiali, *per litteras patentes Epiſcopi teneriſne petere etiam licentiam à Parocho?*

4 ℞. Non; Quia ubi major, ceſſat minor juriſdictio; tum quia Epiſcopus eſt Parochus omnium Parochorum ſuæ Diœceſis. – Idem dicendum de Eccleſiis annexis principali; nam acceſſorium ſequitur ſui principalis naturam. Oſtendenda tamen erit talis facultas ipſi Parocho.

TRACTATUS LIII.

DE PRESBYTERATU EXAMEN.

QUæro I. *Quid eſt Presbyteratus, ſeu Sacerdotium?*

1 *Reſpondeo*. Eſt Ordo Sacer, quo confertur poteſtas conſecrandi, & offerendi Corpus, & Sanguinem Chriſti in Sacrificio Miſſæ, & abſolvendi fideles pœnitentes à peccatis. – *Vel* eſt Sacramentum novæ Legis, quo quis ordinatur in Sacerdotem, & recipit poteſtatem in Corpus Chriſti verum, & corpus Chriſti myſticum. – *Vel* eſt poteſtas, per quam ordinatus in Presbyterum poteſt celebrare Miſſam, & abſolvere à peccatis.

Quæro II. *Quid ſignificat hoc nomen* Sacerdos, & Presbyter?

2 ℞. Sacerdos indicat, quòd *Sacra dat*; quia proprium ejus officium eſt dare Sacramenta, conſecrare, & miniſtrare Sancta. II. Significat *Sacram dotem*; quia eſt quaſi *Sacra dos*, ex ipſo enim nomine Sanctitas, & Juſtitia deſignatur. Unde Sacerdotes *Sancti* appellantur. Sunt etiam Lux mundi, & ſal terræ; quia eorum munera ſunt, illuminare fideles doctrina, & moribus ſanctis, & Spiritus-Sancti ſapore corda omnium condire. III. Sacerdos dicitur *Sacer Dux*; quia Chriſtianæ militiæ Sacerdos debet fieri Dux aliis Fidelibus, Chriſti militibus ducatum præſtando, ad fortiter in fide vera & viva contra diabolum, mundum, & carnem debellandum, & vincendum certamen. IV. Sacerdos dicitur quaſi *Sacra docens*: quia Sacerdos debet eſſe doctus in Lege Domini, Chriſtum Crucifixum prædicando, plebem inſtruendo, cœleſtibus diſciplinis, & doctrinis erudiendo omnes, cum quibus converſatur.

3 Sacerdos vocatur etiam *Presbyter*. Presbyteri, ideſt, *Seniores*, non tam ætate, quàm pietate, moribus gravitate, virtutibus eminentes ſuper reliquum hominum genus, & vulgus. Sunt enim veluti Reges, & principes in Eccleſia Dei; quare jure merito Div. Petrus 1. epiſt. capit. 2. v. 9. ait: *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, Gens ſancta, &c.* – Et Div. Gregorius Magnus, lib. 1. Reg. capit. 2. Senes, inquit, ſunt Sacerdotes, quorum officium, quia gravitate magnæ honeſtatis impenditur, à Religionis pondere nulla puerili levitate vacuatur. – Dicuntur etiam *Presbyteri*, quaſi *Prabentes iter* aliis per formam rectè vivendi, vel beatum ad Cœlum præbentes iter per Sacramentorum adminiſtrationem; quibus ritè ſuſceptis itur ad Patriam cœleſtem. *Presbyter* enim eſt vir, cultui VERI DEI auctoritate Divina firmiter deputatus.

Quæro III. *Quænam eſt materia hujus Ordinis?*

℞. Duplex; *prima* eſt traditio Calicis cum vino, ſuperpoſita Patena cum hoſtia *ſecunda* eſt impoſitio manuum Epiſcopi Ordinantis. 4

Quæro IV. *Quare in ordinatione Diaconi Epiſcopus manum dexteram ſolum imponit Ordinando; & in hac Sacerdotis ordinatione ambas manus ſimul imponit?*

℞. Ad declarandam duplicem poteſtatem Sacerdotalem prædictam, & ad denotandam ampliorem dignitatem ejus, qui in Sacerdotem ordinatur, quàm qui in ſolum Diaconum aſſumitur. 5

Quæro V. *Quænam eſt forma hujus Ordinis?*

℞. Duplex pariter; *prima* ſunt verba prolata ab Epiſcopo in traditione Calicis cum patena, vini, & hoſtiæ, dicendo: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium* DEO, *Miſſaſque celebrandi tam pro vivis, quàm pro Defunctis: in Nomine Domini*. Et tunc 6

con-

conſertur poteſtas primaria ſupra Corpus Chriſti verum.

7 *Altera forma* ſunt alia verba prolata ab Epiſcopo in impoſitione manuum, dicendo: *Accipe Spiritum ſanctum: quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt*. Et tunc confertur poteſtas ſecundaria ſupra Corpus Chriſti myſticum, quod ſunt Fideles.

Quæro VI. *Quanam eſt nobilior poteſtas Sacerdotis?*

8 ℞. Poteſtas primaria conſecrandi, & offerend Corpus Chriſti; tum quia hæc poteſtas reſpicit objectum nobilius: tum quia eſt fundamentum alterius poteſtatis; non enim poteſt quis habere poteſtatem abſolvendi à peccatis, niſi priùs habeat poteſtatem conſecrandi.

Quæro VII. *Quare iſtæ duæ poteſtates ſimul non conferuntur, ſed ſucceſſivè?*

9 ℞. Ad majorem ſignificationem admirabilis poteſtatis Sacerdotis novæ legis. Item ad exemplum Chriſti imitandum, qui in ultima Cœna ordinavit Apoſtolos; in Sacerdotes, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem*: quibus verbis dedit eis primariam poteſtatem conſecrandi. – Poſtquam autem reſurrexit à mortuis, apparuit eis, & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*; & tunc contulit ſecundariam poteſtatem abſolvendi, & ligandi, &c.

Quæro VIII *Quid ſignificat hìc poteſtas ligandi?*

10 ℞. Negandi, videlicet, abſolutionem indignis, & indiſpoſitis; quando enim peccator non abſolvitur, remanet vinculis peccatorum ſuorum ligatus.

Quæro IX. *Suntne ambæ iſtæ poteſtates conſecrandi, & abſolvendi de eſſentia Sacerdotis?*

11 ℞. Ut quis ſit perfectè Sacerdos, ſunt ambæ neceſſariæ, & eſſentiales. Fit autem Sacerdos per primam poteſtatem; ſed incompletè; per utramque verò fit completè Sacerdos. Prima auctoritas non dependet à ſecunda; quamvis ſecunda dependeat à prima: ut dixi.

Quæro X. *Iſtæ duæ dignitates, vel auctoritates conſecrandi, & abſolvendi danturne per duplicem Characterem?*

12 ℞. Aliqui DD. dicunt, quòd ſic; quia auctoritates iſtæ ſunt diverſæ, & prima non pendet à ſecunda. Alii dicunt, quòd non; quia idem character extenditur, & ampliatur, ſeu completur. *Vel* dic, quòd ſunt duo Characteres partiales conſtituentes unum totalem, & adæquatum Characterem Sacerdotalem.

Quæro XI. *Si poſt traditionem Calicis cum ſua forma, Epiſcopus morcretur, quid faciendum eſſet?*

13 ℞. Ordinatus eſſe validè ordinatus, ſed incompletè; haberet enim primam poteſtatem ſine ſecunda, & hæc ſola eſſet conferenda ab altero Epiſcopo.

Quæro XII. *Impoſitio manuum facta prima vice ab Epiſcopo, & ab aliis ſaltem tribus Miniſtris Presbyteris eſtne materia neceſſaria Ordinationis Presbyteri?*

14 ℞. Non; ſed tantùm eſt quædam prævia Cæremonia Sacra, magni tamen momenti, numquam omittenda. Et ſi omitteretur, foret poſtea ſupplenda ex præcepto Eccleſiæ: ut habetur, *cap. Presbyter. de Sacram. non iteran.* Idem dicendum de Sacra unctione manuum presbyterandi, quæ fit ab Epiſcopo.

Quæro XIII. *Quandonam fuit inſtitutus Sacer Ordo Presbyteratus?*

15 ℞. Patet ex dictis; *In ultima Cœna*, in qua poſt inſtitutionem Sacramenti, & Sacrificii Miſſæ, Chriſtus ordinavit Apoſtolos in Sacerdotes, quoad authoritatem celebrandi. Poſt Reſurrectionem verò dedit eis alteram authoritatem abſolvendi.

Quæro XIV. *Chriſtus Dominus quare poſt ſuam Reſurrectionem dedit hanc poteſtatem Apoſtolis, & non potiùs in ultima Cœna?*

16 ℞. Quia Chriſti Reſurrectio fuit fundamentum noſtræ Spei: ut dicit Apoſtolus ad Roman. capitulo 4 v. 25. *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter Juſtificationem noſtram*. Morte enim ſua meruit nobis remiſſionem peccatorum.

Quæro XV. *Inſtituitne Chriſtus determinatam materiam, & formam Ordinis Sacerdotalis?*

17 ℞. Implicitè; non autem explicitè. Quando enim dedit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus poteſtatem ordinandi alios aliquo ſigno ſenſibili expreſſivo poteſtatis tradendæ, reliquit etiam Eccleſiæ facultatem determinandi hujuſmodi ſigna Sacramentalia in individuo, ad conferendum hoc Sacramentum Ordinis. Et quod Eccleſia determinavit; Chriſtus approbavit. Ita Bellarminus, *tom. 2. lib. un. de Sacram. Ordi-*

Digitized by Google

Ordinis, ca. 9. Card. de Lugo *de Sacram. in gen. diſp. 2. ſect. 5. numero 86.* & alii DD.

Quæro XVI. *Si aliquis Epiſcopus imponens manus alicui Ordinando, diceret*: Eſto Sacerdos: *cum intentione eum ordinandi*: *eſſetne valida Ordinatio?*

18 ℞. Hoc Quæſitum pertinet ad Ordinandum in Epiſcopum, non ad ordinandum in Sacerdotem. Nihilominus dico, quòd, cum Concilium Florentinum in Decreto ad Armenos doceat ſic dicendo; *Presbyteratus traditur per porrectionem Calicis cum vino, & patena cum hoſtia*: *& Forma ejus eſt*: *Accipe poteſtatem, &c.* talis Ordinatio foret dubii valoris, & Epiſcopus peccaret mortaliter, & teneretur ſupplere talem Ordinationem, ſaltem ſub conditione, prout Eccleſia Romana latina ſolet ordinare Sacerdotes.

Quæro XVII. *Quænam Sacramenta poteſt ſimplex Sacerdos adminiſtrare?*

19 ℞. Simplex Sacerdos ex vi ſuæ Ordinationis poteſt ſolùm conficere, & diſpenſare Sacramentum Euchariſtiæ in Eccleſia Dei; nam ad alia Sacramenta licitè, & validè conferenda requiritur Poteſtas Juriſdictionis. In caſu tamen extremæ neceſſitatis, poteſt licitè, & validè abſolvere moribundum à cenſuris, & peccatis omnibus.

Objicies. Si dixiſti, quòd *Sacerdos in ſua Ordinatione accipit duplicem poteſtatem, nempe conſecrandi, & abſolvendi*; quare igitur ex vi ſuæ Ordinationis nequit ſtatim, & ſemper abſolvere à peccatis.

20 ℞. Quia Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 14. cap. 7.* Sic docet, dicendo: Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in Subditos dumtaxat feratur: perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit: & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti Abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet Juriſdictionem. -- Ergo ex Concilio requiritur in Sacerdote abſolvente, ultra Poteſtatem Ordinis, poteſtas Juriſdictionis.

21 *Inſtabis*. Quare igitur in caſu extremæ neceſſitatis poteſt ſimplex Sacerdos abſolvere moribundum ab omnibus cenſuris, & peccatis, cùm nullam habeat tunc Juriſdictionem ſibi delegatam?

℞. Habet pro illo tunc Juriſdictionem ſibi utique delegatam ab Eccleſia univerſali; nam Concilium Trid. *loc. cit.* Subjungit: dicendo; Verumtamen piè admodum ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis; Atque ideo *omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes* à quibus peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt. Ergo pro illo inſtanti Eccleſia dat Juriſdictionem.

Quæro XVIII. *Quomodo te gereres, ſi in articulo neceſſitatis deberes abſolvere aliquem moribundum?*

℞. Auditis peccatis, vel ſaltem habito 22
aliquo ſigno Confeſſionis petitæ, abſolverem moribundum dicendo: *Ego te abſolvo à cenſuris, & peccatis tuis*. Ut docet Rituale Romanum.

Quæro XIX. *Simplex Sacerdos ex vi ſuæ Ordinationis habetne ſaltem Juriſdictionem abſolvendi pœnitentes à peccatis venialibus?*

℞. Minimè; quia nullam habet Juriſdi- 23
ctionem ordinariam, nec delegatam: ut patet ex dictis; ſed ad abſolvendum etiam à venialibus in Sacramentali Judicio requiritur Juriſdictio: ergo, &c.

Quæro XX. *Quænam alia Sacramenta poteſt adminiſtrare ſacerdos?*

℞. Simplex, & merus Sacerdos licitè 24
non poteſt aliud Sacramentum adminiſtrare, ut dixi: At habita opportuna licentia V.G. à Parocho, poterit ſolemniter baptizare, Extremam Unctionem præbere, & Viaticum adminiſtrare. Ad audiendas autem Confeſſiones requiritur licentia expreſſa Epiſcopi Diœceſani illius loci, ubi vult exercere Judicium hoc Sacramentale.

Quæro XXI. *Sacerdotes recentes, qui* Neomyſtæ *dicuntur unà cum Epiſcopo celebrantes, faciuntne verum ſacrificium, aut celebrantne de facto Miſſam?*

℞. Patet, quòd ſic. Sunt enim ordina- 25
ti, habent poteſtatem conſecrandi, intendunt cum Epiſcopo celebrare, conſecrant eamdem hoſtiam, & Calicem; ergo Miſſam celebrant.

Quæro XXII. *Eſtne una tantùm Miſſa illa, quæ à* Neomyſtis *ſimul cum Epiſcopo celebratur, dum Ordinatio peragitur, an verò tot Miſſæ, quot ſunt Ordinati Sacerdotes novelli?*

℞. Eſt una tantùm Miſſa. Ratio eſt: 26
quia licèt plures ſint celebrantes, uniuntur tamen cum Epiſcopo primario Celebran-

te

Digitized by Google

te ad conſecrandam unam, eamdemque hoſtiam; ergo unum eſt Sacrificium.

Objicies. Adſunt multæ etiam particulæ, quæ conſecrantur ad Communionem Ordinatorum; ergo non eſt una tantùm hoſtia.

27 ℞. Omnes illæ particulæ ſe habent ad modum unius hoſtiæ: vel ſunt acceſſoriæ hoſtiæ principali, ergo una tantùm eſt materia.

Quæro XXIII. *Suntne ſinguli illi novelli Sacerdotes cauſa totalis Conſecrationis, & Miſſæ?*

28 ℞. Unuſquiſque eſt cauſa totalis moralis; Epiſcopus autem eſt cauſa primaria, & principalis.

Objicies. Duæ cauſæ totales nequeunt ſimul producere eundem numero effectum; ſed illi Celebrantes ſunt ſinguli cauſa totalis (ex dictis) ergo nequeunt producere eumdem effectum Conſecrationis, & Miſſæ.

29 ℞. Argumentum valet in cauſis phyſicis; non autem in moralibus; Sacerdotes autem in hoc facto ſunt cauſæ morales; ergo plures ſimul poſſunt conſecrare eamdem numero hoſtiam.

Inſtabis. Si hoſtia non eſt præſens æqualiter omnibus, ſed tantùm Epiſcopo; quomodo ergo eadem hoſtia poterit ab omnibus ſimul conſecrari?

30 ℞. Quia omnes pendent ab ore principalis Celebrantis, qui eſt Epiſcopus; ſicque quaſi uno ore proferunt eadem verba Conſecrationis, cum intentione faciendi, quod Epiſcopus facit. Tum quia hoſtia, licèt non ſit phyſicè, & localiter præſens omnibus eodem modo, eſt tamen præſens moraliter.

Quæro XXIV. *Si unus ex prædictis Neomyſtis perficeret Conſecrationem antequam Epiſcopus ipſe terminaſſet verba conſecratoria validène conſecraret?*

31 ℞. Probabilius eſt, quòd non. Ratio eſt: quia Neomyſtæ non conſecrant, niſi dependenter ab Epiſcopo; Epiſcopus autem eſt principalis offerens, & Celebrans nam ipſe agit abſolutè, & independenter à reliquis; non è contra; ipſe ſolus ſumit ſanguinem Domini, &c.

32 *Dices*. Ille prior aliis abſolvit verba conſecrationis, & intendit formaliter, & ex animo conſecrare; ergo ille de facto conſecrabit; habet enim omnia requiſita.

℞. Regulariter, & prudenter loquendo nemo illorum Sacerdotum Neomyſtarum debet ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantùm conditionatè, ac dependenter tunc conſecrare; nam, ut dixi, in hac Miſſa præcipuus Celebrans eſt Epiſcopus, ergo alii tenentur ſe conformare intentioni, & prolationi verborum ipſiuſmet Epiſcopi. Tum quia Neomyſtæ non dicuntur *celebrare*, ſed *concelebrare* Pontifici, id eſt, ſimul cum Epiſcopo principali Miniſtro.

Quòd ſi quis illorum malitiosè compleret conſecrationem ante Epiſcopum, peccaret mortaliter; ejuſque conſecratio foret vel nulla, vel ſaltem dubia. 33

Quæro XXV. *Poſſuntne ſinguli Neomyſtæ applicare pro ſe, vel pro aliis tale ſacrificium?*

℞. Nequaquam; ſed tenentur etiam in hoc ſe conformare Epiſcopo. Tum quia una tantùm eſt Miſſa; ergo ejus applicatio ſpectat ad principalem Celebrantem. 34

Quæro XXVI. *Illæ tres Miſſæ injunctæ pro pænitentia* Neomyſtis, *ſeu Sacerdotibus novellis ab Epiſcopo Ordinante, quarum una debet eſſe* de Spiritu-Sancto, *altera* de Beatiſſima Virgine, *& tertia* pro Defunctis, *ſuntne celebrandæ ſub mortali obligatione?*

℞. I. Aliqui doctores tenent, quòd ſic; præſertim quoad ſubditos illius Epiſcopi; quia agnoſcunt materiam gravis obligationis. 35

℞. II. Alii plures DD. tenent, quòd non; quia dicunt, hoc eſſe conſilium ex quadam congruentia in gratiarum actionem pro Ordinibus ſuſceptis, & gratitudinem erga Ordinantem. Lege Dianam, Caſtropalaum, Thom. Tamburinum, & Sporerium noſtrum, *tom. 3. part. 1. cap. 6. numero* 170. Et videbis. Ego enim adhæreo priori opinioni; & ſi hic non adeſſet rigoroſum præceptum; eſt tamen hominis ingenui, & grati obſecundare tam honeſtæ petitioni Reverendiſſimi Antiſtitis. Tum quia, ſi ipſemet Epiſcopus jam applicaſſet illas Miſſas pro determinata ſua obligatione; tunc quid Juris? quid damni ſpiritualis?

At circa illas tres Miſſas relictas, & obligatas non eſt intentio Ordinantis, ut ſtatim celebrentur poſt primam Miſſam novam, ſed expectandi ſunt dies, quibus liceat ex Rubricis celebrare Miſſam Votivam, & pro Defunctis, ut obſervat Gavantus in Rubrica Miſſalis. 36

Moneo presbyterandum, ut legat omninò *tract*. 37

tract. 45. de Sacrificio Miſſæ; quia eſt valdè neceſſaria ejus cognitio pro hoc Examine: legat etiam Miſſale Romanum, *tit. De Defectibus in Miſſa occurrentibus*; quia ibi ſunt plurima dubia, quæ ſolent proponi Ordinandis ab expertis Examinatoribus; omnis enim Sacerdos tenetur ſcire, quæ ſui muneris ſunt. Legat tamdem *tract. 48. De Ordine in genere*: quia ibi pariter ſunt multa, quæ ſpectant ad hunc Sacrum Ordinem; non enim omnia hic repetenda ſunt, cùm alibi facilè reperiri poſſint in hoc Opuſculo.

38 Quæro XXVII. *Quales ſunt Veſtes Sacerdotales?*

℞. Sex numero ſunt, videlicèt, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Caſula.

39 Quæro XXVIII. *Quare ſunt tantùm Sex?*

℞. Quia numerus ſenarius denotat perfectionem. Sex enim diebus fecit Dominus Deus mundum, & omnia, quæ in mundo ſunt. Sexta ætate mundi redemit homines. Sexta die hebdomadæ, & hora ſexta diei mortuus eſt Chriſtus pro nobis: ergo Jure meritò ſex eſſe debebant Veſtes Sacerdotis Miniſtri Dei.

40 Quæro XXIX. *Quid ſignificant Veſtes Sacerdotales?*

℞. Multas, variaſque habent Sacras ſignificationes. Expoſitio Allegorica earum ad Paſſionem Chriſti eſt iſta: videlicèt, *Amictus* ſignificat velamen faciei Chriſti, vel coronam ſpineam. *Alba* veſtem albam qua Chriſtus indutus eſt ab Herode. *Cingulum* flagellum Chriſti, vel funes. *Manipulus* funem, quo manus ejus ligatæ fuerunt in captura. *Stola* ligaturam ad columnam, vel Crucem. *Caſula* purpureum veſtimentum coram Pilato. Si vis plura, lege Gavantum *in Rubr. Miſſal. p. 2. tit.* 1. Toletum, *lib. 2. c. 2. à num. 3.* Bonacinam *de Ord. diſp. 8. q. un. pun. 5. n. 44. & 45.* & Alios DD.

Quæro XXX. *Quænam eſt veſtis propria, & diſtinctiva Sacerdotis?*

℞. Eſt *Stola*, vel à collo pendens, vel 41
ad pectus in formam Crucis adaptata; quia in Eccleſia Romana ſolus Sacerdos ſic geſtat ſtolam. Et ſignificat etiam Obedientiam, qua Chriſtus mortem ſubire voluit: vel jugum legis Divinæ, quam ferre debet Sacerdos ob Chriſti amorem: vel onus imitandi Chriſtum, &c.

Quæro XXXI. *Prædictæ veſtes Sacerdotales ad Sacrificium Miſſæ neceſſariæ debentne eſſe benedictæ?*

℞. Utique; aliàs peccaret Sacerdos, 42
aut mortaliter, (ut docet Navarrus) aut ſaltem venialiter, ut docet Tonellius, *lib. 1. c. 3. §. 6. in ſuo Sacro Enchiridio.* Ubi plura ad propoſitum.

Quæro XXXII. *Miſſa deberne celebrari cum feſtinatione?*

℞. Miſſa privata, & ordinaria debet eſſe 43
ita brevis, ut non excedat mediam horam. Celebrandum eſt (inquit Gavantus *p. 3. tit. 11. num. 13.*) cum his quinque litteris, A, B, C, D, E, ideſt *Altè, Breviter, Clarè, Devotè, Exactè*. Lege Tonellium, *lib. 2. cap. un.* ubi optimè explicat quinque prædictas conditiones, &c. Item Homobonum, *part. 1. tract. 4. quæſt.* 153. Item Navarrum, *c. 16.* de Orat. & Hor. Can. ubi dicit: Peccant, qui nimis feſtinè, aut nimis tardè dicunt Miſſam; turbant namque, & diſtrahunt ſe, ſuoſque auditores: & occaſionem præbent, ut aliqui dicant, *talem Preſbyterum celebrare Miſſam Venatorum*: & è contra alii dicant *talem Sacerdotem eſſe cereorum conſumptorem*. – At ego dicerem, melius eſt, vocari Conſumptorem, quàm Venatorem. *Jacob, & Eſau* erant fratres, primus domi manebat, & erat *Conſumptor*, ſecundus in ſylvis erat *Venator*. Sed quiſnam accepit Benedictionem Paternam? Jacob. *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Rom. 9. v. 13.

TRA-

TRACTATUS LIV.

DE HORIS CANONICIS.

QUoniam verò Sacris Ordinibus annexa eſt obligatio recitandi Horas Canonicas, operæ pretium duxi, poſt Sacramentum Ordinationis tractare de hac materia, ſed breviſſimè. Igitur.

Quæro I. *Quid intelligitur nomine Horarum Canonicarum?*

1 *Reſpondeo*. Intelliguntur preces illæ vocales, quæ ex præcepto Sacrorum Canonum ab Eccleſiaſticis Perſonis nomine Eccleſiæ DEO perſolvuntur. *Seu* Intelligitur Officium Divinum, & Eccleſiaſticum in Breviario contentum, & ordinatum ad laudandum, colendum, & orandum DEUM.

Quæro II. *Unde habetur hoc præceptum recitandi Divinum hoc Officium?*

2 ℟. Habetur in cap. Dolentes: de Celebrat. Miſſar. ibi: *Diſtrictè præcipientes in Virtute S. Obedientiæ, ut Divinum Officium, nocturnum pariter & diurnum, quatenùs eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent, pariter & devotè.*

Quæro III. *Quinam tenentur recitare Horas Canonicas?*

3 ℟. Tria ſunt genera hominum Eccleſiaſticorum, qui tenentur. I. Clerici omnes in Sacro Ordine Subdiaconatus conſtituti, quamvis nullum adhuc Beneficium Eccleſiaſticum habeant, ex generali, ac immemorabili Conſuetudine Eccleſiæ. Conſuetudo enim legitimè præſcripta habet vim Legis, ergo, &c. idem dicendum de Diaconis. De Sacerdotibus autem clarè habetur textus in Jure Canonico, *cap. Presbyter. Et cap. Dolentes, cit.*

4 Iſti omnes, & ſinguli non liberantur ab hac obligatione, etiamſi fuerint Excommunicati, Suſpenſi, Interdicti, Depoſiti, & Degradati, ut cum communi docent Anacletus noſter, *tract. 6. diſt.* 1. *n.* 14. & Buſembaus, *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *art.* 1.

5 Ordinatus recens in Subdiaconum tenetur eodem die Ordinationis ſolùm ad eas Horas Canonicas recitandas, quæ correſpondent tempori illius Horæ, qua ordinatus eſt; incipiendo V. G. à Sexta, vel Nona.

Quid ſi ante Ordinationem jam dixiſſet Sextam, vel Nonam?

6 ℟. Bonacina, & alii dicunt, quòd adhuc teneretur repetere; quia quando recitavit, adhuc non tenebatur; ideòque non ſatisfecit; præſertim quando non recitavit nomine Eccleſiæ, à qua nondum deputatus erat tamquam Miniſter. Sed Trullenchus, & Diana dicunt, ſatisfeciſſe; quia potuit ſolvere anticipatè; qui enim debitum ſolvit ante diem, vel horam præfixam, revera dicitur ſolviſſe debitum ſuum; ergo à ſimili, &c. — Quæ Doctrina procedit etiam pro die, quo Religioſus facit ſuam Profeſſionem.

7 *II.* Religioſi omnes, & ſinguli (exceptis Novitiis, & Laicis, ſeu Converſis,) qui profitentur Religionem Choro addictam, tenentur ad perſolvendum Divinum Officium; tametſi ad nullum adhuc Ordinem Sacrum ſint promoti. Idque vel ratione propriæ Regulæ (ut Clerici profeſſi Ordinis Minorum,) vel ſaltem ex vi generalis Conſuetudinis omnium Religionum ſimilium; hæc enim Conſuetudo potiſſimùm eſt ratio, cur Religioſi profeſſi Choro addicti, etiam ante ſuſceptionem Sacrorum Ordinum, teneantur recitare Horas Canonicas.

8 Idem à ſimili dicendum de Monialibus profeſſis, & Choro addictis. Ut omnes DD. docent ex communi, & vera ſententia.

9 *Item* Communitas Religioſorum, & Monachorum utriuſque ſexus ex eadem generali Conſuetudine vim legis habente, tenetur ſtatutis temporibus Horas Canonicas *in Choro* perſolvere; quæ quidem obligatio in primis Prælato, vel Superiori Monaſterii, vel Conventus incumbit; ad ipſum enim ſpectat ex officio curare, ut Chorus frequentetur Divinis laudibus. Neque tamen hæc obligatio tam rigoroſè deſcendit ad ſingulos Religioſos ſubditos. Quare peccati mortalis damnari non debet, qui cæteris in Choro ritè Officium ſolventibus, ex quadam pigritia Horas in cella recitat; quamvis poſſit, ac debeat puniri à ſuo Prælato juxta Conſtitutiones ſui Ordinis.

10 Quòd ſi quis Religioſus juſto impedimento detentus, ut puta ratione Lectio-

nis publicæ, Concionis, Compoſitionis libri, Confeſſionis, &c. abſit à Choro, certum eſt, quòd nullatenùs peccat, ſi Horas poſtea privatim perſolvat; Deo enim, Eccleſiæ, ac Religioni inſervit. Tum quia Prædicatio præponitur Pſalmodiæ, & Orationi Chorali: *Vide P. Sanctorum de Meſſi, Conſtitutionum Ord. cap. 3. ſtatuto 3.*

11 *III.* Omnes Clerici Beneficiarii, ſeu Beneficium Eccleſiaſticum poſſidentes, etiamſi nullo Sacro Ordine ſint inſigniti, obligantur ad Horas Canonicas recitandas. Ita certa, & communis Sententia DD. & patet cum *ex cap. Dolentes cit.* tum ex aliis Conſtitutionibus Summorum Pontificum; ſi quidem, ut habetur cap. ult. de Reſcriptis, in *6. Beneficium datur propter Officium.*

Quæro IV. *Quanta eſt obligatio recitandi Horas Canonicas reſpectu eorum, qui ex dictis tenentur?*

12 ℟. Eſt tanta, ut peccent mortaliter, ſi eas vel in totum, vel in partem notabilem (abſque rationabili cauſa excuſante) omittant recitare quotidie. Ita omnes DD. cum P. Marchantio noſtro, *tom. 2. fol. mihi 396.*

Quæro V. *Qualis erit pars illa notabilis?*

13 ℟. Una Hora integra ex parvis Horis, videlicet, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, & Completorium, vel unum Nocturnum ex Matutino, aut quid æquivalens, cenſetur pars notabilis, cujus omiſſio voluntaria ſit mortalis. Ita communiter DD. & deſumitur, *ex cap. 1.* Clement. de Celebr. Miſſ. *& cap. Dolentes.*

Quæro VI. *Quot peccata committeret, qui totum Officium unius diei omitteret ſine cauſa?*

14 ℟. P. Leſſius tenet, tot numero peccata mortalia eum committere, quot ſunt Horæ omiſſæ; eò quòd ſingulæ Horæ ſint diſtincta Officia. Sed noſter Herinxius, aliique DD. probabiliùs ſuſtinent, eſſe unicum peccatum, gravius tamen, quia revera omittitur unicum tantùm Officium integrum unius diei, cujus Singulæ Horæ ſunt partes.

Quæro VII. *Qui omittit Officium, ad quod recitandum tenetur ratione Ordinis Sacri, & ſimul ratione Beneficii, peccatne dupliciter?*

15 ℟. Bonacina, aliique DD. dicunt, quòd ſic; quia talis Clericus Beneficiarius in Sacris conſtitutus omittendo Officium peccat & contra Virtutem Religionis, cujus intuitu obligatur ad recitandum ratione Ordinis Sacri, & peccat contra Juſtitiam ratione ſui Beneficii. Sed Diana cum aliis DD. probabiliùs tenent, quòd non; quia peccat tantùm in utroque capite contra Religionem, & præceptum Eccleſiæ ex motivo Religionis præcipientis. Tum quia talis non tenetur Jure Naturæ ad reſtitutionem fructuum, ſed ſolùm ex poſitivo mandato Eccleſiæ.

Idem dices de Religioſo in Sacris, 16 qui ex vi ſuæ Regulæ tenetur ad Officium, (*ut Clerici Ordinis Minorum*,) ſi omittat Horas Canonicas, unum tantùm facit peccatum; quia tam Eccleſia, quàm Regula ex motivo Religionis (Virtutis) id præcipit, ut alibi vidimus. *Part. 1. tract. 40. de peccatis.*

Quæro VIII. *Beneficiarius culpabiliter omittens Horas Canonicas, ad quid tenetur in conſcientia?*

℟. Obligatur ſine dubio ad reſtitutio- 17 nem fructuum perceptorum pro rata, vel portione omiſſionis. Ut habetur ex Concilio Lateran. ſeſſ. 9. Et ex Conſtitutione S. Pii Quinti incipiente, *Ex proximo.* Cuinam autem facienda ſit iſta reſtitutio? Vide infrà, num. 41. Quare meritò damnantur ab Alexandro Papa Septimo iſtæ propoſitiones, videlicet,

num. 20. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declatoriam Judicis, eò quòd ſit pœna.

n. 21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

n. 33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit.

n. 34. In die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

n. 35. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino.

Et Innocentius P. XI. hanc etiam damnavit (ad propoſitum) propoſitionem.

n. 54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem.

Quæro IX. *Officium Defunctorum in die Com-*

Digitized by Google

Commemorationis ipſorum , Litaniæ Majores in Feſto S. Marci , & tribus diebus Rogationum, ſuntne de præcepto recitandæ , à præfatis, qui ad Horas Canonicas aliàs tenentur ?

18 ℟. Suarez, Bonacina , Gavantus , Gobatus, Herinxius cum noſtro Anacleto tenent , quòd ſic ; quia tales preces cenſentur pars Officii Eccleſiaſtici pro tali die.

Dices . S. Pius Papa Quintus in Bulla Breviario Romano præfixa de prædictis precibus nullam facit mentionem ; ergo extra Chorum nemo tenebitur eas recitare.

19 ℟. Sed proindè obligationem , eas preces ſolemnes privatim recitandi non tollit. Vide Felicem Poteſt. *tom.* 1. *num.* 465.

Quæro X. *Quâ attentione debet recitari Divinum Officium?*

20 ℟. I. Attentio eſt triplex. I. Ad verba. II. Ad ſenſum verborum. III. Ad Deum, velut ad terminum noſtræ Orationis.

21 ℟. II. Aliqua ex dictis tribus attentionibus neceſſaria eſt in recitandis Horis Canonicis; alioquin recitatio Officii non eſſet actus humanus, honeſtus, & devotus; & recitare ſine ulla attentione non eſſet orare , ſed potiùs loqui more Pſitacorum avium . Qui enim recitat Horas debet ſe gerere per modum hominis Orantis , & colentis Deum Benedictum.

22 Tum quia *tit. cap. Dolentes* præcipitur, ut Divinum Officium *ſtudiosè celebretur , pariter & devotè* . Ubi Gloſſa notat , *Studiosè* quantùm ab Officium oris , verba non ſyncopando : & *Devotè* quantùm ad Officium cordis , juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 5. *Cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino.*

Quæro XI. *Qui voluntariè , ſeu ſpontè diſtraheretur , & toto animo in alia objecta (aliena à debita attentione) divagaretur , ſolummodò materialiter pronunciando Officium, ſatisfaceretne præcepto?*

23 ℟. Communior, probabilior, & ſecurior ſententia DD. tenet, & probat, quòd non . Ratio patet ex dictis. Tum quia omnis Oratio vocalis, ut ſit Oratio, debet eſſe devota, & attenta; ſed devotio, & attentio excludunt voluntarias diſtractiones ; ergo, &c. Unde de his dicit Chriſtus, Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* — Tum quia talis recitatio ſine attentione non eſt actus Religionis , ſed potiùs ſimulatio , &c. Ita Suarez, Layman, Leſſius, Reginaldus, Azorius : Navarrus, Bonacina , Cajetanus, Soto, Gabriel , & alii apud Maſtrium , *Moral. diſp.* 2. *num.* 91. Anacletus noſter , *tract.* 6. *diſt.* 1. *nu.* 43. & 44. — Felix Panormitanus , *tom.* 1. *num.* 440. — Marchant. *tom.* 2. *fol. mihi* 409.

Quæro XII. *Qui in recitando manet voluntariè diſtractus peccatne mortaliter?*

℟. Si diſtractio ſit plenè voluntaria, vel 24
in toto, vel in parte valdè notabili, niſi repetat, peccat graviter. Ratio patet ex dictis; quia nec orat , nec ſatisfacit. — Scrupuloſi tamen , Tentati & Afflicti ob diſtractionem , quam dubitant fuiſſe voluntariam, debent abſolutè conſolari; nec tenentur repetere Horas, nec confiteri; aliàs in perpetua turbatione permanebunt cum magno detrimento corporis , capitis, & Animæ. V. P. Marchantium , *tom.* 2. *fol.* 409. *ad* 411.

Præterea, ſi diſtractio non ſit plenè vo- 25
luntaria, neque cum plena advertentia ipſiuſmet diſtractionis: vel contingat ſolùm ex imperfecta animi deliberatione ; certum eſt, ſatisfieri præcepto, nec committi peccatum grave; quamvis ob negligentiam in repellendis diſtractionibus contrahantur multa venialia peccata.

De diſtractionibus omnis generis, ſpecialiter Scrupuloſorum in recitando D. Officio , Vide P. Marchantium noſtrum , *tom.* 2. *tract.* 2. *part.* 2. *tit.* 3. *ſect.* 5. *per totam*. — Lege etiam quæ diximus de Scrupuloſis, *in* 1. *part. tract.* 1.

Quæro XIII. *Si attendas , quantùm moraliter potes ad Officium , & tamen aliqua verba non percipias ob ſocii , vel Chori culpam, peccaſne?*

℟. Non; quia per ſocietatem , & meam 26
attentionem mihi moraliter poſſibilem facio Orationem Socii, vel Chori mihi communem, & ille defectus ab aliis ſuppletur, etiam nomine meo.

Quæro XIV. *Si ſis ſurdus , vel ſurdaſter , & ideò alterius Chori, vel ſocii partem audire benè non valens, ſatisfacisne?*

℟. Sic; quia ex una parte nemo ad im- 27
poſſibile tenetur; & ex alia parte, quod recitatur in Choro eſt Oratio totius Communitatis ibi exiſtentis ; ergo etiam mei præſentis , qui recito, & attendo, licèt non audiam. Ita Leander cum Felice Panormitano. In hac enim materia non debemus ſcrupulizare, nec addere onus oneri.

Quæro XV. *Advenæ, vel itinerantes poſſuntne ſe conformare Officio loci , ubi tunc ſunt?*

28 ℟. Utique. Ita Tamburinus, Mendo, & alii DD. Conſultiùs tamen eſt, ut ita ſe gerant, quòd idem Officium non cogantur iterùm alia die recitare.

Quæro XVI. *Recitaſti ex errore involuntario Officium de uno Sancto pro alio, vel de una feria pro alia: cognito poſtea errore intra ſpatium ejuſdem diei, tenerìſne denuò aliud recitare?*

29 ℟. Nequaquam; quia jam ſatisfeci ſubſtantiæ obligationis meæ; Deoque reddidi tributum per æquivalentiam.

Quæro XVII. *Horarum Canonicarum Inverſio, V. G. recitare Horas parvas ante Matutinum, &c. eſtne peccatum grave?*

30 ℟. Si fiat abſque cauſa rationabili, erit ſaltem veniale; ſi autem cum cauſa juſta fiat, nullum erit peccatum. Et in utroque caſu ſatisfit obligationi. Ita Anacletus cum communi.

Quæro XVIII. *Qui extra Chorum recitant totum ſimul officium illius diei, ſine intervallo, peccantne?*

31 ℟. Si hoc faciant cum cauſa gravi, & rationabili, non peccant, ſi autem ſine cauſa, aut ex pigritia, erit veniale; nam Horæ Canonicæ (etiam extra Chorum) debent recitari cum aliquo temporis intervallo, ut ſervetur congrua reverentia Orationibus, quæ ſingulis Horis aſſignantur, ut patet ex Breviarii Hymnis, & precibus. Ad vitandum autem mortale, ſufficit, ut omnes Horæ Canonicæ recitentur intra ſpatium diei naturalis: Et poſſunt dici cum Socio nondum Clerico, nec obligato, &c.

32 Qui verò habitu, aut mala conſuetudine ſe reducunt in finem diei ad totum recitandum Divinum Officium, ultra periculum, cui ſe exponunt, illud ommittendi, vel negligentiſſimè devorandi, expectare poterunt grande Purgatorium in alia vita. — S. Petrus Damianus narrat (in lib. 2. epiſt. 15.) Animam S. Severini Purgatoriis flammis ſuccenſam apparuiſſe cuidam amico Sacerdoti, hujuſque dexteram à Viro Sancto porrectam, ſtatim devoratam fuiſſe uſque ad oſſa; eique dixiſſe, ſe torqueri in Purgatorio; quia, dum viveret, recitaverat omnes Horas Canonicas ſine temporis debita diſtinctione. Lege Chriſtian. Inſtruct. Segneri, *Serm. 22. n. 16. Partis ſecunda.*

33 Ex recepta Eccleſiæ conſuetudine licitum èſt, recitare Matutinum cum Laudibus ſequentis diei per anticipationem, cujus regulam lege in *Kalendario Franciſcano perpetuo.* Et ſi vis regulam generalem pro quocumque menſe; ſcias, tempus hujus anticipationis eſſe *horam vigeſimam primam cum dimidio* ad Horologium Italicum.

Quæro XIX. *Eſtne peccatum mortale, ante expletum Matutinum cum Laudibus, Miſſam celebrare?*

℟. Pluſquam viginti Doctores apud Ga- 34
vantum, *Rubr. Miſſal. p. 2. tit. 1. lit. b.* (inter quos S. Antoninus, & S. Raymundus Dominicani numerantur) tenent, quòd ſic. Et è contra pluſquam viginti Auctores tenent, quòd non. Quid dices, pie Lector, in re tam dubia? Cauſa autem juſta te excuſabit, Conſule Doctores: elige opinionem Animæ tuæ faventem: Et ne, quæſo, tardes ſolvere debitum Deo.

Quæro XX. *Quænam ſunt Cauſæ legitimè excuſantes à recitatione Horarum Canonicarum?*

℟. Sunt iſtæ. *Prima*, naturalis, & in- 35
culpata oblivio recitandi. Quòd ſi quis advertat, id ſibi frequenter contingere, dum ſtatutis temporibus non recitavit, tunc culpa non carebit, tenebitur enim meliorem circa hoc attentionem habere, ac prævenire tempus ſolitæ oblivionis.

Si verò dubitet, an recitaverit aliquam 36
Horam; tunc poſſeſſio ſtat pro præcepto, & tenebitur illam recitare; niſi ſit aliquis ſcrupuloſus; quia dubia ſcrupuloſorum ſunt contemnenda, & in favorabiliorem ſibi partem reſolvenda. Ex communi DD. ſententia.

Secunda eſt gravis infirmitas capitis: id- 37
eſt, talis, ut ſine magna difficultate recitare non valeas. In dubio tamen an cauſa ſit gravis? conſulendus erit vel Confeſſarius, vel Medicus, ejuſque prudenti judicio acquieſcendum.

Tertia eſt repentina, graviſque occupa- 38
tio, cum qua Divini Officii recitatio, moraliter loquendo, conſiſtere nequeat. Quòd ſi quis prævideret ſecuturam talem occupationem, teneretur utique prævenire tempus, recitando. Quòd ſi negligeret, mortaliter peccaret: juxta communiorem DD. Ut patet de præcepto audiendi Sacrum die Feſto, &c.

Quarta eſt Impotentia phyſica. Ut ſi 39
quis fieret cæcus: vel in itinere Breviarium amitteret: & eſſet in loco, ubi nulla adeſſet ſpes habendi, &c. — An autem Sacerdos; qui cæcus evaſit, teneatur recitare cum ſocio vidente? Variant Doctores.

Ego

Ego teneo, quòd, ſi commodè poſſit habere ſocium, & ſciat memoriter Pſalmos, teneatur; aliàs non. Ita etiam cum aliis cenſet noſter Anacletus, *Tract. 6. diſt. 1. num. 84.*

Quæro XXI. *Qui hodie omiſit ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter recitationem Officii, teneturne ſequenti die illud dicere?*

40 ℞. Negativè: ut patet, quia Onus perſolvendi Horas Canonicas eſt affixum diei; obligatio autem affixa determinato diei, tranſit, tranſeunte die. Ut patet de auditione Miſſæ die Feſto, de jejuniis, & ſimilibus.

Quæro XXII. *Beneficiatus, qui culpabiliter omiſit Officium, cuinam debet facere compenſationem pro rata omiſſionis?*

41 ℞. Debet valorem fructuum perceptorum, vel percipiendorum pro rata, & parte correſpondente tali diei, in quo officium omiſit, elargiri pauperibus, vel fabricæ, & ornatui ſuæ Eccleſiæ; quia ex dictis non poteſt tales fructus in conſcientia facere ſuos.

Quæro XXIII. *Quid, ſi ipſemet ſit pauperculus?*

℞. Poterit orare, & Sacrificare pro 42
Anima Fundatoris, ſibique, ut pauperi, retinere fructus. Ita cum Navarro, & Laymanno docet Anacletus.

Quæro XXIV. *Et quid, ſi inculpabiliter omiſerit tale Officium?*

℞. In hoc caſu ad nihil teneretur. Quia 43
ubi nulla eſt culpa, ibi nulla eſſe debet pœna. Tum quia ex Conſtitutione S. Pii Quinti habentur hæc verba: *Ceſſante legitimo impedimento*: ergo, qui ob legitimum impedimentum non recitavit, nihil tenetur reſtituere; nam *Exceptio firmat Regulam in oppoſitum*: ut dicunt Canoniſtæ.

Quia plures Clerici Ordinandi poſſunt «
eſſe Beneficiati, vel beneficiandi, & de «
Beneficio examinari, ideo in gratiam ip- «
ſorum ſequentem breviſſimum conſcribam «
Tractatum. «

TRACTATUS LV.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

Quæro I. *Quid eſt Beneficium Eccleſiaſticum?*

1 ℞. Eſt Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis aliquibus Eccleſiaſticis, per aliquod Officium Spirituale alicui Perſonæ Eccleſiaſticæ authoritate Eccleſiæ conſtitutum.

Quæro II. *Quænam ſunt conſtitutiva Beneficii Eccleſiaſtici?*

2 ℞. Tria. *I.* Officium aliquod Spirituale, V. G. obligatio recitandi Horas Canonicas, vel deſerviendi alicui Eccleſiæ, vel adminiſtrandi Sacramenta, vel celebrandi certas Miſſas, &c. Et hoc eſt fundamentum, vel cauſa Beneficii; nam *propter Officium datur Beneficium*. *II.* Eſt Jus percipiendi fructus ex bonis talis Beneficii; nam *Qui Altari deſerviunt, de Altari participant*. *III.* Sunt ipſi fructus percipiendi ex bonis DEO dicatis, & tali Beneficio annexis.

Quæro III. *Laicus eſtne capax Beneficii?*

3 ℞. Nequaquam, ante omne enim Beneficium requiritur prævius Clericatus; adeò ut ſine eo quis ad Beneficium poſſidendum ſit inhabilis: *ex cap. Cauſam, de Præſcript.*

Quæro IV. *Quotuplex eſt Beneficium?*

4 ℞. *I.* Beneficia Eccleſiaſtica variè dividuntur. In primis enim Beneficia quædam dicuntur *Majora*: ut ſunt Papatus, Patriarchatus, Cardinalatus, Archiepiſcopatus, Abbatia, Epiſcopatus.

5 Alia dicuntur: *Minora*: & ſunt cætera prædictis inferiora: ut Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Canonicatus, Curatus, &c.

6 Alia ſunt *Regularia*: quæ nempe ſolis Regularibus competunt, aut pro illis tantùm inſtituta ſunt, ut Abbatia, Prioratus, &c.

7 Alia ſunt *Sæcularia*, Eccleſiaſtica tamen; quæ

quæ ſunt addicta Clericis ſæcularibus. Et hæc dividuntur multipliciter, &c.

8 Alia ſunt Beneficia *Curata*, quæ videlicet Curam Animarum habent annexam. Ut Parochia, &c. Alia non Curata, quibus nulla Cura Animarum injuncta eſt: quæ alio nomine *ſimplicia* notantur.

9 ℞. *II.* Deinde ex modo conferendi Beneficia, alia ſunt *Electiva*, quæ conferuntur per Electionem legitimè celebratam, atque à Superiore confirmatam. Alia ſunt *Patronata*, quæ ad Patroni præviam præſentationem conferuntur, & ſubſunt Jurispatronatus. Alia ſunt *Collativa*, ſeu libera, quæ per liberam Superioris Collationem conferuntur.

10 ℞. *III.* Ulteriùs Beneficia, alia ſunt *Patrimonialia*, quæ juxta fundatoris inſtitutionem non poſſunt conferri niſi Clericis ex tali Patria, loco, Parochia oriundis. Alia ſunt *non Patrimonialia*, quæ cuilibet, undecumque oriundo, & digno conferri valent.

11 ℞. *IV.* Tandem Beneficia, alia ſunt *non revocabilia*, quæ ſemel collata ampliùs adimi non poſſunt, niſi certis de cauſis à Jure expreſſis. Alia ſunt *revocabilia*, ſeu manualia, quæ ad nutum conferentis avocari poſſunt.

Quæro V. *Quænam ſunt Beneficia, quæ dicuntur* Dignitates?

12 ℞. Ea ſunt, quæ habent annexam Præeminentiam, atque adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum Imperio, & Juriſdictione, in Foro externo contentioſo: Ut V. G. Præpoſitura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, &c.

Quæro VI. *Quid eſt Perſonatus?*

13 ℞. Propriè loquendo, eſt Præcedentia ſine Juriſdictione, qualem habere cenſetur, qui præ cæteris Canonicis ſui Ordinis locum magis honorificum in Choro, in Capitulo, in Proceſſionibus, &c. obtinet.

Quæro VII. *Quid eſt Officium?*

14 ℞. In propoſita materia, eſt adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum ſine Juriſdictione, vel Præcedentia ſpeciali. Ut Sacriſta, Cuſtos, Theaſurarius, Deputatus, &c.

Quæro VIII. *Quibuſnam modis ſolent Beneficia Eccleſiaſtica conferri?*

15 ℞. Tribus præcipuè modis; videlicet Jure præventionis, Jure devolutionis, & Jure concurſus.

16 *Jure præventionis* fit, vel confertur aliquod Beneficium, quando Papa cuipiam confert gratiam expectativam ad Beneficium primò vacaturum. Ita autem hoc Jus ſic conferendi competit ſoli Romano Pontifici, ut etiam promiſſio Beneficii vacaturi facta per Prælatum quemcumque Papa inferiorem, nihil valeat, nullamque inducat Obligationem. *Ex cap. Relatum, &c.* Et *ex Concil. Lateran.*

17 *Jure devolutionis* conferuntur Beneficia à Summo Pontifice, quando propter negligentiam conferendi, vel moram eligendi ab inferioribus Prælatis, talis poteſtas devolvitur ad ipſum Pontificem Romanum. *Ex cap. Ne pro defectu, de Elect.* Et *capit. Nulla, de conceſſ. Præbend.*

18 *Jure Concurſus.* Regulariter loquendo de Diœceſibus, & Collatione Parochialium Eccleſiarum per Concurſum, lege Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 24. *de Reform. capit.* 18. Fitque, vel fieri debet modis, & formis ibi à Concilio aſſignatis.

Quæro IX. *Quibuſnam conferenda ſunt Beneficia Eccleſiaſtica?*

19 ℞. *I.* Certum eſt, Beneficia iſta non niſi dignis, atque idoneis conferenda eſſe; nam rectæ rationi adverſatur, velle aſſumere ad Officium Spirituale ſubjectum indignum, vel inidoneum. Hinc, *cap. Grave nimis, de Præbendis*, dicitur: « Grave nimis eſt, & abſurdum, quòd quidam Eccleſiarum Prælati, cùm poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica Beneficia promovere, aſſumere non verentur indignos, quibus, nec morum honeſtas, nec litterarum ſcientia ſuffragatur: carnalitatis affectum ſequentes, non judicium rationis; unde quanta Eccleſiis damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat. » *Quid clariùs?*

20 ℞. *II.* Electores, Patroni, & Collatores Beneficiorum, præſertim Curatorum, quantum in ipſis eſt, tenentur in conſcientia ſub graviſſima culpa, ad præferendum inter dignos eligendos *Digniorem*, nempe eum, quem magis tali Eccleſiæ utilem ipſi judicaverint ſecundùm rectam rationem. Communiſſima, & certiſſima ſententia, quæ deſumitur *ex cap. Metropolitano, diſtinct.* 64. — Et *cap. Licèt* 8. *qu.* 1. ibi: *Qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur.* Lege D. Thomam 2. 2. *quaſt.* 63. *art.* 1. *& quaſt.* 185. *artic.* 5. Cardin. de Lugo, *tom. de Juſtit. & Jure, diſputat.* 35. *ſect.* 2. *num.* 10. Lege omnes antiquos, & modernos libros graviſſimorum DD. &

vide-

Digitized by Google

videbis hanc veritatem ſole clariorem.

21 Hinc Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. expreſsè proteſtatur, dicendo: *Alienis peccatis communicantes mortaliter peccare eos, qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent.* Quorum verborum ſenſum, cæteroquin admodùm clarum, & ſincerum, nonnulli DD. ſiniſtra interpretatione conantes pervertere, damnati ſunt ab Innocentio Undecimo in propoſitione hac damnata; quæ eſt la 47.

„ Cùm dixit Concilium Tridentinum: „ eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores, „ & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint, „ ad Eccleſias promovent. Concilium, vel „ primò videtur per hoc: *Digniores*, non „ aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundò locutione minùs pro„ pria ponit *Digniores*, ut excludat indignos; „ vel tandem loquitur tertiò; quando fit „ Concurſus. -- *Hæc eſt damnata.*

22 Reſolutio prædicta procedit, & intelligitur non ſolùm de eligendis in Epiſcopos, vel Parochos, ſed etiam de omnibus illis, qui habent ex officio Curam Animarum, ſive ſint Eccleſiaſtici ſæculares, ſive Regulares, ob identitatem rationis; ut cum multis probat Joannes de Cardenas *in ſua Criſi Theol. ad dictam propoſitionem damnatam.*

23 Qui Cardenas (cum Anacleto noſtro, *Tract.* 11. *diſt.* 1. *num.* 47.) advertit, & notat, neque Concilium Trid. cit. neque damnationem allegatam agere de Beneficiis ſimplicibus, ſeu nullam Animarum Curam habentibus; nam ibi expreſsè Concilium loquitur *de Paſtoribus Eccleſiarum.* Unde multi DD. tenent, non eſſe peccatum mortale, prætermittere digniorem, dummodò verè dignus eligatur ad ſimplex Beneficium.

24 Item Reſolutio prædicta intelligenda eſt de Beneficiis non Patrimonialibus; nam in Beneficiis Patrimonialibus (quando nimirùm ex primæva fundatione, ſtatuto, vel conſuetudine, certo generi Perſonarum, V. Gr. Patriæ, loci, familiæ conferendum eſt tale Beneficium) non eſt ita in poteſtate Eligentium eligere meliorem, vel digniorem; dummodò bonus, & dignus eligatur.

25 Prætereà, quando Patronus (jus eligendi, vel nominandi habens) præſentat Clericum dignum ad tale Beneficium, tenetur Epiſcopus eum inſtituere; non obſtante, quòd judicet aliquem alium non præſentatum eſſe digniorem.

Quæro X. *Quinam cenſeri debet eſſe Dignior in hac materia?*

℟. Erit ille, qui, comparatione aliorum concurrentium majorem ſufficientiam, & aptitudinem ad tale miniſterium habere dignoſcitur. Quæ quidem major ſufficientia, vel aptitudo non eſt præcisè menſuranda ex majori doctrina, vel probitate, aut nobilitate: ſed conjunctim ex omnibus Animæ, & corporis dotibus, quæ reddant hunc Eccleſiæ magis utilem præ cæteris; quia iſta *major dignitas* debet reſpicere Bonum commune, & redundare in majorem utilitatem illius Communitatis. Unde ſæpè accidit, ut minùs ſanctus, vel minùs doctus, cùm ſit magis prudens, induſtrius, & activus, magis etiam proſit Regimini Eccleſiæ: ut notat D. Thomas 2. 2. *qu.* 63. *art.* 2. Et quidam Epiſcopus dicebat: *vellem te eſſe minùs doctum, & magis prudentem*; nam Chriſtus Dominus laudans miniſtrum Eccleſiæ, ait: Luc. 12. *Fidelis Diſpenſator, & Prudens.* 26

Quæro XI. *Ad obtinendum Beneficium Eccleſiaſticum quænam Conditiones requiruntur?*

℟. Multæ; ſed præcipuè iſtæ. *Prima.* Ut quis ex legitimo Matrimonio natus ſit. Illegitimus enim cujuſcumque Beneficii incapax eſt; niſi cum eo diſpenſetur, *cap. Is, qui, in 6. & c. Litteras de fil. Presbyt.* 27

Secunda, ut ſaltem Prima Tonſura initiatus ſit; nam aliàs quilibet, & ad quodlibet Beneficium inhabilis exiſtit; adeò etiam, ut non ſufficiat poſt illud acquiſitum tonſurari; *ex cap. ex litteris, de Tranſactione.* Quinimò, ſi Beneficium ex ſua Inſtitutione requirat certum Ordinem, quicumque caret eo Ordine, inhabilis cenſeatur, &c. niſi fortè dictum Ordinem intra tempus à Jure præſcriptum obtinere valeat; prout adeptus Eccleſiam Parochialem ſatisfacit, ſi infra annum, à ſibi commiſſi regiminis tempore numerandum, ſe faciat ad Sacerdotium promoveri, *capit. Licèt Can. de Elect. in 6.* 28

Tertia; ut habeat legitimam ætatem, niſi cum eo diſpenſetur, *cap. cum in cunctis, de elect.* -- Porrò pro quocumque Beneficio obtinendo, ad minimum requiritur 29

ſunt. Ut V. G. Beneficia ſimplicia non requirentia perſonalem Reſidentiam: vel quorum unum requirit, alterum verò non requirit talem Reſidentiam.

41 Beneficia è contra incompatibilia, ſunt, quæ oriuntur ex aliquo dictorum capitum *ſuprà, num.* 37. Adde, vel quæ ex Jure communi Eccleſiaſtico, aut ex Conſuetudine continuam reſidentiam perſonalem poſtulant.

Quæro XVIII. *Quænam ſunt pœnæ recipientium plura Beneficia incompatibilia?*

42 ℞. Si abſque diſpenſatione Pontificia quis reciperet duo Beneficia incompatibilia (aliquo ex dictis modis,) per receptionem ſecundi Beneficii mox priori Beneficio privatur ipſo Jure: ut diximus *ſuprà, numer.* 34. tum ex *cap. De multa, de Prabend.* juncta Extravaganti, *Execrabilis*, §. *Qui verò, eod.* Accedit Concil. Trident. *ſeſſ.* 7. *cap.* 4. *de Reform.* quod prædicta jura innovavit.

43 Neque opus eſt Sententia Judicis, ut hæc privatio modernis temporibus incurratur; quia ipſo facto inducitur; prout liquet ex citat. cap. *De multa: de Prabend.* juncto Concilio loc. cit. nam ſtatim amittitur jus retinendi illud.

44 Ulteriùs, ſi quis prius Beneficium unà cum ſecundo retinere contenderit, etiam ſecundo Beneficio privatus exiſtit ipſo Jure; *ex cit. cap. De multa*, & Fagnano, *ibi num.* 6. & 8.

Quæro XIX. *In aliquo caſu poteritne eſſe licitum habere plura ſimul Beneficia?*

45 ℞. Affirmativè. Et I. Per legitimam diſpenſationem Papalem. II. Quando Beneficia ſunt compatibilia, quorum unum non ſufficiat ad honeſtam illius Clerici ſuſtentationem. III. Si Eccleſia Parochialis ob tenuitatem fructuum non ſufficiat ſuſtentationi Parochi, cum eo Beneficio Curato poterit uniri aliud non Curatum, &c. ſeu ſimplex Beneficium. Vide plura apud DD. cit.

Quæro XX. *Quid eſt Renunciatio Beneficii Eccleſiaſtici?*

46 ℞. Eſt ſpontanea Beneficii dimiſſio facta coram legitimo Superiore id acceptante. Ad quam tamen requiritur juſta cauſa, alioquin Superior, eam admittere non tenetur, nec debet.

Quæro XXI. *Poteſtne fieri Renunciatio ſui Beneficii in favorem Tertii?*

℞. Renunciatio, ſeu Reſignatio in favorem Tertii, ſeu cum clauſula *Non aliter, &c.* ob ſpeciem Simoniæ, quam præfefert; juxta ſtylum Curiæ non poteſt fieri, niſi in manus Summi Pontificis. Ita Navarrus, Leſſius, & Engel *tit. de Renunc. num.* 8. 47

Quæro XXII. *Poteſtne licitè fieri Permutatio Beneficiorum?*

℞. Si fiat de licentia, & auctoritate legitimi Superioris inter Perſonas idoneas, licitum erit. Ita ex Canonum textibus. *Cap. Quaſitum. De rerum Permut.* & *Clementin. un. eodem.* Dummodò non interveniat pactio, quæ labem ſemper continet Simoniæ, *cap. cit. Quaſitum.* 48

Quæro XXIII. *Quænam ſunt Obligationes Beneficiariorum?*

℞. I. Pro diverſitate Beneficii datur diverſa obligatio, & etiam ex vi fundationis diverſo modo factæ oritur diverſa obligatio. Dantur tamen obligationes quædam communes omnibus Beneficiatis, quarum 49

Prima eſt, recitare quotidie Horas Canonicas, ut vidimus alibi. *Secunda* eſt, adimplere onera annexa tali Beneficio. *Tertia*, geſtare habitum, & tonſuram. *Quarta* conſervare Jura ſui Beneficii. *Quinta* manutenere arbitrio boni viri bona mobilia, & immobilia proprii Beneficii. *Sexta*, reſidere in loco Beneficii, quando ratio, vel inſtitutio id poſtulat. *Septima*, expendere ſuperflua victui, naturæ, & ſtatui in pios uſus. Si vis plura Lege Valerium Reginaldum, *lib.* 30. *tract.* 3. *per totum diffusè.* 50

Hic agendum eſſet *De Simonia*, quæ poteſt contingere in conferendis, & procurandis Beneficiis; ſed ut diſtinctiùs procedamus, in ſequenti Tractat. de ipſa erit ſermo brevis.

TRA-

TRACTATUS LVI.

DE SIMONIA.

QUæro I. *Unde oritur hoc nomen* Simonia?

1 *Reſpondeo*. Simonia nomen duxit à *Simone mago*, qui, cùm vidiſſet, quòd per manuum impoſitionem daretur ab Apoſtolis Spiritus-Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: *Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum*. Act. cap. 8. Cui S. Petrus Princeps Apoſtolorum reſpondit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, &c.*

Quæro II. *Quid eſt peccatum Simoniæ?*

2 ℟. *I.* Eſt ſpecies Sacrilegii; quia vendere rem Sacram, vel ſpiritualem pretio temporali, eſt peccatum contra reverentiam Deo in tali re debitam. Bona enim ſpiritualia, & Sacra gratis danda ſunt, juxta illud Chriſti Matth. 10. *Gratis accepiſtis: gratis date.*

3 ℟. *II.* Simonia autem ſic definitur: Eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, pretio temporali. Ita Gloſſa, *in Rubr. tit. Simonia.*

4 ℟. *III.* Ille igitur cenſetur Simoniacus, qui res Divinas, & Eccleſiaſticas non ad hoc, ad quod inſtitutæ ſunt, ſed ad propria lucra, munere linguæ, vel indebiti obſequii, vel pecuniæ, largitur, vel adipiſcitur. *Ita Canon, Salvator, 1. qu. 3.*

5 ℟. *IV.* Unde quidquid pecunia eſt æſtimabile, ut eſt munus à lingua, munus ab obſequio, & munus à manu, vel pecunia, dicitur habere rationem pretii temporalis, & ſapere Simoniam. *Cap. ſunt nonnulli, 1. qu. 1.*

6 ℟. *V.* Simonia ex ſuo genere eſt peccatum mortale, quod non admittit parvitatem materiæ; unde quælibet Simonia, non poteſt excuſari à culpa gravi, niſi ob inconſiderationem, aut ignorantiam invincibilem.

7 ℟. *VI.* Sacri Canones appellant Simoniam Execrabile vitium, Turpiſſimum lucrum, Piaculare Flagitium, Peſtem Simoniacam, Hæreſim Simoniacam, ad cujus comparationem omnia Crimina pro nihilo reputantur. Ut videre eſt in his Canonibus, *cap. Reperiuntur, cap. Quinque, & ſeq. 1. qu. 1. cap. Patet, 1. quæſt. 7. & cap. Per tuas, de Simonia: & alibi.*

Quæro III. *Quotuplex eſt Simonia?*

℟. *I.* Duplex; nempe quæ eſt contra 8
Jus Divinum, & quæ eſt contra Jus Canonicum. *Prima* eſt prohibita propter malitiam ſuam intrinſecam: ut V.G. Vendere Sacramenta. *Secunda* eſt mala, quia prohibita ab Eccleſia. V. G. cùm Eccleſia prohibet ſumi, vel exigi pretium pro aliqua re, vel functione, propter connexionem cum re Sacra.

Unde in definitione Simoniæ, qua dicitur *Deliberata voluntas contrahendi ſpirituale, vel ſpirituali annexum*, habetur hæc diſtinctio, ut patet, *Contrahendi ſpirituale*: ecce Simonia contra Jus Divinum. *Contrahendi ſpirituali annexum*: ecce Simonia contra Jus Canonicum.

℟. *II.* Utraque Simonia eſt triplex, ſci- 9
licet, Realis, Conventionalis, & Mentalis.

Realis Simonia eſt, quando pactio ex utraque parte impleta eſt, ſaltem inchoatè: Ut V. G. Si Collatio Beneficii Eccleſiaſtici facta eſt, & viciſſim pretium pactum ſolutum eſt: aut ſaltem pars pretii jam data eſt.

Conventionalis Simonia eſt, quando pro- 10
ceditur ad externam conventionem, vel pactum, expreſsè, vel tacitè factum, dandi, vel recipiendi aliquid temporale pro tali Beneficio Eccleſiaſtico, &c.

Huic ſpeciei conventionalis Simoniæ 11
additur alia, quæ vocatur *Confidentialis*: & eſt, qua quis cuipiam Beneficium Eccleſiaſticum procurat, V. Gr. eligendo, præſentando, reſignando, confirmando, vel alio quovis modo procurando, ut detur tali, cum certa Confidentia, vel pacto tacitè, vel expreſsè inito, ut is, qui Beneficium accepturus eſt, illud ipſum Beneficium acceptum poſtea cedat ſibi procuranti, vel alteri, ut puta fratri, nepoti, &c. Et contra hanc ſpeciem Simoniæ Confidentialis edidit Pius P. Quartus ſeveriſſimam Bullam, quæ incipit: *Romanum Pontificem*: Conſtitur. 85. dicti Papæ; in qua ſub graviſſimis pœnis illam Simoniacam

Digitized by Google

niacam labem prohibuit, quam prohibitionem innovavit S. Pius Quintus in ſua Conſtit. 85. *Intolerabilis*.

12 *Simonia mentalis* eſt internum propoſitum committendi aliquam ſpeciem Simoniæ. Vel quæ quidem aliquem actum externum habet, qui ſapit Simoniam, malitia tamen ejus non ſe prodit exteriùs, ſed in ſola mente manet: eò quòd nullum pactum externum fiat.

Quæro IV. *Enumera mihi aliqua capita, quæ ſapiant Simoniam contra Jus Canonicum?*

13 ℞. I. Venditio Beneficiorum ſecundùm id, quod temporale eſt, ſeu Jus percipiendi fructus. II. Venditio Officiorum extrinſecè tantùm ordinatorum ad res ſacras. III. Oblatio pecuniæ alicui, ut ſuadeat Epiſcopo, qui det Beneficium. IV. Aliquid dare, vel recipere pro informando Prælato de bonis qualitatibus prætendentis Beneficium.

14 V. Dare, vel mittere Prælato munera ad alliciendam ejus voluntatem in ſpecie ad Beneficium tibi conferendum. VI. Inſervire Prælato, intendendo principaliter, ut poſtea tibi tribuat Beneficium, &c. VII. Pactum inire de reſignando Beneficio, vel de ſolvenda Penſione, ſi alter tibi impetret tale Beneficium. VIII. Permutare, vel reſignare Beneficium, vel ſibi reſervare Penſionem ex Beneficio reſignato, vel permutato, ſine auctoritate Superioris.

15 IX. Acceptare munera etiam ſponte oblata pro examine ad Parochiale Beneficium, vel pro Collatione Ordinum: vel pro litteris dimiſſoriis, Parentibus, &c. excepta decima parte aurei pro Cancellario, &c. X. Exigere pecuniam pro admiſſione ad profeſſionem Religioſam, excepta dote, & aliis, quæ habentur in Conc. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul.* -- XI. Dare pecuniam, vel aliud temporale Patrono Beneficii, etiam ſimplicis, ut tibi illud conferat. -- XII. Dare pecuniam, vel aliud quid temporale Electoribus Beneficiorum ſive Sæcularium, ſive Regularium. -- Vide plura apud Felicem Panormitanum, *tom. 1. part. 2. c. 4. à n. 1201. & ſeq.*

Quæro V. *Eſtne peccatum Simoniæ dare, vel accipere aliquid temporale pro Miſſis celebrandis, pro Concionibus faciendis, & pro Sacramentis adminiſtrandis non ex officio?*

16 ℞. Si detur, vel accipiatur illud temporale emolumentum tamquam pretium, utique erit Simonia contra Jus Divinum, & Eccleſiaſticum. Si verò detur, vel accipiatur pro juſta, & congrua ſuſtentatione; nequaquam erit Simonia, neque peccatum. Ut cum communi probat P. Anacletus, *tract. 5. diſt. 3. nu. 28. Theol. Moral.*

Quæro VI. *Dare temporale tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, eritne Simonia?*

17 ℞. Utique erit; ideòque damnata eſt ab Innocentio P. XI. hæc propoſitio, quæ eſt la 45. -- Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia: quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale: vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

18 Item damnata eſt ab eodem Pontifice hæc, quæ eſt la 46. -- Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale. Imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis; ſic ut illud plus æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

Quæro VII. *Eſtne etiam peccatum contra Juſtitiam, Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis?*

19 ℞. Eſt contra Juſtitiam diſtributivam, quæ vult, ut Beneficia communia conferantur dignioribus: & Eccleſia præcipit, ut gratis conferantur. Indeque damnata fuit ab Alex. Papa VIII. hæc propoſitio, quæ eſt la 22. Non eſt contra Juſtitiam, Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis; quia Collator conferens illa Beneficia, pecunia interveniente; non exigit illam pro Collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi, conferre non tenebatur.

Quæro VIII. *Daturne Simonia palliata?*

20 ℞. Utique. Sicut enim Uſura variis modis palliari poteſt, ita & Simonia. V. G. Si ſpondeas cum tuo Prælato, aut cum interceſſore pro centum V. G. aureis, quod non tibi, ſed alteri ſit tale Beneficium collaturus: Simoniam palliatam committis; quia tali aſtutia intendis tacitè movere; unde non eſt ſponſio, nec fidejuſſio, ſed emptio talis Beneficii.

Idem dic de dante mutuum cum ſpe, &c. & de quovis alio contractu inito in favo-

tribuit Simoniaco Beneficiato, adeòut nec inde fructus faciat ſuos, ſed ad illorum omnium reſtitutionem ſub Animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus, ut habetur clarè *in Extravaganti, Cùm deteſtabile, de Simonia. Et extravag. Sanè. Et Extravag. 2. de Simonia.*

34 Unde DD. inferunt, talem Simoniacum Beneficiatum teneri in conſcientia Beneficio taliter acquiſito renunciare; niſi à Papa obtineat diſpenſationem. *V. Angelum in Summa, V. Renunciatio, num.* 13. — Sylveſtrum *in Summa. V. Simonia, quæſt.* 13. §. 8. Anacletum, *Tractat.* 5. *diſtinct.* 3. *numer.* 50

35 Et quamvis quis obtinuerit Beneficium ſine proprio peccato Simoniæ, nec conſequenter ipſe ſit Simoniacus; tamen, ſi talis proviſio Simoniacè facta ſit ab aliis (etiam ipſo ignorante, nec ratum habente actionem Simoniacam aliorum) ipſa quoque proviſio, electio, confirmatio, &c. irrita eſt, ſecundùm opinionem Laymanni, *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap. ult.* §. 7. *num.* 73. contra Navarrum, *Conſ.* 95. *de Simonia, edit.* 2. qui tenet, non eſſe irritam ipſo jure, ſed irritandam. At poſt expletum triennium in bona fide, ad nil tenetur. Ita Clericatus *in Erotem. cap.* 35. *quæſt.* 9.

Si autem ille electus (ut ſuprà) expreſſè contradixerit? Tunc excuſatur: Laym. cit. — Si vis plura, conſule citatos, alioſve Doctores. 36

" At quia Ordinandi, & Beneficiandi poſſunt examinari etiam de Cenſuris, & Irregularitate, de his etiam inſtituam brevem Tract. ſequentem in gratiam illorum. "

TRACTATUS LVII.

DE CENSURIS.

QUæro I. *Quid eſt Cenſura Eccleſiaſtica?*

1 ℟. Eſt pœna medicinalis, & temporanea privans hominem Chriſtianum uſu aliquorum ſpiritualium bonorum.

Quæro II. *Quare dicitur pœna?*

2 ℟. Ratione privationis bonorum ſpiritualium.

Quæro III. *Quare vocatur Pœna Medicinalis?*

3 ℟. Quia ordinata eſt ab Eccleſia Pia Matre ad excitandum peccatorem, ut citiùs ſanetur per emendationem, & correptionem.

Quæro IV. *Reo igitur correcto, & emendato in Foro conſcientiæ, ceſſabitne Cenſura?*

4 ℟. Minimè; quia adhuc indiget abſolutione facienda ſibi à Superiore Eccleſiaſtico, qui illam tulit Cenſuram. Tum quia oppoſitum aſſerere eſt damnatum ab Alexandro Septimo in propoſitione 44. quæ dicebat: *Quoad Forum conſcientiæ, Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant Cenſuræ.*

Quæro V. *Quare dicitur Pœna Temporanea?*

5 ℟. Quia ſublato peccato, poteſt Chriſtianus æternaliter ſalvari, remanente adhuc Cenſura quoad Forum externum? *Vel*, quia ſubſecuta emendatione, illa Cenſura poteſt tolli ab habente authoritatem. *Vel*, quia durat ad tempus, donec auferatur.

Quæro VI. *Quænam ſunt illa Bona, quibus Cenſura privat hominem?*

℟. Sunt Bona quædam communia omnibus Chriſtianis, nempe participatio paſſiva, & activa Sacramentorum, Sacrificiorum, Suffragiorum, & ſatisfactionum Eccleſiæ Dei. 6

Quæro VII. *Quare Cenſura privat hominem Chriſtianum his bonis?*

℟. Quia ſolus Chriſtianus participat de his bonis, velut membrum unitum Eccleſiæ per Baptiſmum. 7

Quæro VIII. *Quot ſunt ſpecies Cenſurarum?*

℟. Tres; nempe Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum. 8

Quæro IX. *Irregularitas an non erit Cenſura?*

℟. Propriè loquendo, non eſt Cenſura, ſed tantùm Canonicum impedimentum ad Ordines Eccleſiaſticos. 9

De

De Excommunicatione .

Quæro X. *Quot ſunt ſpecies Excommunicationis?*

10 ℞. Duæ : Major videlicet , & Minor. Et hæ vel ab Homine poteſtatem habente, vel à Jure infliguntur. *A Jure*, ideſt, à Sacris Canonibus, & Bullis Pontificiis. *Ab Homine*, ideſt à Superiore Eccleſiaſtico vivente, &c.

Quæro XI. *Quænam eſt differentia inter* Excommunicationem Majorem , & Excommunicationem Minorem?

11 ℞. Magnum eſt diſcrimen. Quia *Major* privat participatione , & adminiſtratione Sacramentorum, & aliis bonis Eccleſiaſticis. *Minor* verò privat tantùm paſſiva participatione Sacramentorum , & Eccleſiaſtici Beneficii.

Quæro XII. *Quid ergo erit Minor Excommunicatio?*

12 ℞. Eſt Cenſura, vel pœna Eccleſiaſtica privans hominem Chriſtianum participatione paſſiva Sacramentorum, & Beneficii Eccleſiaſtici. Ideſt, talis homo licitè non valet recipere Sacramenta Eccleſiæ, nec Beneficium aliquod Eccleſiaſticum.

Quæro XIII. *Ob quam cauſam , vel culpam incurritur iſta Minor?*

13 ℞. Ob hanc ſolùm , nempe propter Communicationem irrationabilem cum Excommunicato vitando, publico, notorio, &c.

Quæro XIV. *Tu ſcis , Titium percuſſiſſe D. Cajum Clericum , poteriſne cum illo ſine periculo peccandi , vel contrahendi hanc Minorem Cenſuram, loqui, converſari, &c.*

14 ℞. Si Titius habeat aliquam bonam ſe excuſandi rationem : vel ejus Major Cenſura aliquo Juris ſuffragio , aut tergiverſatione celari poſſit, vel interpretari: dico, quòd poſſum. Quia ſic loquuntur *Concordata de Excommunicatis non vitandis*. Apud Bertau, *tract.* 1. *cap.* 4. Et Anacletum noſtrum, *tractat.* 13. *diſt.* 2. *num.* 37. Ubi dicit : Notorius percuſſor Clerici tunc eſt vitandus, quando ejus factum adeò notoriè conſtat , ut non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo Juris ſuffragio excuſari.

Quæro XV. *Quando dicunt Jura, vel Canones*, communicantem cum Excommunicato, incurrere ſimilem Cenſuram, *quid volunt indicare?*

15 ℞. Senſus eſt , quòd *ſimiliter*, ideſt, verè incurrat Excommunicationem , licèt Minorem , ut dicit cum communi Buſembaus, *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 2.

Quæro XVI. *Excommunicatus Minori Cenſura , recipiendo aliquod Sacramentum , peccatne?*

16 ℞. Niſi priùs abſolvatur , utique peccat; at facilè abſolvitur; quia hæc Cenſura nulli eſt reſervata; unde omnes Confeſſarii regulariter abſolvunt pœnitentes ab omni vinculo Excommunicationis; ergo etiam ab hac Cenſura.

Quæro XVII. *Si ipſemet Confeſſarius eſſet hac Minori Cenſura ligatus , peccaretne abſolvendo alium?*

17 ℞. Probabile eſt , non peccare neque venialiter; quia hæc Cenſura privat tantùm participatione paſſiva, non activa, &c.

Quæro XVIII. *Quid eſt Excommunicatio Major?*

18 ℞. Eſt Cenſura , vel pœna Eccleſiaſtica, qua homo baptizatus exteriùs ſeparatur à Communione Fidelium.

Quæro XIX. *Quibus bonis privat?*

19 ℞. Privat participatione tam paſſiva , quàm activa omnium Sacramentorum , precium publicarum, conſortio Fidelium, ſuffragiis , Indulgentiis , Officiis Divinis publicis, Sacrificiis, &c. (ita ut ſub mortali talis Excommunicatus nequeat intereſſe Sacrificio Miſſæ , aliiſque publicis Officiis , Orationibus , Horis Canonicis , Proceſſionibus, &c.) Collationibus Beneficiorum Eccleſiaſticorum , Gratiis , ac Privilegiis Pontificiis , Communicatione Civili, & Forenſi, uſu Juriſdictionis, & Sepultura Eccleſiaſtica , ita ut non poſſit ſepelliri in loco Sacro , vel benedicto. Non privatur tamen publica Concione , etiam ſi fiat in Eccleſia, &c. V. Lezana, *tom.* 3. *V. Excomm. num.* 19.

Quæro XX. *In quibuſnam caſibus non licet communicare cum Excommunicato vitando?*

20 ℞. In his comprehenſis hoc verſu , videlicet :

Os, Orare, Vale, Communio, Menſa negatur.

Quæro XXI. *Suntne aliquæ juſtæ cauſæ excuſantes ab omni culpa , & Cenſura Minori eos, qui communicant in prædictis caſibus cum Excommunicato, aliàs vitando?*

21 ℞. Maximè : iſtæ nempè, & ſingulæ, quæ ſequenti verſu continentur , videlicet :

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Neceſſe.

Quæ-

Quæro XXII. *Quænam ſunt Excommunicationes, quæ dicuntur* latæ ſententiæ?

22 ℞. Sunt illæ, quæ ipſo Jure, vel ipſo facto, ſeu poſito delicto, mox incurruntur; prout Jura dicunt.

Quæro XXIII. *Quænam autem ſunt, quæ dicuntur* ſententiæ ferendæ?

23 ℞. Sunt illæ, quæ è contra non ſtatim incurruntur, ſed requirunt Judicis Eccleſiaſtici ſententiam formalem, &c.

Quæro XXIV. *Quiſnam poteſt ferre Cenſuras?*

24 ℞. Omnis, & ſolus Superior Eccleſiaſticus habens in Foro externo, vel contentioſo Juriſdictionem, ſive Ordinariam, ſive Delegatam.

Quæro XXV. *In quoſnam poſſunt ferri Cenſuræ?*

25 ℞. In omnes, & ſolos ſubditos, juſtaque de cauſa.

Quæro XXVI. *Ob quam cauſam poteſt ferri Cenſura?*

26 ℞. Ob ſolum peccatum externum: quod regulariter debet eſſe grave, & conſummatum in ſua ſpecie.

Quæro XXVII. *Requiriturne Contumacia ad incurrendam Cenſuram?*

27 ℞. Utique. Eſt autem Contumacia quædam inobedientia formalis contra Eccleſiæ, vel Superioris Eccleſiaſtici mandatum, & auctoritatem.

Quæro XXVIII. *Quomodo committitur hæc Contumacia peccatum?*

28 ℞. Dum quis agnoſcit, actionem talem eſſe prohibitam ſub tali Cenſura, & nihilominus vult illam exequi. Idem dic de Ommiſſione, &c.

Quæro XXIX. *Sufficitne peccatum grave abſque hac Contumacia ad incurrendam aliquam Cenſuram?*

29 ℞. Non; etiamſi peccatum ex ſe foret graviſſimum; quia, ut dicunt Doctores communiter, ad incurrendam hanc, vel illam Cenſuram, peccans debet eſſe *rebellis*; ergo debet cognoſcere Cenſuram, vel prohibitionem Eccleſiæ ſub tali pœna.

Quæro XXX. *Qui per annum perſiſteret in ſua Contumacia, & Cenſura, quomodo eſſet cenſendus?*

30 ℞. Eſſet judicandus ſuſpectus de hæreſi, & contra eum, ut talem, procedi poſſet; ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de Reform.*

Quæro XXXI. *Danturne aliquæ Cauſa excuſantes ab incurrenda Cenſura?*

℞. Maximè: iſtæ duodecim.

Prima. Si quis rationabiliter crederet, ſe non commiſiſſe, niſi peccatum veniale; quia hæc materia non eſſet ſufficiens pro tanta pœna. Filliucius, *tract.* 11. *numer.* 238. 31

Secunda. Si quis deſtitiſſet à contumacia ante decretam, & publicatam Excommunicationem, vel aliam Cenſuram, cum voluntate reparandi damnum, &c. Suarez, *tom.* 5. *in* 3. *part. diſput.* 4. *ſect.* 5. *num.* 11. 32

Tertia. Si illud feciſſet ex ignorantia Cenſuræ, ſive illa ignorantia ſit *Juris*, ſive *Facti*. — Bonacina *de Cenſur. diſput.* 1. *quæſt.* 2. *p.* 1. *num.* 6. 33

Quarta. Si delinquens non habeat ſeptennium ætatis, quoad Cenſuras à *Jure* inflictas, vel non compleverit annum decimum quartum, quoad Cenſuras infligendas *ab Homine*, ut colligitur *ex can. final. extra, de delict. puer.* Imò nonnulli DD. tenent, proprium omnis Cenſuræ eſſe, non ligare pueros ante annos pubertatis, excepta ea, quæ fertur *in cap. ſi quis ſuadente*. Summa Diana Cotonii, *V. Cenſura*, ut ſic, *num.* 10. 34

Quinta. Cauſa rationabilis, vel ut talis probabiliter exiſtimata, qua quis credat, ſe in tali actione à Cenſura exemptum eſſe; nam hujuſmodi bona fides excludit & peccatum, & contumaciam. Cajetanus *in Sum. V. Feſta prohibita*. 35

Sexta. Impotentia, ratione cujus quis Eccleſiæ præcepta adimplere non poſſit; quia Eccleſia non obligat ad magnas difficultates, Suarez *cit. tom.* 5. *diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 7. & 13. 36

Septima. Compenſatio juſta, ſed occulta; ita ut quis non accipiens de bonis alterius, niſi pro rata illius, quod ſibi injuſtè detinetur ab altero, excuſetur à præcepto Eccleſiæ reſtitutionem mandantis ſub Cenſura, &c. Bertaù *Tract.* 1. *de Juriſd. cap.* 4. §. 1. 37

Octava. Intentio impetrantis Monitorium nolentis comprehendere in ſuo Monitorio certas perſonas, quamvis culpabiles; nam Prælatus in ferenda hac Cenſura ſe conformat petenti. Coninchius, *diſp.* 14. *dub.* 16. *num.* 249. 38

Nona. Quando Superior præcipit revelationem alicujus rei, quæ non ſcitur, niſi ſub ſecreto, ad cujus conſervationem pro bono publico ipſum obligat fidelitas; dummodò talis occultatio non cederet in notabile præjudicium Boni publici. 39

Soto

Soto *de Juſt. & Jur. lib. 5. concluſ. 5. & ſeq. quæſt. 6.*

40 *Decima.* Si ex revelatione prudenter timeatur ſibi, aut ſuis uſque ad quartum gradum, aliquod grave damnum contra aliquod ex quatuor bonis, Animæ, ſcilicet, Corporis, Famæ, & ſubſtantiæ corporalis, quod ſit præferendum damno alterius. Excipe tamen caſum, in quo agatur de materia Fidei, & hæreſis. Bertaù cit. cum Angelo, Sylveſtro, & aliis.

41 *Undecima.* Metus gravis, & rationabilis, quo timetur notabile detrimentum vel in bonis corporis, vel in bonis fortunæ, aut famæ, ſi tale præceptum latum ſub Cenſura obſervaretur. Eccleſia enim, ut pia Mater non intendit regere filios ſuos cum tali rigore excedente fragilitatem aliquorum, Filliucius, *cit. tractat. 11. n. 171.*

42 *Duodecima.* Vis, violentia, qua quis contumelia, aut vexatione ſuæ Perſonæ cogeretur facere, vel omittere actionem aliquam Cenſuræ ſubjectam; Nam vis, quæ involvit coactionem, & oppreſſionem de præſenti, ſicut timor gravis, qui non habet pro objecto, niſi malum imminens, excludit contumaciam.

43 Quamvis enim nulla vis excuſet à Lege naturali, & Divina; quia voluntas abſolutè cogi non poteſt, ut ſe in peccatum præcipitem agat; in Legibus tamen humanis, quæ non intendunt obligare quempiam cum tanto rigore, excuſat utique à tranſgreſſione, ſeu à peccato pro formali; quia in tali caſu Lex non obligat. Ita Filliucius cit. *tract. 11. num. 269.* cum aliis DD.

De Suſpenſione.

Quæro XXXII. *Quid eſt Suſpenſio?*

44 ℞. Eſt Cenſura, vel pœna Eccleſiaſtica privans Clericum uſu Eccleſiaſtici Officii, aut Beneficii.

Quæro XXXIII. *Quid intelligitur nomine* Officii, & Beneficii?

45 ℞. Intelligitur I. Uſus alicujus Ordinis, ſi quis eo ſit initiatus. II. Uſus Juriſdictionis, ſi Clericus ſit Judex, vel Prælatus, vel Paſtor, vel aliquo alio Beneficio, vel Officio Eccleſiaſtico fungatur. III. Privatio, & inhabilitas recipiendi emolumenta temporalia ſui Beneficii.

46 Unde ſolus Clericus poteſt ſuſpendi, vel affici hac Cenſura, qua prohibetur exercere functiones Eccleſiaſticas.

Quæro XXXIV. *Quot modis dividitur Suſpenſio?*

℞. Quatuor his modis *I.* A Jure, vel ab 47
Homine fieri, vel infigi poteſt Suſpenſio, quod eſt commune reliquis Cenſuris.

II. Ab Officio, vel Beneficio, vel ab utroque ſimul; vel ab aliqua parte ipſorum. *III.* Una ſuſpenſio eſt pœnalis in vindictam alicujus delicti per Clericum commiſſi; alia eſt medicinalis ad correctionem, & emendationem Clerici, &c. *IV.* Una eſt ad tempus, V. G. per diem, per ſeptimanam, per menſem, &c. Alia eſt perpetua.

Quæro XXXV. *Quid intelligitur per Suſpenſionem abſolutè, & ſimpliciter latam?*

℞. Intelligitur Suſpenſio ab Officio, & 48
Beneficio ſimul; nam ſub genere comprehenduntur ſuæ ſpecies.

Quæro XXXVI. *Suſpenſus ab uno actu Ordinis, intelligi debetne ſuſpenſus etiam ab aliis?*

℞. Nequaquam; nam odia reſtringi, 49
favores convenit ampliari. Sic qui V. G. eſt ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, non idcircò eſt ſuſpenſus etiam ab audiendis Confeſſionibus: nec è contra.

Quæro XXXVII. *Quid intelligitur per* ly Suſpenſus à Divinis?

℞. Intelligitur, quòd ſuſpenſus non poſ- 50
ſit licitè Miſſam celebrare, nec intereſſe (more ſolito) Divinis Officiis publicis in Choro, &c.

Quæro XXXVIII. *Exercere actum per Suſpenſionem prohibitum, quale erit peccatum?*

℞. Ex genere ſuo eſt peccatum morta- 51
le; imò & Irregularitatem inducit, ſi fiat ſolemniter, & cum contumacia, &c.

Quæro XXXIX. *Ob quam culpam poteſt infligi pœna hac Suſpenſionis?*

℞. Ob quamcumque culpam mortalem. 52
Imò ſufficere poteſt interdum culpa venialis. Quamvis, (quia pœna debet proportionata eſſe delicto, & vindicta exceſſui reſpondere) ut culpa venialis ſufficiat ad ſuſpenſionem, debet hæc parum incommoda eſſe, & levis. Reginaldus, *lib. 32. tract. 2. cap. 20. n. 28.* cum aliis DD.

Quæro XL. *Quiſnam poteſt Suſpendere?*

℞. Ille, qui de jure poteſt excommuni- 53
care.

Quæro XLI. *Requiriturne prævia admonitio ante fulminationem Suſpenſionis?*

℞. Ad Suſpenſionem *ab Homine* utique 54
requiritur, niſi tamen feratur in pœnam delicti jam patrati.

Ad

Ad eam verò, quæ eſt *à Jure*, non eſt neceſſaria monitio; quia Legis, & Juris promulgatio pro continua admonitione reputatur.

De Interdicto.

Quæro XLII. *Quid eſt Interdictum?*

55 R. Eſt Cenſura, ſeu pœna Eccleſiaſtica, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, Divinorum Officiorum, atque Sepulturæ Eccleſiaſticæ.

Dices. Interdicti definitio videtur coincidere cum ſuſpenſione; ergo malè fuit definitum Interdictum?

56 R. Differt tamen; quia ſuſpenſio ſolis Clericis infligitur: Interdictum verò etiam Laicis infligi poteſt. Tum quia magis patebit diverſitas ex dicendis.

Quæro XLIII. *Quotuplex eſt Interdictum?*

57 R. Triplex. Locale ſcilicet, Perſonale, & Mixtum. *Locale interdictum* eſt illud, quod directè fertur in locum; quatenùs in tali loco prohibentur fieri Officia Divina publica.

58 *Interdictum Perſonale* eſt, quod directè fertur in Perſonam, ſive Clericalis ſit, ſive Laicalis: per quod ſcilicèt certa perſona arcetur à quibuſdam Officiis: V. G. ab ingreſſu Eccleſiæ, à ſepultura, à quibuſdam Sacramentis. Unde hujuſmodi pœna, vel Cenſura ſequitur ipſammet perſonam, quocumque jerit.

59 *Mixtum Interdictum* dicitur illud, quo locus ſimul & perſonæ interdicuntur. V. G. ſi Civitas interdicatur, etiam omnes Eccleſiæ, & perſonæ illius Civitatis remanent interdictæ pro qualitate verborum, & formularum illius Interdicti, &c.

Quæro XLIV. *Quando per Interdictum aliqua perſona privatur participatione aliquorum Sacramentorum, quomodo eſt intelligendum, illud Interdictum*, de participatione paſſiva, vel activa?

60 R. De utraque ſimul, niſi aliud clariùs exprimatur; ita ut talis perſona nec licitè poſſit adminiſtrare, nec ſuſcipere talia Sacramenta tempore ſui Interdicti. Ita Anacletus, *tr. 13. diſt. 2. n. 99.*

Quæro XLV. *Quænam Sacramenta adminiſtrari poſſunt tempore Interdicti vel localis, vel mixti?*

R. Iſta, nempe Baptiſmus, Confirmatio, & Pœnitentia; ut habetur *c. Reſponſo, de Sent. Excom. & c. Quoniam, & cap. Alma Mater in 6.* 61

R. II. Sacramentum verò Euchariſtiæ non niſi in periculo mortis, ut habetur *argum. cap. Quòd in te, de Pœnit. & remiſſ.* 62

R. III. Sacramentum Matrimonii (juxta probabilem ſententiam aliquorum D. D. & Canoniſtarum) ſine benedictione nuptiali poteſt contrahi, apud Anaclet. cit. *n.* 100. 63

Quæro XLVI. *Quando prohibentur tempore Interdicti* Divina Officia: *quomodo intelligendum eſt hoc?*

R. Intelliguntur prohibita Sacrificia Miſſæ, omnis publica, & ſolemnis Oratio, Benedictiones, Proceſſiones, Horæ Canonicæ, in Choro (nota benè:) in *Choro* dixi; nam privatim debet recitari à Clericis, qui aliàs tenentur, &c. Non autem prohibetur Prædicatio Verbi Dei. V. Lezanam, *tom. 3. V. Concionator, numero* 11. 64

Quæro XLVII. *Hæc omnia fueruntne aliquo pacto mitigata tempore Interdicti localis, vel mixti?*

R. Quòd ſic. Nam *cap. Alma Mater: de Sent. Excom. in 6.* dicitur, & declaratur, quòd quando Civitas, vel locus alius Interdicto ſubjacet, ſingulis diebus in Eccleſiis, & Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia dicantur Divina Officia, ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis: & excluſis Excommunicatis, & Interdictis perſonis, & campanis non pulſatis. — In Feſtivitatibus verò Natalis Domini. Paſchæ, & Pentecoſtes, atque Aſſumptionis Virginis Glorioſæ, campanæ pulſentur, & januis apertis alta voce Divina Officia ſolemniter celebrentur; Excommunicatis perſonis prorsùs excluſis; ſed Interdictis admiſſis. Ita Can. cit. 65

Quæro XLVIII. *Tempore Interdicti poteſtne aliquis ſepeliri in loco Sacro?*

R. Omnes illi Clerici, qui tempore Interdicti generalis ſervaverunt illud, obediendo Pontifici, ſi moriantur, poſſunt ſepeliri cum ſilentio exequiarum in loco Sacro. Ita *ex capitulo Quod in te, de Pœnit. & Remiſſ.* 66

Quæro XLIX. *Quale peccatum eſt violare Interdictum?*

R. Eſt ex ſuo genere peccatum mortale; quia violatur præceptum Eccleſiæ in 67

re gravi. — Clericus autem violans Interdictum, exercendo Sacrum aliquem Ordinem in loco Interdicto: vel perſonaliter interdictus exercendo aliquem actum Ordinis ſibi prohibitum, incurrit Irregularitatem. Suarez, Filliucius, & alii cum Bertaù cit. *Tr.* 1. *c.* 4. §. 3.

Quæro L. *Quiſnam poteſt ferre hanc Cenſuram Interdicti?*

68 ℟. Ille, qui de Jure poteſt excommunicare.

De Abſolutione à Cenſuris.

Quæro LI. *Quinam poſſunt validè, & licitè abſolvere à Cenſuris prædictis?*

69 ℟. I. A Cenſura lata *ab Homine* ordinariè is tantùm poteſt abſolvere, qui eam tulit, vel ejus Superior in Juriſdictione, vel Succeſſor, vel Delegatus.

70 ℟. II. A Cenſura verò, quæ lata eſt à Jure Canonico, (ſi non ſit reſervata) poteſt abſolvere quivis Confeſſarius approbatus.

71 ℟. III. A Cenſura tamdem reſervata, ordinariè, & per ſe loquendo, poteſt tantùm abſolvere ille Superior Eccleſiaſticus, qui eam protulit, vel ejus Succeſſor, vel Delegatus.

72 ℟. IV. In articulo, vel periculo mortis quilibet Sacerdos poteſt abſolvere ab omni Cenſura directè: quòd ſi Cenſura fuerit ab homine, vel deducta ad Forum Fori, & abſolutus ſupervixerit, tenebitur quamprimùm ſe præſentare coram Superiore, non ut abſolvatur iterùm, ſed ut obediat, & ſatisfaciat parti; &c. quòd ſi non obedierit, reincidet in eamdem, &c. Vide Marchant. noſtrum, *tom.* 3. *tr.* 1. *tit.* 4. *q.* 7. *concl.* 3. *fol.* 28.

73 ℟. V. Multi Religioſi, Regulares Confeſſarii, præſertim Mendicantes poſſunt ex Privilegiis ſuis (dummodò non fuerint inpoſterum revocata) abſolvere in Foro conſcientiæ interno tantùm, à variis Cenſuris alias reſervatis Summo Pontifici, & Epiſcopis. Lege Buſembaum, *lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 5. *reſp.* 3. — *Vide infrà, num.* 78.

74 *Nota hic*, quòd Pontifex Romanus ordinariè nullum peccatum ſibi reſervat, niſi propter annexam Cenſuram Excommunicationis Majoris ſibi itidem reſervatæ. Lege Anacletum noſtrum, *Tr.* 14. *diſt.* 6. *n.* 5. qui plures citat DD. & Filliucium, *tr.* 7. *n.* 269.

Unde manifeſtè infertur, quòd, ſi quis commiſerit peccatum Summo Pontifici quomodolibet reſervatum, & per aliquam ex dictis cauſis juſtè excuſantibus à Cenſura incurrenda, non incurrerit Cenſuram, abſolvi poterit à quolibet inferiori Confeſſario; ſiquidem, non contracta Cenſura etiam cenſetur ablata Reſervatio Caſus Papalis. Ex communi DD. ſententia. 75

Nota etiam ad clariorem notitiam dicendorum, quòd Confeſſarii, etiam Regulares Privilegiati, non poſſunt abſolvere pœnitentes alterius Diœceſis à Cenſura in iſtorum Diœceſi ſolùm reſervata; non tantùm quia Perſona Cenſurata *ab Homine*, ubicumque ſit, cum eò impedimento reperitur; verùm etiam, quia Epiſcopus Excommunicans, ſuſpendens, interdicens, Jus ſemper habet in ſuum ſubditum cenſuratum, privativè quoad alios. Lege Matthæuccium *in Officiali Curiæ, ca.* 22. *num.* 4. ubi plures citat DD. & plura Decreta. 76

Nota tandem, ut cum fundamento procedamus in tam ampla, & intricata materia compendioſiſſimè hic tranſcripta, quòd prædicti Confeſſarii etiam Privilegiati Mendicantes non poſſunt abſolvere à Cenſuris *ab Homine* inflictis ſive Papalibus, ſive Epiſcopalibus, ut expreſsè Leo P. Decimus, conſtitutione incipiente, *Dum intra*, §. 22. ibi: *Ipſi fratres .. Laicos, & Clericos ſæculares à ſententiis ab Homine latis nullatenùs abſolvere poſſint.* — Et Clemens P. Decimus in Conſtit. incipien. *Superna*: §. 7. dicti Papæ: ibi decrevit, *vigore Privilegiorum non licere Regularibus, etiam ſatisfacta parte, abſolvere pœnitentes à Cenſuris, quoad externum Forum: & abſolutos ab eis in Foro Pœnitentiali, utique non cenſeri abſolutos in exteriori Judicio, & contentioſo.* Vide Bulla Tract. 67. in fine. 77

Quæro LII. *A quibus Cenſuris poſſunt abſolvere Regulares Confeſſarii privilegiati, reſpectu ſæcularium pœnitentium?*

℟. Poſſunt abſolvere ab omnibus Cenſuris *Jure* reſervatis Summo Pontifici, & Epiſcopis, excepti viginti contentis in Bulla Cœnæ, & alii ſex numeratis in moderatione Bullæ Clementis P. Octavi: ut infrà, num. 83. Ita colligitur ex Lexana, *part.* 3. *V. Confeſſarius Regularis*, 78

num.

num. 5. & Laymanno, *lib.* 5. *tractat.* 4. *cap.* 10. Summa Diana *Coronii*, *V. Confeſſarius Regularis*, *num.* 2. -- & *V. Abſolvere à Cenſuris*, *num.* 62. -- Ab ipſomet Diana *Coordinato*, *tom.* 7. *tractat.* 1. *de dub. Regul. reſol.* 269. §. 2. -- Thoma Tamburino, *in methodo Confeſſ. lib.* 2. *cap.* 7. §. 4. -- Antonio à Spiritu-Sancto Epiſc. Angolenſi, *part.* 1. *direct. Regul. tr.* 2. *diſput.* 3. *ſect.* 1. §. 2. -- Antonio noſtro Gavello à Candelaria, *in Brev. Theol. part.* 4. *diſput.* 5. *poſt quæſt.* 3. §. *Quæres* 6. -- & à P. Felice Panormitano *in Exam. Confeſſ. tom.* 1. *à n.* 3457. & *ſeq.* ubi citat, & ponit Bullas, Decreta, &c. cui tamquam recenti Scriptori in hac materia magis acquieſco.

Quæro LIII. *Quænam eſt differentia inter Caſum reſervatum, & Cenſuram reſervatam?*

79 ℞. Eſt iſta differentia, quòd Cenſura eſt pœna Caſus; Caſus autem eſt peccatum commiſſum; ergo eſt quid diverſum *in re* Caſus à Cenſura. Et in diverſis non fit illatio: *ex L. Papinianus*, *ff. de minor.* & *cap. ad audientiam*, *de Decimis*. Unde ſub prohibitione *Caſuum reſervatorum* non comprehenduntur *Cenſuræ*; niſi quando iſtæ ſunt annexæ Caſibus.

Quæro LIV. *Cenſuræ, quæ continentur in Synodis ſive Generalibus, ſive Provincialibus, aut Epiſcopalibus, ſuntne judicandæ ab Homine, vel à Jure latæ?*

80 ℞. à Jure: quia ſtatuta habent vim Juris, & Legis Eccleſiaſticæ.

Quæro LV. *Quænam ſunt Cenſuræ in Bulla Cœnæ?*

81 ℞. Require eas in aliis libris, ſolent enim eſſe in multis: & affigi (in folio) Confeſſionariis. Quoniam verò illas reperi verſibus comprehenſas, verſus ipſos conſcribo, ſic:

I. II.
Hæretici. A Papa appellans.
III. IV.
Cum fure. Piratæ.
V. VI.
Augens vectigal. Aut Breve falſificans.
VII.
Hoſtibus arma ferens. Victum
VIII.
quive amovet Urbe.
IX. X.
Quos Papa: Aut pietas: Aut ſua
XI.
cauſa ciet:
XII.
Præſulibus gravis. Ad laicum ſpe-
XIII.
ctantia Sacrum,
XIV. XV.
Sit reus; Aut Judex, qui trahit acta Forum.
XVI XVII.
Prælati: Eccleſiæve uſurpans jura;
XVIII.
Onus, & qui his ſtatuit.
XIX.
Capitis noſcit eoſque reos.
XX.
Sedis Apoſtolicæ terras quique occupat attrox.
Hos omnes Domini Cœnæ Anathema ligat.

Quæro LVI. *Quinam ſunt alii ſex Caſus* (Cenſuræ) *extra Urbem, & intra Italiam Summo Pontifici reſervati?*

℞. Sunt iſti. I. *Violatio Immunitatis Eccleſiaſticæ circa confugientes ad Eccleſias.* 82

II. *Violatio clauſuræ Monialium ad malum finem.*

III. *Injectio manus violentæ in Clericum.*

IV. *Provocatio & pugna in duello.*

V. *Simonia realis ſcienter contracta.*

Et VI. *Confidentia beneficialis: ſeu Simonia confidentialis.*

Ab his, ſicut ab illis in Cœna Domini Cenſuris Confeſſarii etiam Privilegiati, ſeu Regulares non poſſunt abſolvere, &c. ut docent DD. *cit. ſuperiùs numero* 78. Et his ſexcentis, ab omnibus aliis abſolvere poſſunt.

Quæro LVII. *Si quis Confeſſarius temere præſumeret, & abſolveret aliquem pœnitentem ab aliqua Cenſura contracta ex vi Bullæ Cœnæ, aut alterius Bullæ quid incurreret?*

℞. Ultra peccatum inobedientiæ, & ſacrilegii ex invalida abſolutione data contra mandatum Pontificis, incurreret in Excommunicationem. Sicut etiam Confeſſarius ille qui temerè abſolveret pœnitentem ab aliquo Caſu reſervato Epiſcopis; ut probat P. Brognolus noſter in *Speculo Cleric. Tr.* 12. *cap.* 11. *Reſol.* 38. 83

Si autem hoc inadvertentia, vel ignorantia, non craſſa, faceret, non peccaret licèt abſolutio foret invalida ex defectu Juriſdictionis. V. Anacletum noſtrum, *tr.* 13. *diſt.* 2. *n.* 57. & *Brognol. cit. Reſol.* 39.

TRACTATUS LVIII.

DE IRREGULARITATIBUS.

QUæro I. *Quid eſt Irregularitas?*

Reſp. Eſt impedimentum Canonicum,
1 quo quis à Jure, vel Canone prohibetur ſuſcipere Ordines Eccleſiaſticos, aut ſuſceptos exercere. Ideòque nulla Irregularitas incurritur, niſi in caſibus à Jure Canonico poſitis, & expreſſis.

Quæro II. *Impeditne Irregularitas valorem Ordinis ſuſcipiendi?*

2 ℞. Nequaquam; quia impedimentum hoc eſt merè impediens, non autem irritans Ordinem, vel actum ejus, dùm cætera eſſentialia non deſint. Facit ſolùm illicitam ſub mortali Ordinationem, aut Ordinis executionem.

Quæro III. *Sub nomine* Ordinis *comprehenditurne etiam* Prima Tonſura; ita *ut qui eſt Irregularis, nequeat licitè tonſurari?*

3 ℞. Canoniſtæ dicunt, quòd ſic, quia iſti tenent, tonſuram Clericalem eſſe Ordinem Fagnanus, *in* 1. *ad c. cum contingat*; *de ætat. & qualit. præficien. per tot.* -- Theologi tenent, quòd non; quia Tonſura eſt præparatio tantùm ad Ordines. Omnes tamen docent, Irregularem non poſſe, nec debere licitè Ordinari Prima Tonſura; quia Tonſuratus venit ſub nomine, & dignitate Clericorum, &c. Ut patet in Pontificali Romano, *tit. de Clerico faciendo.*

Quæro IV. *Ex quibus capitibus oritur Irregularitas?*

4 ℞. Ex his duobus: videlicèt, ex delicto, & ex defectu: Iſta duo vocantur *Tituli, vel cauſæ Irregularitatis.* Una cauſa eſt peccaminoſa; quia eſt *ex delicto*, ſeu peccato mortali: alia eſt veluti materialis, & naturalis; quia eſt *ex defectu* involuntario, & naturali, & quandoque contracto ex aliquo vitio.

Quæro V. *Quotuplex eſt defectus, ex quo oritur Irregularitas.*

℞. Multiplex: ſed præſertim iſti defectus connumerantur in Jure Canonico: videlicèt.

I. Ex defectu rationis.

5 Ex hoc ſunt Irregulares I. *Energumeni*: qui licèt ſint ſanati, remanent Irregulares, nec promoveri poſſunt, niſi obtineant diſpenſationem à Sede Apoſtolica. Si autem quis erat jam promotus antequam fieret energumenus, poteſt permittere Epiſcopus ut celebret, factò priùs experimento liberationis totalis: quod experimentum integro anno eſt probandum. *Ex Sacr. Congr.* 12. *febr.* 1689. *& ex c. Communiter.* 33. *diſt.*

II. *Amentes:* de quibus ſi agatur de promotione ad Ordines, Epiſcopus nullo modo diſpenſat, ſed recurrendum eſt ad Sedem Petri, poſt experimentum notabile de ſana mente. Fagnanus *in* 1. *ad c. Eam. de ætat. & qualit. n.* 47. 6

III. *Epileptici*, ſeu laborantes morbo caduco, *ex c. Nuper.* 7. *q.* 3. Cum quibus dum morbus ſupervenerit Ordine jam ſuſcepto, adhibenda eſt cautela, ſicut cum prioribus jam dictis. Si verò Clericus ſemel levi hoc morbo fuerit affectus, & deinde per plures annos ſigna ampliùs non dederit talis morbi, poterit promoveri. *Ex S. Congreg. Conc. in Tudertina* 19. *Julii* 1704. apud Oſficialem Curiæ, c. 35. §. un. n. 4. 7

IV. *Illiterati*, *& Neophiti*, idest recenter converſi ad fidem: donec acquiſierint ſcientiam ſufficientem, *ex cap. Illiteratos*, *diſt.* 36. *& c. Quoniam* 61. *diſt.* 8

V. Ætatem legitimam non habentes, quæ in unoquoque Ordine de Jure requiritur; quamdiù durat iſte defectus, *ex c. ult. de temp. Ord.* 9

II. Ex Defectu famæ.

I. *Infames* à Jure, vel à facto; nempe qui contraxerunt Infamiam ex aliquo crimine, cui Infamia adnexa eſt in Jure, *ex c. Infames.* 6. *q.* 1. 10

II. Qui uſuras accepiſſe, vel exercuiſſe in Judicio convincuntur. Vel qui Simoniam commiſerint. Aut qui publicam pœnitentiam de Jure fecerunt, *c. Maritum.* 11

III. *Hiſtriones*, ſeu comœdias profanas, & laſcivas publicè exercentes, *eod. c. Maritum.* 12

III. Ex

III. Ex Defectu Lenitatis.

13 Iſte defectus lenitatis, & manſuetudinis in iis reperitur, qui directè, vel indirectè ad alicujus mortem, vel mutilationem hominis ex ſuo officio, ſive juſtè, ſive injuſtè cooperati fuerint; ut ſunt Milites, Cauſidici criminales, Judices Sanguinis, Lictores, Satellites, Carnifices, &c. *Text. in c. Aliquanto, diſt.* cum Gloſſa, & *cap. Prælatis, de homic. in 6. & S. Congr. Conc. in Cæſenaten.* 1615. Non autem filii iſtorum, niſi exercuerint officium Patrum ſuorum.

IV. Ex Defectu Lenitatis.

14 Servi, ſeu mancipia, niſi priùs à Dominis ſuis manumiſſi fuerint, *cap. de ſerv. non ordin.* – Neque qui militiæ adſcripti ſunt, niſi priùs diſceſſionem obtinuerint à Principe, *cap. Deſignata, cap. ſi quis,* 51. *diſt.* – Item qui publicis ratiociniis tenentur, antequàm ſatisfecerint, &c. *c. Præterea, ead. diſt.* & *toto tit. de obligat. ad ratiocin.*

V. Ex Defectu Sacramenti, ſive ſignificationis Sacramenti Matrimonii.

15 Sacramentum Matrimonii ſignificat unionem Spiritualem Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt unica, perpetua, & incorrupta ejus Sponſa. Unde *Bigami* habent defectum hujus ſignificationis: quia dividunt in plures mulieres carnem ſuam; ſive *Bigamia* ſit *realis*, & vera, ut eſt in eo, qui duas ſucceſſivè uxores duxit; ſive ſit *interpretativa*, quæ nimirùm reperitur in viro, qui cum Vidua contraxit Matrimonium; ſive ſit etiam *ſimilitudinaria*, ut in eo, qui poſt emiſſum ſolemne votum Caſtitatis per profeſſionem Religioſam, aut per ſuſceptionem Ordinis Sacri, ſive invalidè, ſive validè nupſit. Omnes iſti *Bigami* non poſſunt ordinari: *ex c. Maritum: & ca. Curandum,* 34. *diſt. & toto tit. de Bigamis.*

VI. Ex Defectu Natalium.

16 *Illegitimi*, nempe nati ex illegitimo Matrimonio, *capitulo Ut Filii, de Filiis Presbyt.* Hic notandum, quòd hæc Irregularitas tollitur per Religioſam Profeſſionem. Nec contrahitur à filio legitimato per ſubſequens Matrimonium, *text. cit.* & *cap. Tanta*: cum Gloſſa: *qui filii ſint legitimi.*

VII. Ex Defectu membrorum.

17 Multi ſunt defectuoſi ex hoc capite, qui ſunt Irregulares; ſed præcipuè:

I. Eunuchi, nempe ii, qui voluntariè ſe caſtrari faciunt: *ex declar. S. Congreg. 15. Januar.* 1694. apud Monacell. *nu. 31. & Officialem Curiæ, n.* 19. Ubi obſervat, quòd errant aſſerentes, quòd Caſtratus, qui vel ex Juris diſpoſitione, vel ex Pontificia diſpenſatione ad Ordines promovetur, debeat poſtea portare ad collum virilem ſectam partem, quem errorem corrigit Gloſſa *ad c. Eunuchus, in verb. Si in perſecutione.*

18 Item qui ſibi virilia amputavit, vel amputari permiſit, etiam ad bonum finem, V. G. ad continentiam meliùs ſervandam nam non ferro, ſed fræno timoris Dei, & Oratione quærenda eſt Caſtitas, *cap. ſignificavit, de Corp. vitiat.* & Gloſſa *in verb. Obſequium,* & *capit. ſi quis abſcidit, de Cler. ægrot.*

19 Non autem fieret Irregularis, qui vel à Medicis cauſa infirmitatis, vel à Barbaris per injuriam caſtraretur, *ca. ſi quis à Medicis,* & *cap. Eunuchus.* Et *cap. ſi quis pro ægritud.*

20 *Secundò*, ſunt Irregulares *cæci*, vel cæcutientes; *c. ſi Evangelica* 55. *diſt.*

Tertiò, habentes manus tremulas taliter, ut proinde periculum manifeſtum ſit, quòd Calix effundatur, dum elevatur, *argum. ex cap. Conſultationibus, de Cler. ægrot.*

Quartò, Carens pollice digito, *capit. Presbyterum, eod. tit.* Si autem iſte defectus contingat poſt Ordinem Presbyteratus jam ſuſceptum, non poteſt Miſſam deinceps celebrare; poterit tamen cætera Sacerdotalia Officia obire dummodò ab aliis ei fuerit talis digitus abſciſſus; nam ſi ſua cul-

pa digitum amiſiſſet, nullum Ordinis exercitium ei permittitur, *capitulo Qui partem*, 55. *diſt.* & *cap. Presbyterum*, *tit. de Cler. ægrot.*

21 *Quintò*; Carens ſiniſtro oculo, aut viſu illius, (quem ſtylus Romanus Oculum Canonis appellat, eò quòd tali oculo Canon Miſſæ legitur) celebrare prohibetur: *ex capitulo Cum ſua*, *de corp. vitiat.*

22 Aliqui tamen DD. id limitandum exiſtimant, poſt Ordinem Sacrum Presbyteratus ſuſceptum, ſi abſque notabili deformitate, ſeu indecentia Canonem legere nequeat: aut defectus iſte cum alia gravi fœditate faciei, ſeu oculorum ſit conjunctus: prout notat Navarrus *in Manual. c.* 27. *n.* 198. Et Barboſa, *de Off. & poteſt. Epiſc. p.* 1. *alleg.* 42. *n.* 31. -- In dubio autem de gravi fœditate, vel indecentia ſtandum erit judicio Epiſcopi.

23 *Sextò*, *Claudus*, qui ſine baculo nequit ſe movere de loco in locum ſine deformitate corporis, *ex c. ſi quis in infirmitate*, 55. *diſt.* Item Gibboſus valdè deformis, *ibi c. eod.* -- Et quicumque tamdem corpore vitiatus enormiter, *capit. fin. de corp. vitiat*: Vide plura apud Navarrum cit. & alios DD.

De Irregularitatibus ex delicto.

Quæro VI. *Quænam ſunt delicta, ex quibus oritur irregularitas?*

24 ℞. Multa; quorum aliqua ſunt.

Primò: Clerici ſolemniter (hoc eſt; cum veſtibus talis Ordinis propriis) miniſtrantes in Ordine Sacro, quem nondum habent, *ex c. ſi quis*, *de Cler. non ordinat.*

Secundò: Clerici, qui ligati Cenſura actum aliquem Ordinis Sacri, eis prohibitum ex vi Cenſuræ, exercent, *ex Piaſec. p.* 2. *c.* 4. *art.* 12. *n.* 9. & ex communi; ex dictis de Cenſuris.

25 *Tertiò*: Qui furtivè Ordines ſuſcepit, *c. Veniens*, *de eo, qui furtivè*, &c.

Quartò: Qui homicidium voluntarium committunt. Ex Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. *de Ref.*

Quintò: Qui voluntariè ad alterius mutilationem injuſtam concurrit, *c. Qui partem.*

Sextò: Procurantes abortum animati fœtus, *c. Sicut ex litter. de homic.*

Petes. Eſtne irregularis ille, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ injuſtum vitæ ſuæ invaſorem occidit, vel mutilat?

℞. Non, ut habetur expreſsè in 26
Clementina, *Si furioſus*, *de homicid.* Si autem excedat in moderamine, aut dubitet exceſſiſſe, tunc egebit facili diſpenſatione, quam poterit petere ab Epiſcopo: Ex Conc. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de Ref.*

Septimò. Pugnantes in bello quocumque, & ſanguinem humanum profundentes: *ex c. Petitio*, *de homicid.* 27

Petes. Aſſiſtentes, & hortantes alios ad ſtrenuè pugnandum in bello juſto, ſiuntne irregulares?

℞. Non, *ex cap. Igitur*, & *cap. Hortatur*, 22. *qu. ult.* -- Si verò bellum fuerit injuſtum, dico, quòd ſic; ſi ſequatur occiſio, vel mutilatio, &c. quia tunc datur opera rei illicitæ, &c. 28

Petes. Si quis prævidens homicidium ſecuturum, non adhibeat diligentiam, quam debet, & poteſt; ſi ſequatur homicidium ſitne irregularis?

℞. Affirmativè, *ex declaratione S. Congr. Conc.* Apud Fagnanum, *in* 5. *ad c. Ad audientiam, de homic. n.* 44. Cenſuit tamen cum eo miſericorditer diſpenſandum ad Ordines, & Beneficia. 29

Petes. Qui armatus accedit ad domum conſanguineæ, ut compellat injuſtum ejus invaſorem, & iſte timore perterritus ſe projiciat è feneſtra, & moriatur; eritne ille irregularis? 30

℞. Negativè; *Ex declaratione S. Congr. in Pampilonen.* 29. *Septembr.* 1600. Apud Officialem Curiæ Regul. *c.* 35. §. *un. nu.* 39. -- Ratio hujus reſolutionis, & aliarum ſimilium eſt: quia

Ad incurrendam Irregularitatem ex homicidio involuntario, non ſufficit dare operam rei illicitæ; ſed requiritur ulteriùs quòd actio illa illicita (ex ſua natura) ſit apta, & ſufficiens ad homicidium cauſandum; ut V. G. Si Clericus contra Canones portans arma, & ſelopetum, dùm inter venandum emittit ictum, putans occidere feram, occidit hominem inter ſpinetum abſconditum, & ſic de ſimilibus. 31

Octavò: Clerici exercentes, ſine diſpenſatione, artem Medicam, & Chirurgiam, *ex c. Sententiam*, *ne Clericus: vel Monachus*. Et *c. Tua nos*, *de homicid.* -- Si vis plura, lege Navarrum in Manual. ca. 27. à num. 191. & ſeqq. -- Summam Angelicam, 32

licam, *Vide Irregularitas per totum*. -- Summam Sylveſtrinam: *V. eodem per totum diffuſè*. -- Vincentium Filliucium, *Tractatione 16. & 9. de Cenſuris*: ubi fuſiſſimè *de Irregularitatibus &c. & Tr. 20. immediatè ſeqq. & ultima*: *ubi* de Irregul. ex aliquo delicto.

Quæro VII. *Qui propinavit alicui venenum ſcienter, ex quo poſt longum tempus moritur iſte: eritne ille irregularis?*

33 ℟. Quòd ſic; quia talis eſt reverà homicida, & dedit cauſam mortis; ergo. Ita Filliucius, *tract. ult. de Cenſuris, numero 24.*

34 Quid, ſi mors non ſequatur ex tali potione veneni? ℟. Non foret Irregularis propinans, *ibi, n.26.*

Quæro VIII. *Mandans alium verberari, & non occidi; ſi mandatarius occidat, mandans fitne Irregularis?*

35 ℟. Utique, *ex cap. ult. de homicid.* ibi, *num. 27.*

Quæro IX. *Cooperans homicidio, vel quovis modo phyſico, vel morali influxu efficaci, auxilium præbens, ſecuto effectu, contrahitne Irregularitatem?*

36 ℟. Affirmativè: *ex cap. Sicut dignum, §. illi, de homicid. — & cap. Significaſti, 2. eodem tit.*

Quæro X. *Aliquis Clericus in Minoribus, pecunia illectus, aſſociat homicidam, proteſtando tamen, ſe nolle cooperari, nec ei auxilium ferre ad occidendum, ſi ſequatur homicidium, eritne talis Clericus Irregularis?*

37 ℟. Quòd ſic; quia aſſiſtendo tali homicidæ, & homicidio, reverà eſt cooperator homicidii; nam ſociando animavit homicidam, ac fuit concauſa proditionis, aſſiſtendo in favorem proditoris. Neque ejus proteſtatio eſt ſufficiens ad eum excuſandum, quia factum eſt contrarium proteſtationi; tenebatur enim devitare, & quantum poterat, impedire, &c. Ita ex Filliucio cit. n. 44. Et de hoc caſu practico, fui ego interrogatus à quodam Clerico, qui ſic ignoranter egit, & quærebat à multis ſolutionem, &c.

Quæro XI. *Clericus Magiſter, cauſa diſciplinæ, puerum dura cervice percuſſit in capite, quo vulnere puer mortuus eſt: Magiſter incurritne Irregularitatem?*

38 ℟. Quòd ſic: *ex cap. Presbyterum de homicid.* Quia percuſſio non fuit facta cum debitis circumſtantiis, prudentia, moderatione: & debuit prævidere periculum. Ita ex Filliucio, *cit. n. 56.*

Quæro XII. *Quiſnam poteſt diſpenſare in Irregularitate proveniente ex delicto?*

39 ℟. In Irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario, exceptis & aliis deductis ad Forum contentioſum) diſpenſare, (& in quibuſcumque aliis caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis) poſſunt Epiſcopi in ſua Diœceſi per ſe ipſos, aut per ſuum Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ, & gratis abſolvere quoſcumque delinquentes ſibi ſubditos; impoſita pœnitentia ſalutari. Ita ex Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform.*

Pro fine, & complemento eorum, quæ ſpectant ad Examen Ordinandorum, &c. hìc agendum venit de Immunitate Eccleſiaſtica, quæ tangit Perſonas, Bona, & Eccleſias Clericorum; at pro clariori methodo, ut ſemper in votis eſt, ſequentem diſtinctum inſtituam Tractatum.

TRACTATUS LIX.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

Quæro I. *Quid eſt Immunitas Eccleſiaſtica?*

1 *Reſp.* Eſt exemptio ab oneribus ſæcularibus. *Vel* eſt Jus Eccleſiaſticum, quo Eccleſiæ, res, & perſonæ Eccleſiaſticæ à publicis oneribus ſæcularibus liberæ ſunt.

Quæro II. *Quotuplex eſt?*

2 ℟. Triplex; nempè Immunitas Perſonalis, Realis, & localis. *Perſonalis* eſt, quæ debetur Perſonis Eccleſiaſticis. *Realis*, quæ competit rebus, ſeu bonis ad Eccleſiam, vel Perſonas Eccleſiaſticas pertinen-

nentibus. *Localis* eſt, quæ convenit Eccleſiis, aliiſque locis Eccleſiaſticis.

Quæro III. *Immunitas iſta eſtne de Jure Divino, vel Humano?*

3 ℞. Eſt de utroque jure: ut habetur clariſſimè *in cap. Quamquam, de Cenſib. in 6.* ibi: *Cùm igitur Eccleſia, Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res, ipſarum, non ſolùm Jure humano, quin & Divino, à ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes, &c.*

De Immunitate Perſonali.

Quæro IV. *Quoſnam effectus parit hæc Immunitas Perſonalis?*

4 ℞. Tres præſertim. *Primus effectus* eſt, quòd Clerici ſunt exempti à Tributo reali, quod imponitur ſubditis ſuper capita eorum, quod vocatur *Tributum Capitationis*; & ſic Clerici obligari non poſſunt ad ſolvendas exactiones, quæ à Principe ſæculari ſolent imponi perſonis ſibi ſubditis. Exceptis regionibus, in quibus propter earum Apoſtolica Privilegia Clerici tenentur ſolvere exactiones ſibi à ſuis Principibus impoſitas: ut Venetiis, &c.

5 *Secundus effectus* eſt, quòd Clerici ſint exempti ab onere munerum perſonalium, officiorum, adminiſtrationum, &c. in Republica, ſeu Communitate laicali.

6 *Tertius effectus* eſt, quòd Clerici ſint exempti à Juriſdictione Judicis ſæcularis in cauſis tam Civilibus, quàm Criminalibus.

Hæc autem Immunitas appellatur *Privilegium Fori*, quòd eſt conceſſum in favorem totius Ordinis Eccleſiaſtici, adeòque à perſona Eccleſiaſtica renunciari non poteſt.

7 Et ſæculares violantes hanc Immunitatem trahendo, videlicet, aliquam Perſonam Eccleſiaſticam ad Forum Laicale incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, §. 15. latam, -- Hoc intellige, quando Clericus *ut Reus* trahitur, &c. quia ut talis non poteſt trahi, niſi coram Judice Eccleſiaſtico.

8 Si autem Clericus ſit Actor contra Laicum in cauſa purè temporali, tunc adire debet Sæculare Tribunal, ex Regula illa. *Actor ſequi debet Forum Rei*. C. ſi Clericus, & cap. Cùm ſit generale, 8. de Foro compet.

9 Quòd ſi tam Clericus, quàm Laicus ſint ſimul Rei, Tunc ſi cauſa eſt ſeparabilis, quilibet eſt in ſuo Foro conveniendus; quia *in cauſa ſeparabili ſocius delicti non gaudet privilegio ſui ſocii*. L. ſi quis: 53. §. 1. ff. de Furtis. -- Si verò Cauſa ſit inſeparabilis; tunc uterque eſt conveniendus coram Judice Eccleſiaſtico; quia *minùs dignus potiùs trahi debet à magis digno, quàm è converſo*. Ita Phœbeus, *lib. 2. tit. 11. de Immun. n.* 18. & alii DD.

De Immunitate Reali.

Quæro V. *In quo conſiſtit hæc Realis Immunitas?*

10 ℞. Conſiſtit in hoc, quòd Bona Eccleſiaſticorum, vel Clericorum immunia ſunt ab omnibus ſæcularibus oneribus, & tributis.

Quæro VI. *Quot ſunt genera bonorum Eccleſiaſticorum?*

℞. Quoad hoc propoſitum ſunt triplicis generis.

11 *Bona primi generis* ſunt omnes res conſecratæ, benedictæ, aut ad Divinum Cultum, tamquam ejus inſtrumenta, legitimè deputatæ. Ut V. G. Templa, Oratoria, Cœmeteria, Vaſa Sacra, Campanæ, Veſtes Sacerdotales, & cætera ad ornatum, & ſervitium Eccleſiæ: *ex c. Sancitum. 1. de Caſibus.*

12 *Secundi generis* ſunt bona, quæ licèt conſecrata non ſint, nec Eccleſiæ cultui immediatè dicata, inſerviunt tamen ejus Miniſtris ad eorum congruam ſuſtentationem, & in ipſius Eccleſiæ manutentionem: ut bona immobilia, prædia, poſſeſſiones, agri, vineæ, cenſus, redditus, &c. *Ex c. Non minùs, de Immunitate.*

13 *Tertii generis* ſunt bona, quæ ſpectant ad ipſas particulares Perſonas Eccleſiaſticas: ut Patrimonia, Beneficia, redditus, diſtributiones, donationes, &c.

14 Prædicta omnia bona ſunt immunia (ut dixi) ab omnibus ſæcularibus exactionibus, oneribus, tributis, *ex c. Quamquam. 4. de Cenſibus in 6. ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 20. de Ref.* -- ex Bulla Urbani Octavi, incipien. *Romanus Pontifex*: data 5. Junii, 1641.

15 Et Violantes Immunitatem Eccleſiaſticam *Realem* contra bona primi, & ſecundi generis incidunt in Excommunicationem Bullæ Cœnæ, §. 17. latam. Violantes autem contra bona ſecundi, & tertii generis incidunt in eamdem Excommunicationem, latam §. 15. & 18.

De

Digitized by Google

De Immunitate Locali.

Quęro VII. *Immunitas Localis quid Juris continet?*

16 ℞. I. Duo Jura continet. *Primò*. Ut à locis Sacris arceantur actiones profanæ, ſæculares, & loci Sanctitati repugnantes: V.G. Lites, Cauſæ, Judicia, negotiationes, fœda colloquia, publica Concilia laicalia, Nundinæ, ludi theatrales, Convivia, comœdiæ profanæ, Convicia, Homicidia, percuſſiones, effuſiones ſanguinis, & ſeminis; ut ex multis Canonibus, & Conciliis colligitur, *cap. Cum Decorem, 12. de vita, & honeſt. Cleric. -- cap. non oportet: -- cap. Nulli. 6. diſt. 42. -- cap. Decret. 2. de Eccleſ. Immun.* Conc. Triden. ſeſſ. 22. In Decreto *de obſerv. & evitan. in celebrat. Miſſæ* ait: Ab Eccleſiis
„ verò Muſicas eas, ubi ſive Organo, ſive
„ Cantu laſcivum aliquid miſcetur: item ſæ-
„ culares omnes actiones; vana, atque adeò
„ profana colloquia, deambulationes, ſtre-
„ pitus, clamores arceant; ut Domus-Dei
„ verè Domus Orationis eſſe videatur, ac dici poſſit, &c. *Hæc Conc.*

17 ℞. II. Jus *ſecundum* eſt, & dicitur *Jus Aſyli, & Refugii*: quo gaudent loca Sacra: ut Rei quidam ad ea loca confugientes non poſſint à poteſtate laicali per vim extrai, *ex toto tit. de his, qui fugiunt ad Eccleſias. -- Et Bulla Greg. XIV., incipien. Cùm aliàs*.

Quæro VIII. *Quænam ſunt loca præcisè quæ gaudent hoc Jure Aſyli?*

18 ℞. Sunt I. Eccleſiæ omnes, auctoritate Epiſcopi conſtructæ, etiamſi non conſervetur ibi SS. Sacramentum: etiamſi non ſint perfectæ, ſed inceptæ, dummodò ſint benedictæ: etiam ſint violatę, interdictæ, dirutæ cum ſpe reædificationis; & Oratoria publica. II. Cœmeteria. III. Sacrarium, ſeu Sacriſtia, Campanile, tecta. IV. Monaſteria Religioſorum. V. Palatia Epiſcoporum. VI. Domus Canonicæ Parochorum contiguæ Eccleſiæ intra triginta paſſus. VII. Palatia Cardinalium extra Urbem Romæ. VIII. Domus, ſeu loca habitata à Clericis ſæcularibus ad inſtar Religioſorum viventibus: ut P. P. Oratorii S. Philiphi Nerii. IX. Seminaria Clericorum. X. Eremitoria. XI. Domus Orphanorum. XII. Monaſteia Monialium, Puellarum, & malè nuptarum. XIII. Hoſpitalia publica. Ita cum aliis P. Felix Panorm., *tom. 1. p. 2. cap. 4. à n. 610. & ſeqq.*

Nota hic loca, quæ non gaudent Jurè Aſyl. Non gaudent Oratoria privata, quę in domibus, vel palatiis Nobilium ædificata ſunt; quamvis ibi Miſſa dicatur ex Privilegio Papali. 19

Quæro IX. *Si quis Reus confugeret ad Sacerdotem deferentem aut Sanctiſſimum Viaticum, aut Oleum Sanctum infirmis, vel indutum cotta, & ſtola poſt Crucem incedentem in aliqua proceſſione eſſetne ſalvus, & gauderet Immunitate Aſyli?*

℞. Ita cum aliis tenet P. Felix *cit. nu. 622.* quia magis eſt dignus hoc Privilegio Sacerdos ipſe, ut actualis Miniſter Eccleſiæ, quàm Templum, vel Altare. Imò ſi quis Crucem in loco publico erectam amplexaretur, eſſet ſalvus: ut legi *in Decretis*. 20

Item cum *Tancredo* extenditur hoc Privilegium ad domum ipſam laicalem pro illo tempore, quo *Sanctiſſimum Sacramentum* defertur Infirmo, nam Venerabile hoc Sacramentum eſt ratio principalis, cur Eccleſiis materialibus ſit conceſſa Immunitas. 21

Quæro X. *In quibus caſibus, aut quibuſnam perſonis non ſuffragatur Immunitas Eccleſiaſtica Aſyli?*

℞. Sequentes perſonæ non gaudent: ut habetur expreſsè in Bulla Gregorii P. Quartidecimi, quæ incipit, *Cùm aliàs*: edita die 23. Maji anno 1591. & eſt la 7. dicti Pontificis; ibi, §. 3. 22

Si fuerint publici latrones, viarumque “
graſſatores, qui itinera frequentata, vel “
publicas ſtratas obſident, ac viatores ex “
inſidiis aggrediuntur: aut depopulatores “
agrorum: aut qui homicidia, & mutila- “
tiones membrorum in ipſis Eccleſiis, ea- “
rumque Cœmeterils committere, non “
verentur: aut qui proditoriè proximum “
ſuum occiderint, aut Aſſaſſinii, vel Hæ- “
reſis, aut læſæ Majeſtatis in perſonam ip- “
ſiuſmet Principis, Rei: eis Immunitas Ec- “
cleſiaſtica prædicta non ſuffragetur. *Hæc* “
ibi.

Ex quibus Bullæ verbis deducitur manifeſtè, quòd Septem ſunt crimina, quæ modò non gaudent Privilegio Aſyli: & hujuſmodi delicta committentes, etiamſi confugiant ad loca Sacra prædicta, poſſunt licitè per vim extrahi, & extra- 23

ctione

ctione illorum non violatur, Eccleſia, vel Sacer locus.

24 *Primò* itaque ſunt *Publici Latrones*, *Viarumque Graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac Viatores ex inſidiis aggrediuntur*. Et concordat textus *cap. inter alia, de Immun. Eccleſ.*

25 Quod intelligendum eſt, non ſolùm de Latronibus, & Graſſatoribus, vel Aggreſſoribus, qui morantur in terra firma, verùm etiam de illis, qui morantur in mari, & aquis, & vocantur *Pyratæ*: ex Anacleto noſtro, *tr.* 12. *diſt.* 2. *n.* 29.

26 Infertur proinde, quòd Fures gaudent Aſylo. *Fures* enim vocantur, qui occultè, & ſine armis furantur; nam Fures non ſunt Latrones in rigore Juris. *Latrones* enim cenſentur, qui violenter rapiunt, & aggrediuntur, ſive cum armis, ſive abſque armis: prout habetur: *Authent. Sed novo, C. de ſervis fugitivis*.

27 Infertur deinde, quòd gaudeat Immunitate, qui attentavit, ſed non perfecit publicam deprædationem; quia in pœnalibus, & odioſis, præſertim quæ cedunt in præjudicium Eccleſiæ, actus debent eſſe perfecti & conſummati in ſua ſpecie: ex Anacleto *Canoniſta celeberrimo*, *l. c. n.* 30. Quæ Regula valet etiam in ſequentibus.

28 *Secundò*, *Depopulatores agrorum* non gaudent &c. Sunt autem, qui ſegetes in agris deprædantur, comburunt, aut deſtruunt: vel agros alienos vaſtant: ſive hoc delictum committant de die, ſive de nocte: dummodò damnum inde ſecutum ſit magnum. Unde excluduntur (in hac materia) alii incendiarii, etiam immaniores, V.G. domorum, ſtabulorum, &c. ex Felice Panorm. *tom.* 1. *n.* 640.

29 *Tertiò*, *Homicidæ*, *& Mutilatores membrorum perpetrantes tale flagitium in ipſomet loco ſacro*. Quod procedit etiam in caſu, quò quis in una Eccleſia delinquat, & poſtea fugiat ad aliam.

30 Item hoc verificatur, quando Homicida, vel Mutilator exiſtens extra locum ſacrum ſclopo, vel alio inſtrumento occidat, vel mutilet aliquem exiſtentem in loco ſacro: ex Anacleto, *cit. n.* 33.

31 Non autem è contra, ſi quis exiſtens intra locum ſacrum ſclopo interficiat, vel mutilet aliquem exiſtentem extra locum ſacrum, ut cum aliis docet Bonacina, *tom.* 1. *diſp.* 3 *quæſt.* 7. §. 4. *n.* 8. quia actus non conſummatur in Eccleſia; ergo, &c.

Quartò. *Qui proditoriè hominem occiderit*. 32
Homicidium proditorium eſt, quando quis ſub ſpecie amicitiæ proximum interficit.

Item, nulla præcedente rixa, vel inimicitia, aut ſi præceſſerit, per reconciliationem, & pacem ſublata fuit inimicitia. Item, quando ſecurus, & nihil mali prævidens, nec valens ſe defendere, occiditur: Item, quando quis per alterius inſidias, & dolum necatur.

Quintò, *Aſſaſini* non gaudent, &c. 33
Sunt autem, qui ab aliquo conducuntur pretio promiſſo, ſeu qui operam crudeliſſimam ſuam ad aliquem hominem occidendum locant: qui in Italia vocantur *Sicarii*.

Sextò, *Hæretici*, vel de Hæreſi ſuſpecti, 34
vel inquiſiti ut tales, (niſi publicè tolerentur) non gaudent Jure Aſyli.

Meis temporibus accidit, quòd Reus quidam è carceribus S. Inquiſitionis aufugiens, abſcondit ſe ſe in quodam Conventu: venerunt Officiales ad eum perquirendum, invenerunt tandem; at Superior illius Monaſterii allegavit *Bullam Immunitatis Eccleſiaſticæ* (quam rectè non intellexerat;) Officiales autem allegationem non curantes, extraxerunt Reum. Caſus ad Romanam Inquiſitionem pervenit, quę in favorem Officialium S. Inquiſitionis illius loci de Jure declaravit cum rubore, & mortificatione Superioris dicti Monaſterii.

Septimò, tandem, *Rei criminis læſæ Ma-* 35
jeſtatis in perſonam ſui Principis commiſſi, excluduntur à Jure, & Privilegio Aſyli. Lege Bonacinam *cit.* Dianam, *p.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 18. Summam Dianæ, Coronii. *V. Immunitas Eccleſ. quoad delicta*, *n.* 30. — Anacletum *cit.* — Felicem Panorm. *cit.* & alios; quia non poſſum, ut brevitati ſtudeam, omnia explanare.

Quæro XI. *Quænam ſunt commoda Reorum, ad Eccleſias confugentium?*

℞. Varia: & *I.* Reus in loco Sacro ne- 36
quit capi, aut vinculis conſtringi, multò minùs à cuſtodibus loci Sacri tradi in manus Curiæ Sæcularis, neque per dolum, aut per vim extrahi. *Ex cap. Definit.* 17. *q.* 4. *II.* Reus, quamdiù eſt in Eccleſia, non poteſt per Sententiam Judicis condemnari ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem. *Ex cap. Reum* 17. *q.* 4. & *cap. Inter alia, de Immun Eccleſ. III.* Nequit prohiberi quominùs ad ipſum Reum

ibi

Digitized by Google

ibi extantem neceſſarius victus, & veſtitus diſeratur, *tex. clar. L. Præſenti, C. de his, qui ad Eccleſ. confug.* Non per hoc tamen Superior, vel Cuſtos loci Sacri tenetur alere, aut extraordinirio modo Reum cuſtodire. – IV. Rei ad Eccleſias confugientes recipiendi ſunt, nec inde repelli poſſunt, aut excludi; nam Rectores Eccleſiarum tenentur Jura Eccleſiæ tueri modo utiquè ordinario, ideſt, non expellendo Reum ullo modo à loco Sacro.

Quòd ſi Reus infeſtaret Rectorem Eccleſiæ, tunc ipſe Rector recurrere deberet ad Superiorem ſuum Eccleſiaſticum pro defenſione, & proviſione ſolita &c. Abbas *in cit. cap. Inter alia, de Immun. Eccleſ.* Sylveſter, *V. Immunitas 3. n.5.* – V. Reus ad Eccleſiam fugiens nequit ſpoliari rebus, boniſque ſuis propriis, quæ ſecum attulit, *argum. capit. Deffinivit 17. q. 4.*

Quæro XII. *Quænam ſunt pœnæ, quas incurrunt violantes Immuniaatem Eccleſiaſticam, in hoc puncto, nempe extrahendo per violentiam aliquem Reum ex Aſylo.*

℞. Ultra pœnam peccati mortalis Sa- 37
crilegii graviſſimi, incurrunt Excommunicationem Majorem *latæ ſententiæ* Summo Pontifici ſpecialiter reſervatam. *Ex Bulla citata Gregorii Quartidecimi*, §. 8. Vide plura apud DD. citatos, &c.

« Hæc mihi ſufficiunt pro fidelitate tibi ſervanda, mi Lector, cui promiſi, uberiùs tractaturum hanc *de Sacra Ordinatione* materiam. Veniamus ad declarationem Sacramenti Pœnitentiæ, quod ſicuti eſt primarium objectum, & adæquatu totius ſcientiæ Moralis, ita erit & finis mearum lucubrationum.

TRACTATUS LX.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

EN tandem, Deo dante, ad optatum Pœnitentiæ Sacramentum, de induſtria hucuſque dilatum, pervenimus; omnes enim Tractatus, omneſque materiæ morales ad hoc, tamquam ad objectum totale, & adæquatum, reducuntur, ut Confeſſarius Judex, Doctor, Medicus, & Pater ſpiritualis funditùs *judicare, docere, mederi, atque corrigere* valeat ſuos pœnitentes, tamquam reos, inſipientes, ægrotos, ac filios. Omnia noſtra ſtudia, omneſque ingenioſos labores ad Sacrum Confeſſionis Tribunal eſſe referenda, velut media ad finem, non eſt ambigendi locus, ut dignè pro viribus in Foro Conſcientiæ cauſas judicemus Animarum, quarum una pluris æſtimanda eſt, quàm omnes ſimul externi, civiliſque Foris lites. Unde iſta materia præ omnibus, & capienda, & memoriæ commendanda eſt, quam in plures, claritatis gratia, dividam Tractatus partiales, & in hoc primo agemus, de *Inſtitutione, eſſentia, neceſſitate, & effectibus Sacramenti Pœnitentiæ*. Igitur.

Quæro I. *Quid eſt Sacramentum Pœnitentiæ?*

℞. Eſt abſolutio hominis pœnitentis, 1
facta certis verbis, cum debita intentione prolatis à Sacerdote Juriſdictionem habente, ex Inſtitutione Divina efficaciter ſignificantibus abſolutionem animæ à peccatis. Ita Scotus *in 4. diſt. 14. q. 4.*

Vel. Eſt Sacramentum, quo Sacerdos 2
tamquam Judex confert remiſſionem peccatorum confitenti cum debito dolore, & onere ſatisfaciendi. Ita Joan. Boſco, *diſp. 7. ſect. 1. n. 4. Vel* ſic: Eſt ſignum efficax gratiæ remiſſivæ peccati, poſt Baptiſmum commiſſi. *Vel* ſic: Eſt Sacramentum remiſſivum peccati per modum Judicii. *Vel* tandem ſic: Eſt Sacramentum novæ legis, quo homo verè pœnitens, & confeſſus à peccatis ſuis abſolvitur a Legitimo Sacerdote. Quæ omnes deſcriptiones meliùs explicant naturam ejus.

Quæro II. *Quare dicitur Pœnitentia?*

℞. Quia omnes ejus parte pœnam, & 3
laborem includunt. Contritio enim affert dolo-

dolorem, Confeſſio ruborem, ſatisfactio laborem.

Quæro III. *Cur dicitur Sacramentum?*

4 ℞. Quia habet tria requiſita ad Sacramentum; habet *primò* promiſſionem gratiæ: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, &c.* Matth. 16. *Secundò* eſt ſignum ſenſibile; *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Joan. 20. Et *tertiò* habet mandatum, ſeu præceptum, quod colligitur ex iiſdem textibus; non enim fruſtrà data eſt talis poteſtas remittendi, ſeu abſolvendi; ergo eſt ſenſibile ſignum efficax Gratiæ.

Quæro IV. *Cur dicitur Sacramentum Abſolutionis hominis, &c.*

5 ℞. Quia ejus forma eſt abſolutio, id eſt, quædam ſententia definitiva abſolvens reum, nempe peccatorem pœnitentem, confitentem.

Quæro V. *Conſiſtitne hoc Sacramentum in ſola abſolutione?*

6 ℞. Nequaquam, quia omne Sacramentum debet conſiſtere in materia, & forma propria. Actus autem pœnitentis ſe habent tamquam materia, actus verò Sacerdotis abſolventis eſt ejus forma. Unde ex his actibus habetur hoc Sacramentum; ſicque actus pœnitentis, & abſolutio Sacerdotis ſunt de eſſentia. Et in hoc omnes DD. conſentiunt, etiam Scotus noſter, quia, dicit abſolutionem non quamcumque, ſed eam, quæ confertur pœnitenti, & confitenti peccata ſua, eſſe Sacramentum. Ita Filliucius, *Tract. 6. n. 33.*

Quæro VI. *Pœnitentia eſtne verè, & propriè Sacramentum?*

7 ℞. Patet ex dictis, quòd ſic. Tum quia ut tale ſemper fuit habitum in Eccleſia Dei, ut habetur ex Conc. Florentino in Decreto Eugenii, §. *Nova legis ſeptem ſunt Sacramenta*: ibique connumerat omnia, inter quæ eſt *Pœnitentia*. Et noviſſimè Conc. Tridentinum hanc veritatem fatetur, ſeſſ. 14. can. 1. dicendo: *Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica Pœnitentiam non eſſe verè, & propriè Sacramentum pro Fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi DEO reconciliandis, à Chriſto Domino inſtitutum; anathema ſit.*

Quæro VII. *Quandonam fuit inſtitutum?*

8 ℞. Tunc præcipuè, cùm Chriſtus Dominus à mortuis excitatus apparens Diſcipulis ſuis inſuflavit in eos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Joan. 20. ut habetur ex Conc. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 1. & can. 3.*

Quæro VIII. *Quare Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum?*

℞. Ad remiſſionem peccatorum mor- 9
talium, quæ poſt Baptiſmi ſuſceptionem committuntur; ut docet Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap. 1. ibi: *Quoniam autem Deus, Dives in Miſericordia, cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſe ſe poſtea in peccati ſervitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur.*

Quæro IX. *Quomodo ergo ſalvabantur peccatores ante inſtitutionem hujus Sacramenti?*

℞. Per virtutem Pœnitentiæ, quæ eſt 10
perfecta Contritio. Ita ex Conc. Trid. loc. & cap. cit. ibi. *Fuit quidem Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam, & juſtitiam aſſequendam neceſſaria... Porrò nec ante adventum Chriſti Pœnitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt adventum illius cuique ante Baptiſmum.* Hęc Concilium: ex quibus manifeſtè colligitur, quòd illa Pœnitentia erat tantùm *Virtus*, quæ dicitur *Contritio*. Quæ quidem delebat peccata, non tamen *ex opere operato*, (quia eſt effectus proprius Sacramenti) ſed *ex opere operantis*. - P. Boſco noſter hoc docet cum communi Theologorum, *diſp. 7. de Sacram. ſect. 1. n. 53.* Faber, Hiqueus, Card. Brancatus, & alii cum Maſtrio, *Moral. diſp. 21. n. 75. & 76.*

Objicies. Homines peccatores poterant 11
ſalvari per virtutem Pœnitentiæ; ergo non erat neceſſaria alia Pœnitentia, ut Sacramentum.

℞. Nego conſequentiam abſolutè; quia Conc. Trid., ſeſſ. 14. cap. 2. docet: *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondùm regeneratis* (neceſſarius eſt) *ipſe Baptiſmus.*

Quæro X. *Quare Chriſtus inſtituit tam arduum remedium ad delenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa?*

℞. Quia ſic exigebat Divina Juſtitia; 12
nam Tridentinum loc. cit. ait: *Ad quam tamen novitatem, & integritatem* (nempè

plenam

Digitized by Google

plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem ſemel conſecutam in Baptiſmo) *per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus Divina id exigente Juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus, ut meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuerit.*

13 Alia ratio aſſignata eſt à Concilio, loc. cit. cap. 1. ibi: *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam in Baptiſmo, ipſius beneficio, & gratia ſuſceptam, conſtanter omnes tuerentur, non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum, &c.* Ergo noſtra ingratitudo fuit cauſa inſtitutionis tam laborioſi Sacramenti.

14 Quæ quidem optima ratio inculcatur ab eodem Concilio, cap. 8. ibi: *Sanè, & Divinæ Juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter verò, qui ſemel à peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti, dono, ſcienter templum Dei violare. & Spiritum-Sanctum contriſtare non formidaverunt.*

Quæro XI. *Fuitne utile, & expediens, ut inſtitueretur hoc Sacramentum Pœnitentiæ?*

15 ℟. Certiſſimè. Ratio eſt. quia nulla alia eſt ita facilis, & ita certa via, per quam poſſit homo recuperare gratiam, quàm per iſtam viam, & per hoc medium, quod eſt Sacramentum; hìc enim non oportet, niſi habere Attritionem de peccatis, & non ponere obicem ad gratiam, quod multò minùs eſt, quàm habere Contritionem perfectam, quæ per modum meriti *de congruo* ſufficiat ad Juſtificationem. Poteſt enim aliquis eſſe magis certus de ſua Juſtificatione per Pœnitentiam *Sacramentum*, quàm per Pœnitentiam *Virtutem*; ergo iſta via ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ eſt magis poſſibilis homini viatori infirmo, magiſque facilis, atque certa ad gratiam primam recuperandam. Ita ex Scoto, *in 4. diſt. 17. q. 1.*

16 Tum Sacramentum infallibiliter cauſat gratiam, quam ſignificat, *ex opere operato*. Tum quia major, & abundantior eſt gratia, quæ cauſatur à Pœnitentia *Sacramento*, quàm à Pœnitentia *Virtute*; unde ſi Pœnitentiæ per ſe ſumptæ, quatenùs eſt diſpoſitio, & actus virtutis, reſpondebat gratia V.G. duorum graduum, ex vi poſteà Pœnitentiæ *Sacramenti* reſpondebit gratia quatuor graduum. Idem dicendum de Satisfactione. Ita ex Suarez, Filliucius, *tr. 6. n. 42. & 43.*

Quæro XII. *Quare hoc Sacramentum fuit inſtitutum ad modum Judicii?*

℟. Quia Chriſtus dedit poteſtatem Apoſtolis, & ſucceſſoribus ſuis remittendi 17
peccata, & retinendi; hoc autem fieri non poteſt, niſi inſtituendo *Tribunal Confeſſionis*, in quo Jus dicatur, ſeu judicetur, abſolvendo dignos, & non abſolvendo indignos. Ita P. Boſco noſter, *d.7. De Sacr. ſect. 1. n. 53.*

Dicam clariùs cum Scoto, *in 4. diſt. 17. q. 1. n. 11.* Data eſt poteſtas Apoſtolis, & in eis omnibus Sacerdotibus, remittendi peccata, Joan. capitul. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* non principaliter; quia hoc eſt proprium Dei; ſed miniſterialiter, & arbitrativè; ſed non poſſunt arbitrari in cauſa ignota; ergo eſt eis manifeſtanda cauſa, in qua debent arbitrari. Hæc autem manifeſtatio eſt Confeſſio Sacramentalis; ergo, &c.

Nota hìc, quæſo: quàm benè locutus ſit 18
Scotus; nam Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 14. c. 5.* docet, quòd ex inſtitutione hujus Sacramenti habeatur modus judicialis: *quia*, inquit, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus à terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtifideles ceciderint; quò, pro Poteſtate Clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuncient. Conſtat enim, Sacerdotes Judicium hoc, incognita Cauſa, exercere non potuiſſe; &c.*

Conſidera Verba Scoti, & ea confer cum verbis Concilii, & videbis, quàm benè ſcripſerit Scotus noſter, qui in flore ſuæ ætatis, annum agens trigeſimum quartum, obdormivit in Domino *die octava Novembris* anno poſt Chriſtum natum *milleſimo trecenteſimo octavo*; ut legitur *in Martyrologio Franciſcano* P. Arturi noſtri. – Concilium autem Tridentinum fuit inchoatum die *decimatertia Decembris anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto*: & terminatum poſtea *de anno* 1563. 4. *Decembris*.

Quæro XIII. *Quomodo eſt neceſſarium hoc Sacramentum?*

℟. Eſt neceſſarium lapſis in mortale 19
poſt

Digitized by Google

poſt Baptiſmum neceſſitate medii ad ſalutem æternam, in re, vel in voto ſuſceptum. Ut habetur ex Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 2. *in fine.*

Quæro XIV. *Ex quo præcepto?*

20 ℞. Ex præcepto Divino: ut docet idem Conc. *l. c. c.* 5. *ſeſſ.* 14.

Quæro XV. *Quid ſignificat Sacramentum* in re *ſuſceptum?*

21 ℞. Eſt quando reverà quis fideliter confitetur ſua peccata coram Sacerdote approbato, & abſolvitur.

Quæro XVI. *Quid autem ſignificat Sacramentum* in voto?

22 ℞. Quando quis, etiam contritus, deſiderat confiteri ſua peccata Sacerdoti legitimo, & tamen hic, & nunc non poteſt: dicitur habere Sacramentum *in voto*, ideſt, in deſiderio.

23 *Objicies*. De facto remittuntur peccata omnia alio medio, ſcilicet Contritione Charitate perfecta; Ergo Sacramentum hoc non erit abſolutè neceſſarium neceſſitate medii.

℞. Reconciliatio tamen non eſt adſcribenda ipſimet Contritioni, ſine Sacramenti voto; igitur non urget argumentum. Lege Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 14. *&* *ſeſſ.* 14. *c.* 4.

24 *Inſtabis*. Si hoc eſſet verum, ſequeretur, quòd per Contritionem culpa remitteretur ſub conditione hac: *Si habeat annexum votum Sacramenti?*

℞. Omnis Catholicus adultus ſcit, ſe obligari ad Confeſſionem; igitur vel implicitè, vel explicitè (dum conteritur) habet votum Sacramenti; quia (ut probat P. Boſco noſter, *diſp.* 7. *ſect.* 1. *n.* 73.) ſufficit habere votum implicitum, & virtuale confitendi; in vera autem Contritione imbibitur hoc votum.

Quæro XVII. *Quid ſignificat Poteſtas Clavium Sacerdotalium?*

25 ℞. Significat Poteſtatem pronuntiandi ſententiam remiſſionis, aut retentionis peccatorum. Ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Retinere peccata idem eſt, ac non remittere peccata, & conſequenter non remiſſa eſſe in Cœlo à Deo. Remittere verò eſt validè abſolvere, & conſequenter remiſſa eſſe in Cœlo: juxta illud Chriſti Matth. 16. *Et tibi dabo Claves Regni Cælorum*. Ubi Gloſſa Interlinearis dicit: *Præſentis Judicii poteſtatem in Eccleſia*. Et Lyranus noſter: *Poteſtatem admittendi ad Regnum, vel excludendi, ſecundùm verum Judicium præhabitum: quia debent indigni excludi, & digni recipi*. Gloſſa autem Ordinaria ait: *Claves ſunt: diſcernendi ſcientia, & potentia, qua dignos recipere, indignos excludere Sacerdos debet, &c.*

Quæro XVIII. *Sacramentum Pœnitentiæ virtute Clavium remittitne verè, & propriè omnia peccata?*

℞. Affirmativè. Quod poſſet probari ex Trid. ſeſſ. 7. Decreto de Sacramentis: in Proœmio: ibi. *Per Sacramenta omnis vera Juſtitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur, &c.* — Et can. 6. ibi: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre ... anathema ſit.* — Et ſeſſ. 14. c. 1. Ubi, poſtquam poſuit Inſtitutionem hujus Sacramenti Pœnitentiæ, & verba Chriſti, ait: *Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi peccata ad reconciliandos Fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimè ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* — Et ibi cap. 2. *Nam hos ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, &c. ante hoc Tribunal, tamquam reos ſiſti voluit; ut, per Sacerdotum ſententiam NON SEMEL, ſed QUOTIES ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſint liberari.* — Et ibi c. 3. *Sanè verò res, & effectus hujus Sacramenti Pœnitentiæ, quantùm ad ejus vim, & efficaciam pertinet Reconciliatio eſt cum Deo, &c.* — Et ſeſſ. 14. cap. 6. & 14. & can. 9. & ſeſſ. 6. cap. 14. & alibi. 26

Nihilominus probatur *rationibus Theologicis*, ſic: Sacramentum hoc, (ut patet ex definitionibus initio hujus Tract. allatis) eſt ordinatum à Chriſto in remiſſionem omnium peccatorum poſt Baptiſmum perpetratorum. Tum quia à SS. Patribus vocatur *Sacramentum mortuorum*, *medicina contra primam mortem*, ideſt, mortem Animæ in hac vita, *Secunda Tabula poſt naufragium*, *Laborioſus quidam Baptiſmus*, *Reconciliationis*, ſeu Remiſſionis, ſeu Abſolutionis *Sacramentum*. 27

Præterea: omnis forma Sacramentorum, ritè collata, Prolata, & explicata, habet ſuum effectum Sacramentalem producere; atqui forma hujus Sacramenti eſt: *Ego te abſolvo à peccatis tuis*: ergo hæc verba verè, & propriè, in genere Cauſæ moralis, debent cauſare efficaciter abſolutionem, & remiſſionem peccatorum omnium. 28

Dices.

29 *Dices*. Si hoc eſſet verum, ſequeretur, quòd Sacerdos deleret etiam maculam, ex integro tolleret culpam, & pœnam mortis æternæ; ſed hoc eſt proprium Dei juxta illud Luc. 15. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?*

℞. Cum Scoto, *in 4. diſt. 19. q. 1. n.* 24. quòd & hæc omnia facit Sacerdos, ſed non facit niſi inſtrumentaliter; quia ex vi Formæ Sacramentalis neceſſitat Deum (ex pacto facto) ad prædicta. Proprium autem eſt DEI principaliter, & phyſicè mundare, remittere, tollere maculam, culpam, pœnam, &c. ſicut, & gratiam cauſare; Sacerdos autem ſolùm mortaliter attingit illos effectus; idque ex delegatione, & commiſſione ipſius Dei.

30 *Praterea*. Aut pœnitens eſt ritè *diſpoſitus*: & tunc peccatum omne mortale, & tota culpa remittitur ex virtute Sacramenti: cùm non ſit major ratio de uno peccato mortali, quàm de alio, & ſic de innumeris, nam Miniſter Sacramentorum operatur ex poteſtate illimitata Chriſti Domini, qui dedit Sacerdotibus auctoritatem Clavium, ad remittenda peccata totaliter. — Aut pœnitens eſt *indiſpoſitus*: & tunc peccatum quoad nihil dimittitur propter obicem.

Quæro XIX. *Sacramentum Pœnitentiæ una cum culpa mortali, remittitne pœnam æternam, eam in temporalem commutando?*

31 ℞. Affirmativè: & eſt expreſſa Doctrina, & veritas Catholica definita in Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. & can. 30. Item ſeſſ. 14. can. 12. & 15. Et ratio Theologica id etiam ſuadet; quia planè conveniens erat, quòd homo quantùm commodè fieri poteſt, ſatisfaceret Deo pro peccatis dimiſſis; cùm ergo per pœnam temporalem commodè poſſit homo ſatisfacere; hæc enim non repugnat præmio æterno, imò præmium auget, ſequitur, quòd juſtiſſimè Deus ordinaverit homini pœnitenti, ut ſatisfaciat. Lege Concilium, ſeſſ. 6. cap. 7. & ſeſſ. 14. cap. 8. ubi pulcherrimam invenies Doctrinam.

32 *Tum quia*, qui pro peccato mortali præterito poterat hominem juſtè punire in æternum, etiam juſtè eamdem pœnam poteſt infligere pro certo aliquo tempore majori, vel minori, ut ſibi videbitur meliùs expedire, remiſſa jam culpa; atqui Deus ſolus hoc poteſt; ergo juſtiſſimè, imò magna etiam cum miſericordia, commutat pœnam æternam in temporalem pro menſura, & qualitate delicti jam remiſſi. Quando enim alicui Reo criminis læſæ Majeſtatis miſericorditer remittitur crimen, & pœna capitis commutatur in pœnam flagellationis, nonne poteſt Reus etiam flagellatus gratias agere Miſericordi Principi? Quantò ergo magis peccator erga Deum?

Quæro XX. *In Sacramento Pœnitentiæ dimittiturne ſemper pars aliqua pœnæ etiam temporalis, major, vel minor ſecundùm pœnitentis diſpoſitionem?*

℞. Utiquè. Et licèt non ſit omninò cer- 33
tum, colligitur tamen ex Doctrina Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. ibi: *Satisfactionem, non quidem pro pœna æterna; ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ litteræ, docent, non tota ſemper (ut in Baptiſmo fit) dimittitur illis, &c.*

Subſumo: ſi non tota ſemper dimittitur; quid vetat, aſſerere aliquam partem ſemper dimitti ex vi hujus Sacramenti? Audi D. Bonaventura, *in 4. diſt.* 18. *num.* 24. Quòd Sacerdos aliquam partem pœnæ temporalis abſolvendo dimittat pœnitenti virtute Clavium: eſt modus dicendi magis conſonus rationi, & pietati: *ibique probat*. Ita etiam tenet P. Boſco noſter, *diſp. 7. de Sacram. ſect.* 1. *à num.* 207. Item Filliucius cum aliis DD. *tract. 6. n.* 100.

Quæro XXI. *Quomodo, aut qualiter hoc fit?*

℞. Cum noſtro Herinx, *diſp.* 4. *de Ju- 34
ſtific. n.* 44. quòd Deus unica remiſſione mutat pœnam æternam in temporalem, inæqualem tamen, juxta inæqualitatem diſpoſitionis, & contritionis pœnitentis. Addo cum *Boſco*, quòd ſicut unuſquiſque recipendo validè Sacramenta recipit gratiam ſecundùm menſuram, quàm Spiritus-Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem; ita erit dicendum de remiſſione pœnæ temporalis in hoc Sacramento Pœnitentiæ.

Quæro XXII. *Quinam ſunt effectus primarii hujus Sacramenti?*

℞. Sunt quatuor: nempe I. Remiſſio 35
peccatorum mortalium. II. Commutatio pœnæ æternæ in temporalem. III. Sacramentalis Gratia, & IV. Ablatio reliquiarum peccatorum. Ita ex communi Filliucius, *Tract. 6. cap.* 4. De duobus primis ſatis pro Compedio vidimus; Igitur

uæro

Digitized by Google

Quæro XXIII. *Quænam eſt Gratia Sacramentalis hujus Sacramenti?*

36 ℟. Eſt auxilium quoddam ſpeciale Divinæ Aſſiſtentiæ, quo præſervatur pœnitens à peccatis, ut faciliùs perſeveret in recuperata Juſtitia, & Gratia Sanctificante. Fit enim per hujuſmodi gratiam verus pœnitens humilior, & cautior, ejuſque potentiæ roborantur contra recidivam, aut relapſum; nam (ut docet D. Thomas, *in 3. part. q. 62. art. 2.*) Gratia Sacramentalis addit ſuper Gratiam, communiter dictam *ſanctificantem*, quoddam Divinum auxilium ad conſequendum Sacramenti effectum. – Atqui (ex eodem Doctore Angelico *ibi quæſt. 70. art. 4.*) minima Gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale.

Quæro XXIV. *Quid eſt tollere reliquias peccatorum?*

37 ℟. Eſt auferre ex aliqua parte, vel diminuere pronitates, vel habitus ad peccandum contractos; ac tribuere vigorem contra tentationem, & fatigationem animi, ne iterùm deficiat; non tamen per hoc aufertur propenſio ad malum, neque difficultas ad bonum; quia opus eſt exercitio, & frequentatione actuum Virtutis. – D. Thomas, *in 3. part. q. 89. art. 2. ad 2.* dicit, quòd Pœnitentia, quantùm eſt de ſe, habet virtutem reparandi defectus: & promovendi in ulteriorem ſtatum perfectionis.

Quæro XXV. *Quare hoc Sacramentum vocatur* Secunda Tabula poſt naufragium?

℟. Quia cùm genus humanum, Primi 38
Parentis lapſu, naufragium quoddam Spiritualium bonorum, ac vitæ æternæ paſſum ſit, & quilibet homo actuali ſuo peccato voluntariè iterùm naufragetur; hinc duo nobis miſericors DEUS Sacramenta in Lege nova paravit, veluti duas Tabulas ad emergendum, inſtituendo *Baptiſmum*, & *Pœnitentiam*. Baptiſmus tamquam prima Tabula, ac lignum Vitæ: Pœnitentia tamquam ſecunda Tabula ad ſalutem. Nec Tertia opus eſt: eò quòd quotieſcumque homo baptizatus relabitur, faciliter poteſt iterùm, atque iterùm arripere Secundam Pœnitentiæ Tabulam, ut viſum eſt. Ideòque hoc Sacramentum eſt iterabile, ut patet.

Nunc remanent conſequenter declarandæ Partes eſſentiales, & integrales hujus Sacramenti; at ut diſtinctiùs, clariùſque procedamus, ſequenti Tract. reſolventur.

TRACTATUS LXI.

DE MATERIA, ET FORMA Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæro I. *Quænam eſt materia hujus Sacramenti?*

1 *Reſp. I.* Cùm in omnibus Sacramentis hucuſque declaratis diſtinxerimus materiam, *in Remotam*, & *Proximam*; jure merito etiam in hoc diſtinguere debemus.

2 ℟. *II.* Materia igitur remota eſt omne, & ſolùm peccatum commiſſum poſt Baptiſmum. Ut habetur ex Trid. *ſeſſ. 14. cap. 1. 2. & 5.* Et ratio eſt: quia pro remiſſione peccati Originalis, & omnium actualium ante Baptiſmum admiſſorum, inſtitutum fuit Sacramentum ipſum Baptiſmi: ut docet Conc. Florentinum *in Decr. Eugenii, §. de effectibus Sacram.*

3 *Nota hic*, quòd à quibuſdam citatur Scotus noſter pro opinione antiquata, quę dicebat: *omne peccatum mortale ſive ante, ſive poſt Baptiſmum eſſe materiam hujus Sacramenti*; at Scotum non legerunt per totum, qui hoc ei attribuunt; legant meliùs *in 4. diſt. 4. q. 5. n. 6. & 7.* ubi dicit: Peccatum mortale (poſt Baptiſmum) non deletur, niſi per Pœnitentiam: hæc propoſitio debet intelligi, de peccato commiſſo poſt Baptiſmum, vel omninò inhærente, ſic ſcilicet, quòd de ipſo nec fuerit Contritio, nec Attritio in Baptiſmo, nec poſt Baptiſmum.

Petes. Peccatum quod fit in ipſo inſtanti ſuſceptionis Baptiſmatis, eritne materia hujus Sacramenti?

℟. Sco-

Digitized by Google

4 R. Scotus, *cit. n. 6.* dicit, quòd ſic: ejuſque ſententia modò eſt communis. Ratio eſt: quia in illo inſtanti, vel tempore homo eſt Chriſtianus non minùs, quàm in omnibus reliquis inſtantibus vitæ ſuæ. Tum quia illud peccatum non dicitur propriè commiſſum *ante Baptiſmum*, ſed *in ipſo Baptiſmo*. Tum quia ex D. Auguſtino, *lib. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 12.* habetur: quòd ſi fictus acceſſit ad Baptiſmum, non debet denuò baptizari, ſed vera Confeſſione purgari.

5 R. III. Materia remota hujus Sacramenti eſt duplex: alia ſufficiens, alia neceſſaria ad abſolutionem Sacramentalem.

6 *Materia ſufficiens* eſt peccatum veniale, ut colligitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ibi: Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè, & utiliter, citraque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod Piorum hominum uſus demonſtrat, &c. -- Et can. 7. Si quis dixerit, non licere confiteri venialia; anathema ſit.

Tum quia: quando Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum, ait Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Sed hæc verba generaliter dicta, generaliter intelligenda ſunt, ubi nihil obſtat: ergo. Audiamus Scotum noſtrum *in 4. diſt. 17 q. un. num. 32. in fine*: ubi dicit: Simpliciter Innocens à mortali, & veniali, tenetur ſimpliciter non confiteri. Unde ſi Beata Virgo fuiſſet confeſſa Petro poſt Aſcenſionem Domini, peccaſſet confitendo. Sed ſi eſt tantùm innocens à mortali, poteſt confiteri venialia.

7 *Item*, peccata mortalia ſemel ritè confeſſa poſſunt eſſe materia ſufficiens novæ abſolutionis. Patet ex Benedicto P. XI. *in extrav. cap. Inter cunctas: de privileg.* ibi: Cæterùm licèt, ſicut prædicitur, de neceſſitate non ſit, eadem confiteri peccata; tamen quia propter erubeſcentiam (quæ magna eſt Pœnitentiæ pars) ut eorumdem peccatorum iteretur Confeſſio, reputamus ſalubre. *Hac Pontifex*.

8 Et quamvis ibi loquatur de peccatis mortalibus (*propter erubeſcentiam*) nihilominus par ratio eſt de peccatis omnibus, etiam venialibus, ex Boſco noſtro, *de Sacr. diſp. 7. ſect. 2. n. 44.*

9 *Materia autem neceſſaria* ad abſolutionem Sacramentalem eſt peccatum mortale numquam directè abſolutum virtute Clavium. Patet manifeſtè ex multis textibus Conc. Trid. *ſeſſ. 14. c. 1. 2. 5. & can. 7.* Audi Scotum, *in 4. diſt. 17. q. 1. n. 19.* Continet etiam hoc præceptum. Quid debeat confiteri? Quia peccatum mortale: & non continet aliud; nam per veniale nullus periclitatur extra navem Eccleſiæ, (quia peccatum veniale ſtat cum Charitate, etiam perfecta) quæ eſt Navis ſalvans; & ideò ex prima Inſtitutione Pœnitentiæ, ut Secundæ Tabulæ, non oportet aliquem ad eam confugere pro remedio contra veniale, ſed tantùm contra mortale.

10 Dicitur autem *peccatum mortale materia neceſſaria*, non quia ſine eo nequeat confici hoc Sacramentum; ſed quia iſtud neceſſariò debet ſubjici Clavibus Eccleſiæ, directè remittendum per Abſolutionem Sacramentalem, quamvis etiam priùs per Contritionem perfectam foret à DEO remiſſum: aut indirectè tantùm abſolutum: ut quando quis confitens alia ſua peccata obliviſcitur unius mortalis, quod tunc indirectè tantùm ex vi Sacramenti remittitur per abſolutionem; iſte enim, poſtquàm illius peccati recordatur, tenetur ſubjicere Clavibus, ut directè abſolvatur. At de hac materia meliùs, *tract. 63. à n. 27. & ſeq.*

11 R. IV. Materia tandem, ſeu quaſi materia proxima hujus Sacramenti ſunt actus hominis pœnitentis, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.

Ita ex Concil. Florent., *in Decr. Eug.* ibi: Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus Pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes; quorum prima eſt Cordis Contritio, ſecunda oris Confeſſio, tertia operis Satisfactio. -- Et ex Trid. *ſeſſ. 14. c. 3.* ibi: Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti Pœnitentiæ ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio; qui, quatenùs in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione, requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur. *Hac Concilia*, quibus omninò ſtandum eſt.

Quæro II. *Quare prædicti actus pœnitentis dicuntur* quaſi materia?

12 R. Quia in aliis Sacramentis Materia eſt aliquid tangibile, corpus, vel inſtrumentũ, ſeu ejus applicatio (ut vidimus in ſingulis) in hoc auté nõ eſt aliqua materia corporea, ſed ſolùm actus humani interni, & externi, nem-

nempe prædicti actus pœnitentis, ſine quibus forma abſolutionis nihil efficeret, nec efficacem haberet ſignificationem. Ex Maſtrio, *Moral. diſp. 21. q. 5. art. 2. n. 109.*

Quæro III. *Quare peccata dicuntur materia remota hujus Sacramenti?*

13 ℞. Quia ſunt materia, *ſuprà quam* cadit dolor, qui eſt materia proxima. *Vel:* quia ſunt materia, *circa quam* deſtruendam applicantur actus pœnitentis confitentis, & Sacerdotis abſolventis.

Quæro IV. *Prædicti actus pœnitentis*, Contritio nempe, Confeſſio, & Satisfactio *ſuntne partes materiales eſſentiales, an integrales?*

14 ℞. *I.* Inter Scholaſticos Catholicos eſt ſolùm lis, vel controverſia de nomine, & modo loquendi; omnes enim admittunt Doctrinam allatam à Conciliis Florentino, & Tridentino. Nihilominus qui tenent, eos actus vocari debere *partes eſſentiales* excludunt *operis ſatisfactionem*; nam patet per experientiam, confici Sacramentum nulla adhuc exhibita operis ſatisfactione, quæ vulgò *pœnitentia* appellatur. Alii dicunt, *ſatisfactionem in voto* tantùm, ideſt, propoſitum ſatisfaciendi, eſſe partem eſſentialem; *in re* autem exhibitam, ſeu exercitium, vel executionem operis eſſe tantùm partem integralem. V. Maſtrium *cit. à n. 101.*

15 ℞. *II.* Alii tenent, actus prædictos vocari debere *partes integrales* requiſitas ex Divina Inſtitutione ad integritatem Sacramenti, & ad plenam, & perfectam peccatorum remiſſionem, & iſti nituntur verbis propriis Conc. Trid. ſuperiùs citati. Vide, ſi habes, P. Boſcum noſtrum egregiè defendentem Scotum, & probantem, Doctrinam Scoti eſſe planè conſonam Concilio Trid. Vide, inquam, *diſp. 7. de Sacr. ſect. 2. concl. 3. à n. 66.*

Quæro V. *Quare tot actus requiruntur ad perficiendum hoc Sacramentum?*

16 ℞. Quia, ut vidimus, hoc Sacramentum fit *per modum Judicii* in Foro Sacramentali, interno, & ſecreto. In omni autem recto Judicio requiruntur plures actus, tam ex parte *Rei*, quàm ex parte *Judicis*: nempe accuſatio *Rei*, examinatio Teſtium, cognitio Cauſæ, defenſio, & ſententia finalis abſolutiva, vel condemnativa. Ita à ſimili in hoc Sacro Judicio pœnitens gerit vicem accuſatoris, teſtis, defenſoris, & *Rei*; Sacerdos autem fungitur Officio *Judicis* examinando, cognoſcendo, diſtinguendo, & finaliter vel abſolvendo, vel condemando pœnitentem; ergo plures actus requiruntur in vera Confeſſione Sacramentali: *Ex parte pœnitentis* Examen, dolor, propoſitum, accuſatio ſuorum delictorum, & acceptatio ſatisfactionis; *Ex parte Sacerdotis* verò, Juriſdictio, ſcientia, prudentia, probitas, attentio, cognitio, diſtinctio, interrogatio, impoſitio pœnæ, & abſolutio.

Quæro VI. *Quomodo* Contritio cordis *poteſt eſſe pars eſſentialis, vel integralis hujus Sacramenti, dum non eſt quid ſenſibile, aut viſibile?*

℞. Quia licèt Contritio ſit inſenſibilis, 17
& inviſibilis in ſe, redditur tamen ſenſibilis, & viſibilis in alio, hoc eſt, in accuſatione criminis commiſſi, in modo confitendi, & in aliis ſignis extrinſecis, quæ faciunt venire in cognitionem moralem ipſius doloris.

Quæro VII. Peccatum Originale *poteſtne eſſe materia ſaltem ſufficiens Confeſſionis Sacramentalis?*

℞. Quòd non. Quia hoc peccatum 18
non fuit à nobis commiſſum, ſed contractum, & propagatione transfuſum; & *Originale* dicitur, quia *Origine* unum eſt, licèt unicuique proprium; nam unuſquiſque in eo, vel cum eo concipitur in utero Matris ſuæ; *Adam* enim peccando, ſibi, & ejus propagini acceptam à DEO Sanctitatem, & Juſtitiam perdidit: hoc, inquam, peccatum nequit eſſe materia hujus Sacramenti. Tum quia hoc peccatum jam eſt deletum, & annihilatum per Sacrum Baptiſma, quod (ut vidimus) fuit inſtitutum ad hunc ſpecialem, & primarium finem delendi Originale.

Quare meritò fuit damnata hæc propo- 19
ſitio ab Alexan. P. VIII. la 19. quæ ſic ſonabat: — *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato Originali.*

Quæro VIII. *Forma Sacramenti Pœnitentiæ, eſtne pars eſſentialis?*

℞. In hoc omnes conveniunt, & di- 20
cunt, quòd ſic. Quia Conc. Trid., ſeſſ. 14. cap. 3. apertis verbis dicit: *Docet præterea S. Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam (in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt) in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: EGO TE ABSOLVO, ETC.*

Communi ergo calculo eſt pars eſſentialis ejus, & præcipua: atque vocatur *Pars formalis* ad diſtinctionem cæterarum, quæ

Digitized by Google

quæ dicuntur *Partes materiales* hujus Sacramenti.

21 Quapropter hoc Sacramentum vocatur *Abſolutionis, & Reconciliationis Sacramentum*, à parte formali. Dicitur autem *Pœnitentiæ Sacramentum*, à parte materiali.

Quærò IX. *Quare Concilium appoſuit illam particulam, ETC.?*

22 R. Magna lis eſt circa intelligentiam hujus *ETCÆTERA*; nam *Valentia*, & alii DD. dicunt, Concilium non declaraſſe, quidquam eſſe de eſſentia, & valore Sacramenti hujus, niſi ea diſtincta verba antecedentia: *Ego te abſolvo*: quia hæc ſola verba ſignificant formaliter *Abſolutionem à peccatis*. Appoſuiſſe autem hanc particulam *ETCÆTERA*, ut indicaret, alia verba adjungi Formæ prædictæ ex laudabili Eccleſiæ conſuetudine.

23 *Coninchius* verò, & alii DD. dicunt, Concilium addidiſſe ly, *ETC.* ut indicaret nobis, ſe nolle definire, an expreſſio *à peccatis tuis* ſit eſſentialis Abſolutioni Sacramentali; ſed locum diſputationibus ſcholaſticis, & opinionibus relinquere, ut fecit in aliis materiis non ita neceſſariis, ut indigeant declaratione, & determinatione Eccleſiæ.

24 *Maſtrius*, & alii DD. dicunt Concilium Trident. (& etiam Florentinum) addidiſſe ly *ETC.* ut indicaret, expreſſionem *à peccatis* pertinere ad integritatem eſſentialem Formæ; ita ut hæc completa Forma: *Abſolvo te à peccatis*: ſit eſſentialis. Nihilominus idem *Maſtrius* huic opinioni non adhæret, ſed tenet cum multis aliis DD. eſſe veram communem illam ſententiam, quæ docet, ſola hæc duo verba: *Abſolvo te*: eſſentialem hujus Sacramenti Formam conſtituere, & hanc ad ejus valorem ſufficere neceſſariam eſſe. Ita etiam tenent P. Anacletus noſter *in Moral. Tr. 14. diſſ. 6. q. 3. n. 22. & ſeqq.* — Et P. Boſco noſter, *de Sacr. diſp 7. ſect. 3. concl. 1. à nu. 4. & ſeqq.* — Et Filliucius cum aliis DD. *Tr. 6. cap. 3. n. 64.*

25 *Caſtropalaus* cum aliis DD. *Tract. 23. diſp. unic. punct. 5. n. 3.* addit: Monent tamen communiter DD. te benè grave peccatum commiſſurum, ſi expreſſionem *à peccatis* in abſolutione omitteres; ſiquidem probabilitate non caret, prædictam expreſſionem neceſſariam eſſe ad valorem; & conſequenter probabile eſt, quòd, (ſi omittas) exponis Sacramentum periculo irritationis, & nullitatis, in gravem irreverentiam ipſius Sacramenti, & in damnum ſuſcipientis.

26 *Addo*. In Sacramentis conferendis tutior via eſt ſemper eligenda, ubi agitur de valore; ergo tenenda eſt ſententia illorum DD. qui dicunt, expreſſionem *à peccatis* eſſe neceſſariam ad valorem formæ. Etenim quænam juſta cauſa, aut neceſſitas poterit unquam te excuſare à culpa mortali, ſi aliquando in abſolvendo etiam moribundum velis omittere hoc minimum nomen *à peccatis*? Quàm facile, & breve eſt, proferre unico flatu hæc verba: *Abſolvo te à peccatis!*

Quæro X. *Quænam eſt ergo* Forma abſolutionis, *quæ, ſine ullo timore: aut periculo errandi, eſt neceſſaria?*

27 R. Eſt iſta: *Ego te abſolvo à peccatis tuis: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quia licèt non omnia verba, ſaltem tamen aliqua pertinent ad eſſentiam, & valorem; alia verò vel de præcepto Eccleſiæ, vel ex laudabili conſuetudine neceſſaria ſunt ad licitam hujus Sacramenti adminiſtrationem.

Quæro XI. *Qui omitteret invocationem SS. Trinitatis, peccaretne?*

28 R. Aliqui DD. putant, nullum fore peccatum, ſecluſo ſcandalo, & contemptu. Alii meliùs ſentientes dicunt, eſſet peccatum veniale: quia ſaltem in materia levi faceret contra Conſuetudinem univerſalem Eccleſiæ. — Lege Rituale Romanum, *tit. de Sacr. Pœnitentiæ, de Forma Abſolutionis.*

Dices. Aliqui dubitant, an omiſſio illa ſit gravis, & an neceſſaria ad valorem? ergo ejuſmodi omiſſio erit gravis, & periculoſa.

29 R. Non eſt vera dubitatio, ſed ſcrupulus tantùm: ut probat P. Boſco, *cit. n.* 8. Concilia enim Florentinum, ac Tridentinum, dum ex profeſſo docent formas Sacramentorum, nullam in hac forma mentionem faciunt de Invocatione SS. Trinitatis.

30 *Replicabis.* Utrum Concilium addit ly *ETC.* ergo ſicut in hoc addito includitur ly *à peccatis*, includetur etiam ly *In nomine Patris, &c.*

R. Si magna cum lite, ac difficultate Doctores concedunt primam incluſionem, quid putas de ſecunda? Non enim valet paritas, quia concedentes primam particulam *à peccatis*, id faciunt, ad habendam

perfectam ſignificationem ſenſus verborum Formæ: *Ego te abſolvo*. Invocatio autem SS. Trinitatis nil addit ad hunc finem habendum.

Quæro XII. *Declara mihi ſenſum verborum hujus formæ: ABSOLVO TE A PECCATIS TUIS*

31 ℟. Primarius ſenſus eſt Sacramentalis: & ſic explicatur prout verba litteraliter ſonant; & ſignificant efficaciter, (ſi non adſit obex) *Tibi impendo Remiſſionem peccatorum*, vel Sacramentum Abſolutionis tibi confero, ut patet ex definitione hujus Sacramenti ſuperiùs allata, *num.* 1. & 2. *Tract.* 60.

32 *Vel*: cum Laymanno, *lib.* 5. *tr.* 6. *c.*3. *n.* 8. dico, quòd formula verborum iſtorum generatim accipi debet, ut ſenſus hujus formæ ſit: *Ego te abſolvo ab omni vinculo peccatorum tuorum.*

Sive illud vinculum ſit reatus culpæ mortalis, aut venialis, quæ in Confeſſione eſt explicata: ſive ſint peccata non explicata, quia explicari non poſſunt ob ignorantiam, vel oblivionem, aut non debent ob cauſam juſtam, quę tamen pœnitens ritè diſpoſitus actualiter, aut virtualiter deteſtatur. — *Sive* ſit obligatio confitendi in eo, qui antea per contritionem perfectam à mortali peccato liberatus eſt à Deo.

33 Sed circa hoc ultimum *petes*. Quomodo verificatur forma abſolutionis in iſto pœnitente, qui jam per Contritionem perfectam recuperavit Gratiam?

℟. Tunc ſenſus verborum formæ erit: *Abſolvo te*: ideſt, confero tibi gratiam ſanctificantem, & ſacramentalem ſua ex natura habentem vim remittendi peccata, & conferendi auxilia, & alios effectus hujus Sacramenti, quo gratia jam habita augeatur.

34 Idem dicendum de pœnitente, qui iterum confitetur peccata jam confeſſa ſive mortalia, ſive venialia, ex paritate rationis.

35 Idem pariter à ſimili dicendum de abſolutione ab omni vinculo Cenſuræ, & Reſervationis. Quia Sacerdos in abſolvendo ſolet, & debet habere intentionem abſolvendi *omni meliori modo*, in quantum poteſt, & pœnitens indiget, & eſt capax talis abſolutionis.

Quæro XIII. *Quid, ſi pœnitens indigens abſolutione Cenſuræ abſolveretur formaliter tantùm à peccatis?*

36 ℟. Si Sacerdos habens poteſtatem abſolvendi à tali Cenſura proferret verba eſſentialia: *Te abſolvo à peccatis*: vel *Abſolvo te*: nil aliud addendo, & intenderet, ut ſuprà, ſaltem mentaliter, & virtualiter, *in quantum poſſum, & tu indiges*: dico, quòd remaneret abſolutus tam à Cenſuris, quàm à peccatis, ob rationem jam dictam nuper, *n.*32. vel ſaltem ob paritatem rationis, *n.* 35.

37 *Ex qua Doctrina* plures poteris reſolvere Caſus. Ut V.G. Titius confitetur apud Prælatum, aut Pœnitentiarium, aut tempore Jubilæi, & oblitus eſt alicujus reſervati peccati; ſi talis Confeſſio fuerit valida, poteſt deinceps confiteri illud oblitum, de quo poſtea recordatur, cuilibet Confeſſario ſimplici. Lege Buſembaum, *lib.* 6. *tr.* 4. *c.* 2. *dub.* 4. *reſp.* 11. cum aliis DD.

38 Ratio ulterior eſt; quia in forma verborum cum generali intentione prolatorum includitur virtualiter etiam iſte ſenſus: *Abſolvo te etiam ab omni vinculo orto à peccatis tuis*. Ut docent Suarez, Tamburinus, & alii DD. apud noſtrum Patritium Sporer.

39 Deduces, & hunc Caſum. Titius Sacerdos abſolvens moribundum, & dùm vix hæc protulit duo verba *Abſolvo te*, pœnitens expiravit; validè abſolvit eum tum à Cenſuris, tum à peccatis omnibus; nam priùs natura tollitur vinculum Cenſuræ, quàm vinculum peccati; & forma illa breviſſima, eſt etiam validiſſima eſſentialiter.

Quæro XIV. *Quare Eccleſia, pro formula hujus Sacramenti uſa eſt hoc verbo* Abſolvo *magis, quàm hoc* Remitto?

40 ℟. Quia quælibet perſona etiam privata poteſt offenſam ſibi illatam *remittere*, ſolius autem Judicis, eſt *abſolvere*. Cùm ergo hoc Sacramentum per modum Judicii adminiſtretur, hinc eſt, quòd Eccleſia à Spiritu-Sancto edocta ordinavit, ut dicatur *Abſolvo te à peccatis*: & non remitto tibi peccata. Ita Boſco noſter, *diſp.* 7. *ſect.* 3. *n.*89. qui etiam explicat alio modo ſenſum illius formæ: *Ego te abſolvo*, dicens, quod idem eſt, ac dicere: *Impendo tibi gratiam remiſſivam peccatorum*: quia ſpecialis effectus hujus Sacramenti eſt remittere, ſeu relaxare peccata virtute Clavium, &c.

Quæro XV. *Quando Sacerdos abſolvit pœnitentem, loquiturne in perſona propria, an in Perſona Chriſti.*

℟. Quam-

41 ℞. Quamvis Sacerdos abſolvat authoritate Chriſti, non tamen loquitur hic in Perſona Chriſti, ſed in perſona ſua propria, ſicut Judex Delegatus, & Miniſter Sacramentorum. Ex Scoto, *in 4. diſt.*21. *q.* 2. *n.* 7.

Quæro XVI. *Abſolutio à peccatis poteſtne proferri per nutus, ſigna, vel ſcripta?*

42 ℞. Non poteſt. Ratio eſt ſola Inſtitutoris Ordinatio; quia Chriſtus ſic voluit, ut colligitur ex Traditione, & perpetua Eccleſiæ conſuetudine. Tum quia omnia Sacramenta perficiuntur rebus, & verbis: *rebus* tamquam materia, *verbis* tamquam forma, ut vidimus, *Tract.* 41. *num.* 30.

43 *Dices*. Sacramentum hoc fit ad modum Judicii; ſed in quovis Judicio poteſt proferri ſententia in ſcriptis; ergo, &c.

℞. Solet poſtea illa ſententia intimari coram Reo verbis patentibus. At nego paritatem; quia Judicium Sacramentale eſt in Foro interno, alia verò Judicia fiunt in Foro externo. Valdè autem differt hoc internum Judicium à cæteris externis, ut patet. Nam in hoc Judicio idem eſt accuſator, teſtis, & Reus, quia hoc eſt Judicium voluntarium, & miſericordiæ, inſtitutum in favorem Ipſius Rei pœnitentis; ergo patet diſparitas ex diverſo modo judicandi.

44 Unde ſequitur manifeſtè ex dictis, quòd, cùm verbis propriè dictis non utamur, niſi loquendo ad præſentem perſonam, perſona pœnitens, dum abſolvitur à peccatis, debet eſſe præſens Confeſſario. Patet etiam ex ipſa forma abſolutionis: *Ego te abſolvo*: ubi tam perſona prima, *Ego*, quàm ſecunda, *Te* indicant præſentiam. Quare jure merito damnata fuit à Clem. P. Octavo, die 20. Julii, anno 1602. hæc propoſitio, quæ ſic ſonabat. *Licere per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri: & ab eodem abſente abſolutionem obtinere.* Hanc doctrinam tamquam ad minùs falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, & prohibuit prædictus Summus Pontifex: apud Cardin. de Lugo, *tom. de Pœnit. diſp.* 13. *n.* 149. de Boſco noſtrum, *tit. n.*125. & alios plures DD.

Quæro XVII. *Qualis ergo, & quanta debet eſſe præſentia Confeſſarii, & pœnitentis ad hoc Sacramentum?*

45 ℞. Non poteſt phyſicè definiri, ſed moraliter. Requiritur ergo tanta, quanta ſufficit inter homines, qui humano modo invicem alloquuntur; quàmvis non ſit neceſſe, ut pœnitens verba abſolutionis audiat, dummodò Sacerdos verba verè proferat in ejus præſentia.

Quæro XVIII. Reſolve mihi hunc caſum. Berta juvenis nobilis, & nubilis non valens ex impotentia phyſicâ, vel morali alio modo confiteri, nec multo tempore ſtare in Eccleſia ad faciendam Confeſſionem generalem, ad quam tenetur, ſcribit omnia ſua peccata, & mittit ſuam Confeſſionem clauſam, & ſigillatam ad modum epiſtolæ per internuncium fidelem ſuo Confeſſori, quem admonuit, ut legat ſcripta peccata, & poſtea tali die Feſto veniet ipſa coram eo, ubi uno verbo ſe accuſabit generaliter de illis omnibus peccatis, ad obtinendam abſolutionem. Igitur.

Quæro *An hæc Confeſſio ſit licita, & valida?*

℞. Affirmativè. Ratio eſt, quia nunc 46 non ſumus in terminis prædictæ propoſitionis damnatæ ſuprà, *n.* 44. Ut patet rectè intuenti. V. Eſcobar *lib.* 14. *n.* 44. *de Confeſ.* cum Vaſq. Suar. & Laym.

Idem dicendum de Confeſſario, qui, 47 viſitans moribundum invenit hunc ſenſibus deſtitutum, & interrogans domeſticos audit, quòd iſte dederit aliquod ſignum petitionis Confeſſionis, vel deſiderii confitendi, &c. poteſt, imò debet eum abſolvere directè. Ut docet Rituale Romanum, *tit. de Sacr. Pœnit.* § *penul. Quod ſi &c.* ibi. Quòd ſi inter confitendum, vel etiam antequàm incipiat confiteri, vox, & loquela ægro deficiat, nutibus, & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios, oſtenderit, abſolvendus eſt. Hæc Rituale.

Quæro XIX. *Quid faceres, Confeſſor, ſi dum vis verba abſolutionis proferre erga puerum jam confeſſum, videas eum inter turbam fugientem?*

℞. Si eum oculis diſcernerem, abſolve- 48 rem; quia eſſet mihi præſens moraliter. Si autem eum ampliùs non viderem, ſuſpenderem abſolutionem, ne in abſentem, & incognitum verba fruſtrà proferrem.

Hic eſſet agendum de abſolutione differenda, aut neganda indiſpoſitis; at ut meliùs hanc validè neceſſariam materiam tra-

„ ctemus, differamus eam in Tract.71. à n.
„ 20. & ſeq.

Quæro XX. *Per abſolutionem Sacramentalem validam reviviſcuntne præterita merita Pœnitentis?*

49 ℞. *I.* Opera bona ſunt triplicis generis. I. *Opera mortua* d'cuntur; & ſunt quæ in ſtatu peccati mortalis exercentur, quæ licèt bona ſint moraliter, V.G. audire Miſſam, recitare Officium, dare eleemoſynam, &c. non ſunt tamen meritoria vitæ æternæ; quia fiunt ab homine mortuo quoad Gratiam. II. *Opera viva* nominantur, & ſunt, quæ fiunt ab homine in ſtatu gratiæ juſtificantis, ſive ſanctificantis. III. *Opera mortificata* appellantur, & ſunt, quæ in ſtatu quidem gratiæ facta ſunt, ſuperveniente tamen peccato mortali, extinguuntur, & veluti mortificantur quia vim ſuam, ac meritum præcedens amittunt.

50 ℞. *II. Opera bona mortificata reviviſcunt* per validam abſolutionem Sacramentalem datam pœnitenti verè attrito, vel contrito. Ita cum communi Theologorum docet, & probat Maſtrius *Moral. diſp.* 21. *nu.* 134. cum Scoto, *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt. un. art.* 2., & colligitur etiam ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. -- & P. noſter Boſco ſolidiſſimè, more ſolito, *tom.* 3. *de Sacram. diſp.* 6. *ſect.* 7. *concl.* 1. *per totam*.

Quæro XXI. *Poteſtne dimidiari abſolutio Sacramentalis circa peccata mortalia?*

51 ℞. Nec licitè, nec validè poteſt. Quia certum eſt apud Theologos, quòd peccata mortalia ſunt materia neceſſaria *indiviſibilis*; unde Sacerdos non poteſt validè abſolvere ab uno mortali directè, niſi ab omnibus abſolvat ſaltem indirectè. Tum quia effectus Sacramenti, (qui eſt conferre Gratiam Sanctificantem) ſecundùm Dei Ordinationem eſt incompoſſibilis cum quocumque (vel minimo) mortali peccato; ergo vel omnia mortalia dimittuntur, vel nullum remittitur. Vide Tract. 63. n. 23.

Quæro XXII. *Poteſtne dari Sacramentum Pœnitentiæ* validum, & ſimul informe.

52 ℞. *I.* Jam alibi vidimus, quid ſit Sacramentum validum, & informe. *Validum* dicitur, quando conſtat omnibus ſuis partibus eſſentialibus, materia, ſcilicet, forma, ac intentione. *Informe*, ideſt, quando non confert actu gratiam Sanctificantem ex indiſpoſitione ſuſcipientis.

℞. *II.* Ad Quæſitum negativè. Ratio 53
patet ex diverſitate materiæ proximæ hujus Sacramenti à reliquis Sacramentis; nam materia hujus eſt ipſamet diſpoſitio Pœnitentis, nempe ejus actus, ideſt, Contritio, vel Attritio ſupernaturalis, & Confeſſio, ſeu accuſatio ſuorum peccatorum: qui actus (ut vidimus) ſe habent velut pars materialis, & eſſentialis. Cùm ergo ipſa diſpoſitio non ſubſiſtit, neque Sacramentum hoc poteſt ſubſiſtere, vel eſſe validum; igitur nequit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & ſimul informe. Explico doctrinam exemplo.

Titius cum ſola Attritione naturali, pu- 54
tata tamen ſupernaturali, vel ſufficienti, confitetur peccata ſua, & abſolvitur à Confeſſario. Quid efficit iſta abſolutio? Nihil; quia deficit aliqua pars materialis, eſſentialis, nempe vera Attritio ex motivo ſupernaturali elicita; ergo illud Sacramentum erit invalidum.

Sempronius commiſit duo mortalia V. 55
G. *blaſphemiam*, & *furtum*: in ſe reverſus poſt aliquot menſes examinat conſcientiam, & non venit in mentem niſi peccatum *furti*: dolet de perpetrato furto ex motivo injuſtitiæ factæ contra Divinum mandatum. *Non furaberis*: ſicque ſolum furtum confitetur. Eſtne valida abſolutio? Valet, dicunt nonnulli Thomiſtæ; at Sacramentum, licèt ſit *validum*, remanet tamen *informe*. Quare? Quia, dicunt, Sempronius non habuit ullum dolorem de peccato *blaſphemiæ* oblitæ; nam peccatum non deteſtatum per verum dolorem nequit remitti, & ſi non remittitur hoc, neque illud *de furto* remiſſum fuit; quia non remittitur unum mortale ſine alio; Ergo (ajunt) tale Sacramentum fuit *validum*, *& ſimul informe*.

Quid reſpondent Scotiſtæ? Dicunt, tale 56
Sacramentum fuiſſe, & *Validum*, & *formatum*, ſeu efficax, cum ſuo effectu gratiæ: & conſequenter etiam peccatum blaſphemiæ remiſſum fuiſſe indirectè.

Quare? Quia dolor ſupernaturalis, quem habuit Sempronius virtualiter ſe extendit ad deteſtationem peccati obliti; quia ejus malitia imbibitur in malitia generica peccati mortalis, *ut ſic*, prout omne mortale eſt contra Legem Dei æternam: & eſt offenſa ipſius Dei. Et quamvis Sempronius deſcenderit ad deteſtandum ſolùm peccatum *furti*, non per hoc excluſit dolorem peccati obliti, neque impedivit quin

Digitized by Google

quin extenderetur ſaltem in confuſo, ſeu generatim ad deteſtationem omnis peccati etiam obliti, prout eſt offenſa Dei, & prævaricatio Legis Divinæ, &c. ergo Sempronius, ſi habuit verum, & ſupernaturalem dolorem peccati *furti*, virtualiter etiam doluit *de Blaſphemia*: & conſequenter utrumque peccatum fuit ei remiſſum. *Placetne* tibi doctrina Scotiſtarum? Lege Maſtrium, *in Moral. diſp.* 21. *n.*135. & 136.

Oportet, ut explicem omnes partes ma- "
teriales Sacramenti Pœnitentiæ, nempe "
Contritionem, Confeſſionem, & Satisfa- "
ctionem, ſeorſim per diverſos Tractatus "
partiales, ad evitandam omnem confuſio- "
nem, & procurandam, poſſibilem mihi di- "
lucidationem hujus materiæ.

TRACTATUS LXII.

DE CONTRITIONE.

QUæro I. *Qualis eſſe debet dolor de peccatis ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ?*

1 *Reſp. I.* Dolor Sacramentalis debet eſſe ſupernaturalis, formalis, & efficax, etiam de venialibus, quando venialia ſola confitentur.

2 ℞. *II. Dolor iſte* eſt deteſtatio, odium, nolitio, & abominatio peccatorum tuorum: quando ex corde te pœnitet, peccaſſe.

3 ℞. *III. Supernaturalis*, ideſt, elicitus ex Divino impulſu, & ex motivo Fide Divina revelato. Lege Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. ibi: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus-Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem pœnitere poſſe, ſicut oportet*; anathema ſit — & ibi cap. 6. dicit: *Diſponuntur autem ad ipſam Juſtitiam, dum excitati Divina Gratia, & adjuti.... liberè moventur in DEUM ... Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à Divina Juſtitia timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam DEI miſericordiam ſe convertendo, in Spem oriuntur, &c. ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem: hoc eſt, per Pœnitentiam.*

4 Et ſeſſ. 14. cap. 4. loquens de Attritione, ait: *Donum Dei eſſe, & Spiritus-Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad Juſtitiam parat.*

5 ℞. *IV.* Dolor iſte debet etiam eſſe *formalis*: ideſt, formatus poſitivo actu voluntatis, quo pœnitens explicitè deteſtatur peccata ſua, & nollet, ſe unquàm ea commiſiſſe.

℞. *V.* Ex ſententia plurium Doctorum 6
Virtualis dolor non ſufficit: eſt autem dolor virtualis ille, qui implicitè continetur in alio actu, ut puta in actu Spei, vel etiam Dilectionis Dei propter ſe: aut in ſolo deſiderio habendi ipſum dolorem, vel recipiendi Sacramentum.

Objicies. Actus Dilectionis Dei propter 7
ſe, & ſuper omnia ſufficit ad Juſtificationem: ergo multò magis ad Sacramentum.

℞. Concedo antecedens: & nego conſequentiam. Ratio negationis eſt, diſparitas modi juſtificationem recipiendi. Hic enim loquimur de modo ordinario Juſtificationis Sacramentalis, & de dolore requiſito ad hoc Sacramentum, cujus una, & prima pars materialis, eſt *Contritio* in communi, ut docet Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. ibi: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti actus ipſius Pœnitentis; nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.* Nota ly *Actus*; ergo *Actus doloris*, quod idem eſt, ac *dolor formalis* neceſſariò requiritur; ergo virtualis non ſufficit.

℞. *VI.* Item, dolor iſte debet eſſe *effi-* 8
cax, ideſt, itaut excludat omnem voluntatem peccandi: vel in tantùm, ut cum dolore iſto non poſſit ullo modo ſimul ſtare voluntas committendi aliquod peccatum grave.

℞. *VII.* Dolor ſic formatus dicitur *vir-* 9
tualiter continere propoſitum non ampliùs peccandi; quia virtute ſua (dum reverà adeſt) avertit animum à peccatis; atque

Digitized by Google

præſtaret etiam explicitum propoſitum ampliùs non peccandi , ſi adverteretur quid agendum impoſterum.

10 ℞. *VIII.* Quòd autem idem ſit dicendum *de dolore venialium*, quando iſta ſunt tota materia Confeſſionis *probatur*. Etenim ubi Concilia Generalia, (quæ nobis tradunt certas regulas Fidei , & morum, maximè in materiis, & formis Sacramentorum) non diſtinguunt: nec nos, abſque urgenti ratione, diſtinguere debemus. Atqui Concilia non diſtinguunt inter dolorem requiſitum ad Confeſſionem mortalium. & venialium; ergo, niſi aliud obſtet, idem eſſentialis dolor neceſſarius erit ad utramque Confeſſionem; eſt enim idem Sacramentum.

11 *Dices*. Aliquid obſtat , & quidem rationabiliter ; nam venialia extra Sacramentum multis modis remitti poſſunt: etiam abſque dolore formali; ergo , &c.

℞. *I.* Etiam peccata mortalia extra Sacramentum *in re* ſuſceptum poſſunt remitti abſque formali dolore: ut puta per actum dilectionis Dei ſuper omnia , vel per martyrium. Tum quia eadem inſtantia fieri poſſet de forma Sacramentali ; ergo argumentum non valet.

12 ℞. *II.* Etiamſi ad remiſſionem venialium abſolutè , & ſimpliciter non ſit neceſſarius dolor formalis , neque abſolutio Sacramentalis; ex ſuppoſitione tamen ,quòd velis ea confiteri, & Sacramentum validum recipere, teneris ponere actualem, & formalem dolorem , tamquam materiam proximam , &c. aliàs illuderes Sacramentum, & Sacrilegium mortale committeres. -- Et oppoſitum aſſerere, eſſet loqui ſine fundamento .

Quæro II. *Quid eſt Contritio*

℞. *I.* Contritio, ut ſic, eſt animi dolor, & deteſtatio de peccato commiſſo , cum propoſito non peccandi de cætero, ideſt, in futuro. *Vel* eſt virtus Pœnitentiæ, qua offenſam Dei , cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtamur . Ita ex Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. & 4.

14 ℞. *II.* In vera, & pia Contritione plures actus interveniunt. I. Cognitio peccatorum ex lumine Fidei . II. Deſiderium placandi DEUM offenſum. III. Spes veniæ obtinendæ ex Dei promiſſione . IV. Deteſtatio peccatorum . V. Voluntas ſatisfaciendi, aliquo modo, ipſi Deo.

15 ℞. *III.* Actus verò, quo fit Contritio, eſt actus voluntatis odio habentis malum commiſſum ; unde vocatur *dolor rationalis*: qui ex triſtitia interna procedit , & oritur (velut paſſio) à deteſtatione, & odio peccati.

Quæro III. *Quotuplex eſt Contritio?*

16 ℞. *I.* Duplex: perfecta ſcilicet, & imperfecta. *Contritio perfecta* eſt , quæ ſimpliciter dicitur Contritio ; quia concipitur ex motivo nobiliſſimo dilectionis DEI ſuper omnia : & eſt Charitate formata, & perfecta.

17 *Contritio* autem *imperfecta*, alio nomine vocatur *Attritio*, & eſt, quæ concipitur ex motivo Timoris Dei .

18 ℞. *II.* Motivum *Contritionis* eſt illud unicum Amoris Dei. Motivum autem *Attritionis* eſt multiplex : ut puta *ex timore Inferni*; qui utique eſt ſupernaturalis ; nam quòd detur *Infernus*, *quo cruciantur Animæ damnatæ* , eſt quid Fide Divina cognitum, & revelatum à Deo in Sacris Scripturis: juxta illud Lucæ; cap. 16. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in Inferno.. In loco tormentorum...Crucior in hac flamma*, & alibi .

19 Unde damnata jure merito fuit hæc propoſitio la 14. ab Alex. P. Octavo, quæ dicebat: *Timor Gehennæ non eſt ſupernaturalis*. Et etiam hæc *la* 15. *Attritio , quæ Gehennæ, & pœnarum metu concipitur , ſine dilectione benevolentiæ DEI propter ſe , non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis*.

20 Aliud motivum *Attritionis* eſt, ob turpitudinem peccati cognitam lumine Fidei: juxta illud Oſeæ cap. 9. *Abominabiles facti ſunt, ſicut ea, quæ dilexerunt*. Et Joan. c.6. *Unus ex vobis diabolus eſt*: nempe Judas proditor.

21 Tertium motivum eſt, ob metum pœnarum etiam in hac vita infligendarum à Deo vindice, juſtè puniente peccatores: juxta illud Pſal. 31. *Multa flagella peccatoris*.

22 Quartum ex amiſſione Juris ad Beatitudinem æternam ; ſecundùm illud Apoſtoli ad Galat. 5. *Qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur*.

23 Et ſic de aliis motivis, quæ ſumi poſſunt à diverſis peſſimis effectibus peccati mortalis ex Fidei lumine cognitis, quos videre poteris *in Chriſtiano Inſtructo Segneri part. 2. per totam*.

Quæro IV. *Quinam ſunt effectus Contritionis, & Attritionis?*

24 ℞. *I.* Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. habentur aliqui effectus: ibi; *Decet præterea,*

& ſi

Digitized by Google

& ſi Contritionem hanc aliquando Charitate perfectam eſſe contingat, hominemque DEO reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum (Pœnitentiæ) *actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominùs reconciliationem, ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quòd in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Idem à paritate rationis dicendum de voto Sacramenti Baptiſmi.

25 *Ex qua Catholica doctrina* colligunt Theologi primarium effectum Contritionis perfectæ eſſe, reſtituere Gratiam amiſſam, hoc eſt, hominem Deo reconciliare. Mira virtus! II. Delere omnia peccata mortalia: & faciliùs venialia, ſi de his quis conteratur. III. Remittere pœnam æternam commutatam in temporalem. IV. Remittere partem pœnæ temporalis juxta proportionem vehementiæ Contritionis. V. Facere, ut reviviſcant merita mortificata. VI. Reſtituere Jus ad Gloriam, & plures alios.

26 *Petes hìc obiter.* Daturne aliquod peccatum, quod de facto non poſſit deleri per veram Contritionem?

℞. Quòd non. Ut cum multis Scripturis, Conciliis, & SS. Patribus probat cum communi P. Boſco, *tom. 3. Theolog. Sacram. diſput. 6. ſect. 1. concluſ. 1. per totum*: quinimò *concluſ.* 2. probat, quòd nulla gravitas, nulla multitudo peccatorum ſtabili lege, impedit auxilium efficax verè pœnitendi.

27 ℞. *II.* Effectus autem Attritionis deſumuntur ex his Tridentini verbis l. c. ibi: Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur; ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat (S. Synodus,) donum DEI eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, *quo pœnitens adjutus viam ſibi ad Juſtitiam parat.* Hæc Concilium. Item

28 *Ibi.* Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad Juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum, *ad Dei Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, diſponit. Hæc Concilium, loc. cit.*

29 ℞. *III.* Quid clariùs dici poterat ad probandum manifeſtè, quòd *Attritio* ſit dolor ſufficiens ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ? Ergo patet, eſſe certum, quòd ſola Attritio ſupernaturalis, *etiam ut talis cognita*, eſt ſufficiens diſpoſitio ad effectum hujus Sacramenti recipiendum; Unde miror, quoſdam DD. circa hoc punctum altercari.

Vide, ſi habeas, hos libros; nempè Cardinal. Brancatum, *in 4. ſent. tom. 2. diſput. 9. numero* 89. *& diſput.* 14. *à numero* 8. *& ſeqq.* — Cardinal. de Lugo, *tom. de Pœnit. diſput.* 5. *num.* 137. Epiſc. noſtrum Herinx, *diſp.* 3. *numero* 41. Joan. de Boſco, *Theolog. Sacram. part.* 1. *diſput.* 1. *ſect.* 5. *concluſ.* 3. *& part.* 3. *diſput.* 6. *ſect.* 3. *concluſ.* 4. — Fabrum Faven. *tom. de Pœnit. diſput.* 14. *capitulo* 3. — Maſtrium, *in 4. ſent. diſp.* 5. *à numero* 171. *& in Moral. diſp.* 21. *numero* 46. — Pontium noſtrum, *in Curſu Theolog. diſput.* 45. *quæſt.* 3. *numero* 23. Durand. noſtrum, *in Clypeo Scot. tom.* 5. *diſput.* 5. *quæſt.* 2. — Sporer, *tom.* 3. *part.* 3. *à numero* 271. — Cardenas *ſup. prop. propoſit. damnata diſſert.* 2. *à numero* 61. — Viva *ſuper propoſit. la* 15. *ex damnatis ab Alexandro VIII. numero marginal. XX.* — Et noviſſimè Claudium la Croix (quem in hoc ſolùm puncto per accidens vidi) *in Addit.* Buſemb. *tom.* 2. *lib.* 6. *part.* 2. *quæſt.* 120. Ubi fuſè, & fundatè agit de hoc, circa quod nolo habere quæſtionem; quia his, & pluribus aliis magnis TT. mihique certiſſimum eſt. — Movere autem dubium practicum in hoc tam claro dogmate Concilii Tridentini, *loc. cit.* mihi videtur ſapere ſcrupulum, *vel* Rigoriſmum: *vel nodum in ſcirpo quærere*: *vel* parvi pendere virtutem, & *uſum* hujus Sacramenti: *vel* indirectè, ſenſimque negare ejus primarium effectum per ſe intentum: *vel* tandem imponere novum onus (ſine auctoritate Eccleſiæ) conſcientiis, præſertim imperfectis, imbecillis, & infirmis. — Abſit hoc à nobis. Divus enim Paulus ad Romanos, cap. 15. verſ. 1. *Debemus*, inquit, *nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.*

Quæro V. *Contritio, vel Attritio debetne, ut ſit bona diſpoſitio ad Sacramentum, eſſe ſenſibilis?*

℞. Patet ex dictis, quòd non. Unde lacrymæ non ſunt neceſſariæ, & quandoque 30
(ſpecialiter in quibuſdam fœminis, & pueris) ſunt fallaces. Dolor enim verus à corde, & voluntate procedit.

Quæro VI. *Dolor naturalis, & honeſtus eſtne ſufficiens?*

℞. Ne-

31 ℞. Nequaquam; patet ex dictis. Ideòque meritò damnata eſt ab Innocentio XI. hæc propoſitio, *in 57.— Probabile eſt: Sufficere Attritionem naturalem, modò honeſtam.*

32 Attritio iſta naturalis hóneſta eſt: V. G. Si quis doleret de peccato ob infamiam inde ortam: vel ob alium finem naturalem ex ſolo motivo virtutis moralis. Hæc non ſufficit; quia diſpoſitio ad formam debet eſſe ejuſdem ordinis cum tali forma: atqui forma, ad quam diſponit Attritio: eſt Ordinis ſupernaturalis; (diſponit enim *ad Gratiam acquirendam*, quæ eſt Supernaturalis qualitas divinitùs infuſa) ergo & Attritio debet eſſe Ordinis ſupernaturalis; prout ex Concilii Doctrina allata ſuperiùs colligi poteſt.

Quæro VII. *Sufficietne dolor de non dolendo?*

33 ℞. Ut intelligas, tyro, hoc Quæſitum, do tibi Hiſtoricum factum (quod narratur à Caramuele, *Theol. Fundam. primæ editionis, pag. 31. n. 11.* & refertur à noſtro P. Boſco, *Theol. Sacram. diſput. 7. ſect. 4. n. 29.*)

Quædam nobilis Mater concepit ex adulterio tres filios, qui poſtea virtutibus, & ſcientiis magni effecti fuere: cùm in extremis autem iſta Mater hortaretur à Confeſſario ad peccatum iſtud deteſtandum, quia valdè grave, &c. reſpondit: Pater Spiritualis, ſcio, quòd adulterium eſt magnum peccatum; ſed ego conſiderans quantum bonum ſecutum ex meo adulterio: dum video, tres meos illegitimos filios evaſiſſe Magnos viros, non valeo elicere actum veri doloris. -- Confeſſarius prudens ad eam ait; Quòd tui filii ſint notabiles Viri, non ex te, ſed ex Dono Dei eſt; ex te autem in principio adulterium eſt, crimen magnum, & de hoc doleas. *Quòd ſi non habeas tantum dolorem, quantum exigit tam horrendum delictum, de hoc etiam doleas, quòd non potes dolere.*

34 ℞. Igitur ad Quæſitum. *Dolor de non dolendo*, quando procedit à præcedenti dolore formali, & à deteſtatione peccati, de quo magis, magiſque tibi videtur dolendum; erit ſine dubio ſufficiens; nam tunc dolor iſte non debet ſimpliciter nominari *dolor de nòn dolendo*, ſed dolor, *quin magis doleas*. Si autem non præceſſerit ullus alius dolor, aut ulla deteſtatio formalis tui peccati, ſed tantùm tunc cupis dolere; & reflectendo, quòd non verè, ac ſupernaturali modo doles, ideò *doles de non dolendo*, tunc non eſt ſufficiens; quia talis dolor non eſt formalis, ſed præſupponit tantùm carentiam veri, & actualis doloris; Carentia autem doloris requiſiti, aut ſimplex deſiderium doloris ſufficientis non eſt, nec eſſe poteſt diſpoſitio requiſita à Concilio, *ſeſſ. 14. cap. 4. cit.* ubi definiens Contritionem in genere, dicit patentibus verbis: *Eſt animi dolor, & deteſtatio de peccato commiſſo.* Dolor ergo debet eſſe non de abſentia doloris, ſed de peccato commiſſo; ergo actualis, non virtualis; ergo *in re*, non *in voto*, eſſe debet.

Pro praxi Confeſſarii hic notandum: 35 (cum P. Boſco, *cit. num. 41.*) quòd iſta formula loquendi: *Doleo, quòd non poſſum dolere de meis peccatis*: in conſcientiis timoratis eſt veri doloris jam inexiſtentis ſignum, indicans nempe affectum, ſeu deſiderium amplioris, intenſioriſque doloris, ſeu habendi majorem ſenſum doloris. Quinimò vix moraliter fieri poteſt, ut aliquis Catholicus habeat *verum dolorem de non dolendo*, & ſimul non habeat (latenter tamen) aliquem dolorem de ſuis peccatis. Quare doles ſic de non dolendo? Quia te pœnitet peccaſſe. Ergo habes realem (ſed latentem) dolorem de tuis peccatis.

Quòd ſi quis conſtanter diceret, ſe non 36 dolere de peccatis commiſſis; ideòque *dolere de non dolendo*, dicito ei, quòd eſt in proxima diſpoſitione habendi verum dolorem. Petat à DEO, & dabit ei DEUS verum dolorem; juxta illud dogma Concilii, ſeſſ. 6. c. 11. ibi: *Deus jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis: & adjuvat, ut poſſis.*

Quæro VIII. *Quomodo verificatur illud Theologicum dictum*: Ex attrito fit contritus.

℞. Non quia idem actus, qui eſt *At-* 37 *tritionis* tranſeat in actum *Contritionis*; quia *Attritio* ſpecie differt à *Contritione* propter diverſa motiva formalia utriuſque actus; ergo *Attritio* entitativè capta non poteſt tranſire in *Contritionem*; ſed quia *Attritio* ante Sacramentum eſt informis, ideſt, ſeparata ab habitu Charitatis, vel Gratiæ Sanctificantis; in Sacramento autem *in re* ſuſcepto evadit formata, aut ornata ipſo habitu Charitatis, & Gratiæ: ſicque per hanc concomitantiam

tiam Charitatis, & Gratiæ (quæ eſt accidentalis actui attritionis, & nullo modo variat ipſum actum eſſentialiter) homo *attritus* dicitur fieri *contritus* per effectum, ac virtutem Sacramenti, &c. quia habet ſecum Charitatem habitualem, & Gratiam ad inſtar hominis *contriti*. Dicam breviùs, & clariùs.

38 Ex *attrito* fit *contritus*: ideſt, idem actus ex informi fit formatus: ex imperfecto evadit perfectus *per accidens*, vel *per concomitantiam*; Sicque Attritio fit Contritio *æquivalenter*. Sic item homo *ex attrito fit contritus effectivè*. Dicam aliis verbis clariſſimis.

39 Quia pœnitens cum ſola Attritione accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ, aut Baptiſmi recipit Gratiam ſanctificantem, & habitum infuſum Charitatis, & ſimilis homini perfectè contrito: nam virtus admirabilis Sacramenti Pœnitentiæ, vel Baptiſmi tribuit homini verè attrito remiſſionem omnium peccatorum: Gratiam, & cætera, ac ſi talis homo fuiſſet perfectè contritus. Unde Sacramentum *in re* ſupplet defectum Attritionis, *quæ ex ſe ſola* non valet juſtificare peccatorem; valet autem unita cum Sacramento. Certè intellexiſti modò, quid ſignificet illud Axioma: *Ex attrito fit contritus: ideſt, effectivè, & conſecutivè*.

Quæro IX. *Dolor ſive Contritionis, ſive Attritionis quomodo debet uniri cum Confeſſione, & Abſolutione?*

40 ℞. I. Debet moraliter uniri; ideſt, talem debet habere conjunctionem, ut moraliter cenſeatur unitus cum Abſolutione Sacramentali, velut pars materialis cum parte ſua formali; ut poſſit conſtituere unum Sacramentum per modum Judicii. Ita, ut actus pœnitentis non multùm diſtent ab actu Sacerdotis abſolventis.

41 ℞. II. Quanto autem tempore poſſit diſtare dolor de peccatis meis à Confeſſione, & Abſolutione, relinquitur prudentiæ boni viri. *Nam moralia moraliter interpretanda ſunt*.

42 ℞. III. Diſtantia unius diei non erit multa, nec exceſſiva ſecundùm judicium omnium meorum Authorum; niſi tamen revocetur per novum peccatum mortale; quia tunc novus dolor eſſet eliciendus.

43 ℞. IV. Dolor debet referri, ſaltem virtualiter, ad ipſum Sacramentum: V. G. *Quia dolui nunc de peccatis meis, volo confiteri*; quia in Contritione, vel Attritione catholica includitur propoſitum, aut votum ſuſcipiendi Sacramentum: Vide Card. de Lugo, *tom. de Pœnit. diſput.* 14. *ſect.* 4. *num.* 38. cum aliis DD.

44 ℞. V. Dolor, qui tibi inſervivit pro una Confeſſione Sacramentali, non valet inſervire pro alia, etiam ſtatim facienda. V. G. Confeſſus es hodie manè, & accepiſti Abſolutionem, ſtatim recordaris alicujus peccati obliti in prima Confeſſione; vis illud confiteri; teneris novum elicere dolorem. Ratio eſt evidens; quia novum fieri debet Sacramentum; ergo nova requiritur materia proxima, quæ eſt Contritio, ſicut nova requiritur forma Abſolutionis. Et alii quamvis DD. doceant oppoſitum; noſtra tamen reſolutio eſt tutior in praxi, ubi agitur de valore Sacramenti.

45 ℞. VI. Quamvis, non ſit ſimpliciter neceſſarium, ut dolor præcedat Confeſſionem, periculoſum tamen eſt, expectare illud modiciſſimum tempus in actu Confeſſionis; quia non omnibus in praxi eſt facile, elicere in inſtanti actum veræ Contritionis.

46 ℞. VII. Dolor neceſſariò eſt eliciendus ante Abſolutionem. Quia niſi dolor, velut materia, præcedat formam, ipſa forma nequit eſſe validè prolata; nam, ut patet intelligenti, forma verborum debet cadere ſuper materiam aptam, vel ſubjectum diſpoſitum.

Quæro X. *Dolor requiſitus ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, debetne eſſe univerſalis?*

47 ℞. I. Loquendo de mortalibus peccatis, omninò debet eſſe univerſalis; ita; ut de omnibus ſaltem in confuſo, & ſimul doleas. Ratio eſt manifeſta; quia de lege ordinaria non remittitur unum mortale ſine altero; neque ullum peccatum dimittitur ſine Pœnitentia, aut dolore ſupernaturali; ergo dolor debet ſe extendere ad omnia peccata commiſſa, etiam oblita. Tum quia peccatum mortale, etiam unicum, & minimum (intra ſphæram mortalitatis) abſolutè offendit DEUM, totaliter frangit ejus Amicitiam privat Gratia, & Gloria, ergo nullum debet remanere non deteſtatum, ſaltem implicitè, ac virtualiter; quod patet ex dicto Jacobi Apoſtoli, capit. 2. verſ. 10. *Quicumque offendit in uno, factus eſt omnium Reus*.

Digitized by Google

48 ℞. II. Non requiritur autem diſtinctus dolor pro diſtinctis peccatis; ſed ſufficit, ut uno ſimplici actu veri doloris, veræque Contritionis, aut etiam Attritionis omnia ſimul peccata commiſſa deteſtemur. Ita Communis apud Suarez, *tom. de Pœnit. diſput. 4. ſect. 6. numero 2.* — Ratio eſt, quia hic motus ſimplex ſufficiens diſpoſitio à Deo requiſita ad impetrandam veniam omnium peccatorum noſtrorum, ut habetur Ezechiel., capitulo 18. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis, &c.* Nota ly *poenitentiam*, non pœnitentias. Tum quia id aſſerunt Patres, ut videri poteſt in *Decret. de Poenit. diſt. 1. cap. non poteſt*, & alibi.

49 ℞. III. Neque ad verum dolorem requiritur certa temporis mora, ſeu duratio, ſed ſufficit momentaneus dolor. Ita cum communi TT. ex Scripturis, & SS. Patribus probat Maſtrius, *Moral. diſput. 20. n. 29.* Ratio etiam eſt; quia, ſicut homo Juſtus eodem inſtanti quo mortaliter peccat Juſtitiam amittit, ſic peccator è contra eodem inſtanti, quo conteritur, vel atteritur cum Sacramento in re ſuſcepto, Juſtitiam acquirit.

50 ℞. IV. Neque requiritur intenſio doloris in tali, vel tanto gradu, ſed ſufficit ſubſtantia actus in quocumque ſit gradu. Ita ferè omnes Scotiſtæ apud Maſtrium *citatum num. 27. diſp. 20.* & P. Boſco noſtrum, *diſput. 6. de virtute Poenitent. ſect. 2. concluſ. 8. per totam*. Ratio eſt: quia, abſque ſolido fundamento non eſt imponenda hominibus obligatio alicujus certæ, & determinatæ intenſionis accidentalis in actu doloris requiſiti, &c. atqui nullum hujuſmodi apparet fundamentum ſive ex S. Scriptura, ſive ex Conciliis, aut SS. Patribus, aut ex ratione convincenti; ergo, &c. Hoc argumentum probatur, & confirmatur à P. Boſco, l. cit. ſed, ut brevitati ſerviam, non aliud tranſcribo.

51 ℞. V. Loquendo autem *de peccatis Venialibus*, non neceſſariò requiritur univerſalis dolor, ſed ſufficit dolere de uno in ſpecie. Ratio eſt: quia unum veniale remitti poteſt ſine altero; & nullum veniale eſt materia neceſſaria hujus Sacramenti, ut vidimus; ergo dolere de uno tantùm inter plura diverſæ ſpeciei commiſſa non impedit effectum, aut valorem Sacramenti. *Quinimò* nonnulli DD. docent, ſufficere dolorem de multitudine tantùm venialium; quia (dicunt) ipſa frequentia, multitudo, & habitus ſæpiſſimè labendi in hæc venialia habet diſtinctam malitiam, ac deformitatem, ſaltem extenſivè diverſam ab ipſiſmet venialibus in particulari.

52 Advertunt hic DD. magni nominis, plerumque non eſſe conſultum, omnia venialia ſecundùm ſpeciem, ac numerum ſollicitè colligere, ac præparare ad Confeſſionem longiorem inſtituendam; (Ut ſolent pleræque mulieres) ſed meliùs eſſe, ut illæ perſonæ, quæ à mortalibus (Dei ope) abſtinent, ea tantùm curent deteſtari, ac confiteri, quæ Animam magis gravant, & à quibus liberari deſiderant, novo, & ſerio concepto dolore, ac emendationis propoſito. Vaſquez, *diſp. 90. dub. 2. in fine* — Suarez, *diſp. 23. ſect. 1. n. 10.* Layman, *lib. 5. tr. c. 5. n. 15.* Sporer, & alii DD.

Quæro XI. *Qui confitetur unum veniale tantùm ſine debito dolore, peccatne mortaliter?*

53 ℞. Supponitur hic, quòd illud veniale ſit tota materia hujus Confeſſionis, & tunc dico, quòd peccat mortaliter, confitendo illud ſine vero dolore. Ratio clara eſt. Quia hujuſmodi confitens facit Sacramentum Pœnitentiæ invalidum, impedit prorsùs omnem effectum Sacramenti; ſed fruſtrari Sacramentum magna eſt culpa; ergo, &c.

Dices. Fruſtratur Sacramentum in re levi; ergo non erit culpa gravis.

54 ℞. Cum P. noſtro Boſco, *diſp. 7. ſect. 4. numero 157. & 158.* quòd graves Doctores, non unus, non duo, non decem, ſed quotquot hactenùs floruerunt, & ſcriptis ſuis Eccleſiam illuſtrarunt, omnes uno ore, & calamo teſtantur, irritationem voluntariam cujuſque Sacramenti eſſe rem graviſſimam, ſicut & ipſum Sacramentum res graviſſima eſt; ergo materia, quæ in præſenti Caſu conſideranda venit, non eſt illud leve peccatum, aut ejus remiſſio, ſed Gratia ſanctificans, quæ fruſtratur, ſed Sacramentum, quod inhonoratur. Videas, quæſo, quàm magnum ſit damnum, quod ſequitur à fruſtratione prædicta.

Gratia ſanctificans, quæ *ordinariè* ſolet conferri homini Juſto validè recipienti hoc Sacramentum per veram Confeſſionem unius tantùm venialis peccati, abundan-

Digitized by Google

dantior eſt, quàm ea, quæ ſolet *ordinariè* conferri peccatori, dum ritè, validèque abſolvitur à millenis peccatis mortalibus; ergo qui fruſtrat Sacramentum in remiſſione peccati venialis, & ſimul in collatione gratiæ ſanctificantis, non fruſtrat Sacramentum in re levi, ſed graviſſima in damnum notabiliſſimum ſui ipſius ſi ipſe ſit cauſa fruſtrationis, &c. Ita Boſco, *l. c.*

Petes. Quomodo intelligitur allata doctrina P. Theologi Boſco, quòd ſcilicèt, *ordinariè loquendo, major Gratia confertur homini juſto unum veniale peccatum confitenti, quàm homini peccatori millena mortalia confitenti*?

℞. Mihi videtur intelligi *de caſibus ordinariis*: quando nempe Homo jam Juſtus, & Sanctus meliùs ſolet ſe diſponere ad Confeſſionem ſuorum venialium, quàm homo valdè peccator habituatus ad Confeſſionem ſuorum mortalium, de quibus vix ad ſufficientiam dolet ad recipiendum effectum Sacramenti; nam, (ut vidimus Tr. 41.n. 167.) major, vel minor Gratia confertur juxta majorem, vel minorem diſpoſitionem ſuſcipientis; Homo autem Juſtus & Sanctus *ordinariè, & regulariter* cenſetur magis diſpoſitus; ergo.

De Propoſito non peccandi annexo Contritioni.

QUÆRO XII. *Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur Propoſitum non ampliùs peccandi?*

56 ℞. Affirmativè, ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ibi: *Propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per Poenitentiam .... denique dum proponunt inchoare novam vitam, & ſervare Divina mandata*. Et ſeſſ. 15. cap. 4. ibi *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, & deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero*: & infrà ibi loquens ſpecialiter de Attritione, quæ eſt diſpoſitio, & via ad Juſtificationem peccatoris in hoc Sacramento Pœnitentiæ, addit hanc conditionem: *Si voluntatem peccandi excludat*. Ex his, aliiſque textibus Doctores omnes Catholici deducunt, requiri omninò ad valorem Sacramenti ex parte pœnitentis contriti, vel ſaltem attriti, *Propoſitum non peccandi*.

57 *Controverſia* tamen aliqua oritur circa qualitatem hujus Propoſiti, an, ſcilicèt requiratur Propoſitum *formale*, ſeu explicitum, an verò ſufficiat *virtuale*, ſeu implicitum. Breviter dico cum DD. citandis, ſufficere virtuale, ſeu implicitum. Ratio eſt quia neceſſitas Propoſiti *formalis*, ſeu expliciti nec ex Concilio citato, nec ex aliis evidenter probatur, aut deducitur ergo non eſt ponenda de præcepto ejus exiſtentia formalis. Tum quia, ad Sacramenti valorem non eſt neceſſaria memoria expreſſa peccati futuri vitandi; imò ſæpiùs contingit, ut pœnitens ita occupetur circa deteſtationem peccati præteriti, ut nulla oriatur cogitatio peccati futuri poſſibilis. Tum quia ſi expreſſum propoſitum requiri dicatur, frequens foret periculum invaliditatis Sacramenti.

58 *Præterea*. Naturaliſſimum eſt, ut potiùs ex vitæ præteritæ malè ductæ deteſtatione formali, & efficaci oriatur propoſitum in futurum ſe emendandi, quàm vice verſa ex propoſito oriatur deteſtatio. Quinimò propoſitum poſſet eſſe in eo, qui vel numquam peccavit, aut ſi peccavit, non dolet ſe peccaſſe. Ita P. Joan. Boſco (qui meo judicio valet pro multis) *Theolog. Sacramen. part. 3. diſput. 7. ſect. 4. numero 183. & ſeqq.* — Layman, *lib. 5. tr. 6. cap. 4. num. 6.* qui citat pro ſe Suarez, & Conink.— Major, Medina, Valentia, Vega, & alii apud Maſtrium, *Moral. diſp. 20. n. 31.*

59 *Propoſitum* autem hoc virtuale, ſeu implicitum dicitur illud, quod in ipſamet Contritione, aut Attritione vera, formali, efficaci, & ſupernaturali includitur; quod manifeſtatur ſic: Si pœnitens (ut pœnitens) interrogaretur: *Viſne iterùm committere hæc, & alia peccata?* Certè reſponderet ex vi veræ pœnitentiæ: *Nolo ampliùs peccare*. Ergo, &c.

60 *Nihilominùs*, practicè loquendo, quibuſdam in caſibus requiritur Propoſitum formale, & expreſſum, ſaltem ex præcepto Divino: ut multi DD. docent, ſpecialiter in his: I. In peccatoribus malè habituatis. II. In iis, qui verſantur in aliqua occaſione proxima peccandi. III. In aliis, qui per multum temporis dominati ſunt à malis deſideriis, odio, vindicta, &c. IV. In cæteris, qui numquam debitam reſtitutionem famæ, vel rei alienæ conati ſunt adimplere; & ſimilibus. Ratio eſt: quia in iſtis confitentibus rarò datur

vera,

Digitized by Google

vera, efficaxque pœnitentia, vel Contritio, ſeu Attritio ſufficiens. Ex effectibus enim cognoſcitur cauſa. Tum quia Propoſitum alicujus finis, ſi abſolutum, & firmum ſit, ſtatim movet voluntatem ad quærenda, & amplectenda media neceſſaria ad talem finem conſequendum; prædicti autem confitentes numquam quærunt, nec amplectuntur media neceſſaria ad totam Legem Divinam ſervandam; ergo deficit eis Propoſitum emendationis, ex cujus defectu ferè continuò arguitur defectus veri doloris. ergo, &c.

61 *Præterea*, odium, & deteſtatio peccati ſuapte natura ſolet excitare in homine verè pœnitente voluntatem ſeriò, & efficaciter ſe emendandi, & fugiendi peccata; atqui prædicti confitentes numquam excitantur ad ſeriam, efficacemque emendationem; ergo poſſumus nos Confeſſarii prudenter ſuſpicari de veri doloris abſentia, &c. ex Boſco, *cit. diſp. 6. ſect. 2. n.* 82.

62 *Quare* (ut advertit doctiſſimus Layman *loc. cit.*) rectè agunt illi Confeſſarii, qui exigunt à confitentibus tale propoſitum expreſſum, & formale, eoſque alia ratione abſolvere nolunt; quia niſi pœnitens abſolutum propoſitum concipiat, abſtinendi de cætero ab omnibus peccatis mortalibus, ſignum eſt, ejus dolorem generalem non eſſe; ideòque non ſufficientem diſpoſitionem ad Gratiam Sacramenti accipiendam.

63 *Ulteriùs* P. Maſtrius citat. cum multis aliis DD. dicit, quòd ubi pœnitenti contrito, vel attrito occurrit cogitatio de vita in futurum inſtituenda, tunc neceſſarium erit Propoſitum formale, & explicitum, ſeu expreſſum. Ratio eſt: quia in hoc Sacramento tam pœnitens: quàm Confeſſarius debet eſſe moraliter certus de ſufficienti diſpoſitione ad Juſtificationem; atqui niſi pœnitens in caſu prædicto eliciat actuale Propoſitum, (regulariter) vix umquam pœnitens, & Confeſſarius erunt certi moraliter de ſufficienti diſpoſitione; ergo, &c.

Quæro XIII. *Propoſitum verum, actuale ſeu formale poteſtne ſtare cum credulitate labendi in futurum?*

64 ℟. Quòd ſic. Ratio eſt: quia propoſitum non peccandi eſt actus voluntatis, quo quis nunc ſe reſolvit, *nolle ampliùs peccare*; credulitas verò, perſuaſio, aut prævisio labendi impoſterum, eſt actus judicii, ſeu intellectus ſpeculativi; ſed, ſtante etiam hoc judicio, voluntas poteſt velle oppoſitum, & ſtatuere hìc, & nunc, ſe nolle ampliùs peccare; ergo, &c.

65 *Tum quia*: nemo dubitat, Pœnitentiam poſſe remittere peccata præſentia, vel præterita, quamvis alia de cætero ſint ſubſecutura: imò tametſi quis moraliter ſpeculativè eſſet certus de peccatis futuris; dummodò in præſenti quantum in ſe eſt, cum Dei adjutorio deliberet, ac velit ea fugere; nam Deus benedictus judicat nos ſecundùm ſtatum præſentem, non ſecundùm futurum; ergo, &c.

66 *Præterea*: Numquid quia DEUS ſcit, me cras peccaturum, non vult me hodie verè pœnitentem ſalvare, vel mihi parcere? Quis tam inſipiens, vel ſtultus, ut affirmet? Eſt enim certum de fide Ezechiel. cap. 33. v. 12. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Ubi ly *in quacumque die* Sacri Expoſitores communiter intelligunt *pro quocumque momento, diei, vel temporis*. Numquid quotidie experimur, homines quamplures fragiles non obſervare omnia mandata Dei, & Eccleſiæ: atque ſæpè ſæpiùs cadere in mortalia peccata, quæ legitimè aliàs confeſſa, & per abſolutionem ſacramentalem remiſſa fuere? Num indè benè, ac juſtè ſemper infertur: *Ergo hujuſmodi peccatores omnes numquam habuerunt verum dolorem cum propoſito fugiendi illa, & omnia alia peccata?* Prorsùs rudis, inſcius, (ne dicam) temerarius, qui hoc audeat inferre.

67 *Ulteriùs*; Non valet iſta argumentatio: *Sæpiſſimè homines, etiam juſti, relabuntur in eadem peccata venialia; ergo eorum propoſitum non fuit bonum, & efficax*; non valet, inquam, quia relapſus iſte oritur, non ex inefficacitate doloris, vel propoſiti, ſed ex fragilitate humana, & nimia frequentia occaſionum, quæ in cauſa ſunt, ut dolor, aut propoſitum, de ſe efficax, (ideſt, vi ſua excluſivum peccati, ſeu excludens voluntatem peccandi) facillimè evaneſcat, & expellatur per voluntatem contrariam. Voluntas enim humana pro toto iſto vitæ tempore eſt deambulatoria, mutabilis, &c.

68 *Igitur*, ad hoc, ut Propoſitum aliquod formale de ſe ſit efficax, & ſufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ validè ſuſcipiendum, non eſt neceſſarium, nec utile, ut homo ſibi perſuadeat, quòd ſemper in tali

pro-

propoſito ſit perſeveratus, ita, ut de cætero numquam ſit peccaturus, nec relapſurus in eadem peccata. Si enim hoc eſſet neceſſarium judicium, multi carerent non ſolùm Propoſito efficaci non peccandi venialiter; ſed etiam propoſito efficaci non peccandi mortaliter, dum vix ſibi poſſunt perſuadere talem perſeverantiam.

69 *Quapropter* communis DD. ſententia eſt, quòd Propoſitum, etiam formale, & efficax poſſit ſtare cum probabili, imò moraliter certo judicio de relapſu, vel recidiva, vel reincidentia. Sufficit igitur ad bonum Propoſitum in hac materia, quòd quamdiù homo eſt verè pœnitens, tamdiù duret voluntas efficax non admittendi ampliùs peccatum; etiamſi, ſpectata fragilitate humana, non poſſit homo ſemper, & pro omni occaſione in propoſito perſeverare. Excipiendi tamen ſunt caſus particulares, de quibus ſuprà, & meliùs infrà.

Hæc Doctrina non eſt mea, ſed noſtri P. Boſco (verè ſylva ſcientiarum) variis in locis de hac materia tractantis magno cum fundamento.

Quæro XIV. *Caretne efficaci Propoſito de cætero non peccandi, qui non vult deſerere occaſionem proximam peccandi?*

70 ℞. I. Circa occaſionem proximam peccandi, (*quid*, *& quotuplex ſit? modus eam cognoſcendi, curandi, obligatio vitandi*, *&c.*) ſatis egimus *in prima parte hujus Lucis moralis*. *Tr.* 30. *n.* 36. 57. 60. 66. — *& Tr.* 39. *n.* 92. *& alibi*. Hic igitur ſolùm breviter addam, quod pertinet ad propoſitum Quæſitum.

71 ℞. II. Affirmativè. Ratio eſt: Quia, qui ſine juſta cauſa exponit ſe periculo proximo peccandi, hoc ipſo peccat, ſpecie illius peccati, cujus periculo ſe exponit: ut communiſſimè docent DD. & TT. Sed qui non vult deſerere occaſionem proximam peccandi, ubi, & quando poteſt, & debet, exponit ſe periculo proximo peccandi, ſine juſta cauſa; ergo hoc ipſo peccat illo peccato, in ſpecie, cujus occaſionem proximam non vult deſerere. Et conſequenter, practicè loquendo, non habet propoſitum efficax evitandi illud peccatum, nec verum, efficacemque dolorem de ſuo peccato: quia non habet voluntatem excluſivam cauſæ ſui peccati; qui enim vult cauſam, cenſetur velle effectum procedentem ab ea: ut ſole meridiano clariùs omnibus patet. Quamvis multi hoc non intelligant; at *nolunt intelligere, ut benè agant*: *amant enim magis tenebras, quàm lucem*. — Ita ex Boſco noſtro, *p.* 3. *diſp.* 7. *ſect.* 4. *concl.* 10.

℞. III. Sicut tenemur ſub mortali vitare occaſionem proximam mortalis peccati futuri: ita videmur obligari ſub veniali ad vitandam occaſionem proximam peccati venialis futuri: Ergo ſicuti non efficaciter proponit emendationem, qui non vult vitare occaſionem proximam peccati, mortalis: (niſi fortè juſta cauſa excuſet) ſic itidem non efficaciter proponit emendationem, qui non vult vitare occaſionem proximam ejuſdem peccati venialis; niſi juſta cauſa excuſet. 72

℞. IV. Differentia autem notabilis eſt, quòd ſæpiùs occurrat juſta cauſa non vitandi occaſionem proximam *peccati venialis*, quàm non vitandi occaſionem proximam *peccati mortalis*; eò quòd occaſiones venialium peccatorum frequentiſſimæ ſunt, & grandis eſt fragilitas humana in venialibus culpis committendis, *In multis enim offendimus Omnes*; adeòque non ſine notabili incommodo poſſibile eſt, eas occaſiones vitare. At verò occaſiones peccati mortalis rariores ſunt; & ideò faciliùs præcaveri poſſunt; neque tam grandis eſt fragilitas hominis (regulariter loquendo) in committendis mortalibus. Unde major cauſa requiritur in his non vitandis quàm in illis. Et quando ſubeſt iſta cauſa; non per hoc eximitur homo ad enervandum periculum proximum relabendi in culpam mortalem: ut fuſiùs vidimus, *in* 1. *p. loc. cit. de occaſione proxima*. 73

Regula prudentialis pro Confeſſario. Quando Confeſſarius prudens obſervat, ſuos pœnitentes ſemper relabi in eadem venialia abſque ullo veſtigio feriæ emendationis, ut ſibi, & illis provideat, ac Sacramenti Pœnitentiæ valori, poterit eis ſuaviter inſinuare hoc remedium, videlicet, ut unà, cum ſolitis venialibus ſe accuſent & doleant de aliquo graviori vitæ præteritæ, circa quod ſe ſentiunt habere majorem abominationem; ad hoc, ut non fruſtretur effectus Sacramenti, aut exponatur periculo fruſtrationis, & ſacrilegii. — *Vel* exhortetur eos, ut majorem adhibeant diligentiam ad aliquod ex ſolitis venialibus firmiter emendandum, & fugiendum; nam ſic agendo, non ſolùm de validitate Sacramenti moraliter ſecurus erit; 74

verùm

verùm etiam profectui ſpirituali ſuorum conſulet pœnitentium. Lege *Introductionem Vita Devota, ſeu Philotheam* S. Franciſci de Sales: *p. 2. c. 19.*

TRACTATUS LXIII.

DE CONFESSIONE PECCATORUM.

QUæro I. *Ante Confeſſionem ori quid requiri ur?*

1 *Reſpondeo*, Diligens Examen propriæ Conſcientiæ: ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. ibi: *Oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri*. -- Et inferiùs, ibi: *Omnia, quæ memoria occurrunt, peccata Chriſti-Fideles confiteri ſtudeant, &c.* Et iterùm infrà, ibi: *Conſtat enim, nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm, ut poſtquàm quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerint, &c.*

Quæro II. *Quale, & quantum debet eſſe hoc Examen Conſcientiæ?*

2 ℞. Tale, & tantùm ut fieri ſolet à viro prudenti, & probo in negotio notabili, & gravi, quod ipſi multùm cordi eſt.

Certa alia regula exhiberi non poteſt circa Examinis Conſcientiæ propriæ diligentiam præſtandam; nam pro qualitate perſonæ confitentis, pro diuturnitate temporis, quo quis non eſt confeſſus, pro delinquendi conſuetudine, aliiſque circumſtantiis arbitrio prudentis remittendum eſt hoc punctum. Ita cum communi docet P. Antonius de Eſcobar, *Theolog. Moral. libro 15. de Confeſſ. numero 31. & ſeqq.* Ubi addit: Si quis numerum peccatorum nequeat invenire, & explicare, dicat probabilem, aut veriſimilem, addendo illud: *Plus, minùſve*. Aut ſi ſpeciem alicujus peccati non recordetur, genus explicet. Numquam tamen quis tenetur peccata ſua ſcribere, licèt timeat probabiliter, eorum omnium non eſſe in Confeſſione recordaturum; quia hæc eſſet extraordinaria diligentia, & non levibus expoſita periculis. -- Quod à fortiori de Scrupuloſis verificatur; his enim abſolutè prohibenda eſt ſcriptio, ne ſcrupulos nutriant.

Quæro III. *Idiotæ, & ignari ad quid tenentur in hoc?*

℞. Tenentur ad ſibi moraliter poſſibi- 3
lem, ac mediocrem diligentiam faciendam, cum animo rogandi Confeſſarium, ut dignetur eos interrogare. Deus enim, & Eccleſia non obligant ad impoſſibile.

Quæro IV. *Quomodo dignoſcere poterit Confeſſarius, hunc, vel illum pœnitentem defeciſſe in examine?*

℞. Ab aliquibus D. D. traditur hæc 4
Regula. Si poſt Confeſſionem jam factam plura peccata memoriæ denuò occurrant, quàm fuerint jam confeſſa: tunc poteris arguere, Examen non fuiſſe ſufficiens, nec diligens. Et in hoc caſu repetenda erit Confeſſio. Si autem occurrant aliqua, at multò pauciora confeſſis; tunc judicare poteris, bonum fuiſſe Examen. Si tamdem peccata oblita ſint ferè æqualia; tunc erit in dubio: quo ſtante, repetenda erit Confeſſio. Hoc unum ego addo, ſi pœnitens malæ, lataque conſcientiæ oblitus fuerit peccata palpabiliora, & graviora confeſſis, mihi videtur ſignum magni defectus in Examine, ergo, &c. Lege Gobatum, *Tractat. 6. de Confeſſ.*....

Quæro V. *Quid eſt Confeſſio?*

℞. Prout hic ſumitur, eſt accuſatio do- 5
loroſa, & manifeſtatio peccatorum ſuorum facta coram Legitimo Sacerdote in ordine ad abſolutionem virtute Sacramenti obtinendam.

Quæro VI. *Quotuplex eſt?*

℞. Duplex; formalis ſcilicèt, & virtua- 6
lis.

Quæro VII. *Quid eſt Confeſſio formalis?*

℞. Eſt actualis, & expreſſa manifeſtatio 7
peccatorum, verbis, vel ſignis, æquivalen-

Digitized by Google

lentibus voci, facta coram Sacerdote ad obtinendam abſolutionem.

Quæro VIII. *Quid eſt Confeſſio virtualis?*

8 ℞. Eſt doloroſa, promptaque voluntas confitendi propria peccata, ſigno aliquo externo manifeſtata Sacerdoti ad obtinendam abſolutionem. Ut accidit moribundo non valenti exprimere peccata ſua, niſi percutiendo pectus, vel alio ſigno. Idem dices de ſurdo, & muto ob paritatem rationis.

Quæro IX. *Quot poſſunt eſſe hujuſmodi ſigna Confeſſionis virtualis?*

℞. Multa; ſed præcipua ſunt iſta I. Si quis infirmus, aut vulneratus petat Confeſſionem; adveniente autem Sacerdote, amittat loquelam. II. Tundere pectus, ſtringere manum Sacerdotis exhortantis ad Confeſſionem. III. Inclinare caput interroganti de Confeſſione. Iſta omnia, & ſingula ſunt vera ſigna Confeſſionis virtualis. Sequentia verò ſunt tantùm dubia, V. G. I. Ictus oculorum in Sacerdotem. II. Suſpiria, gemitus, reſpiratio vehemens erga Sacerdotem præſentem. *Vide Tract. 72. à num.* 20. ubi pono Caſum Moribundi.

Quæro X. *Confeſſio debet ne neceſſariò fieri ore, verbis, vocibus?*

10 ℞. Affirmativè: ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. *& alibi*. Tum ex Conc. Florentino *in Decret. Eug.* ubi *Confeſſio oris* dicitur pars quaſi materialis hujus Sacramenti: & ex conſuetudine immemorabili Eccleſiæ Catholicæ; unde Confeſſio auricularis, & verbalis eſt de Jure Divino, quando, & quoties fieri poteſt.

Quæro XI. *Quod Confeſſio fiat* verbis, *eſtne de valore Sacramenti, an de præcepto Divino?*

11 ℞. Eſt de præcepto Divino ex Chriſti Domini Inſtitutione; non autem de valore Sacramenti, ut cum Scoto, Card. Brancato, Fabro & aliis DD. probat P. Maſtrius, *Moral. diſp.* 21. *num.* 168.

12 Unde ſequitur, vel deducitur, ſolam impotentiam naturalem poſſe ſufficienter excuſare hominem Chriſtianum à Confeſſione formaliter vocali, ut etiam habetur apertè cap. Quem pœnitet. De Pœnit. diſt. 1. ibi: *Præcepit enim Dominus mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus: docens corporali præſentia confitenda eſſe peccata, non per nuntium, nec per ſcriptum manifeſtanda; erubeſcentia enim victa timore Offenſi* (DEI) *fit venia criminis*. Quid clarius?

Dices. Superiùs dixiſti ex Conc. Florent. *Oris Confeſſionem* eſſe partem quaſi materialem hujus Sacramenti; atqui omnis pars materialis eſt de Eſſentia, aut valore Sacramenti illius, cujus eſt materia; ergo *Confeſſio Oris*, ſeu vocalis erit de valore Confeſſionis. 13

℞. Materia hujus Sacramenti non eſt una in ſpecie, ſicuti eſt V. G. Aqua naturalis in Baptiſmo; ſed eſt una unitate generica, quia eſt manifeſtatio doloroſa peccatorum per aliquod ſignum ſenſibile, ſive hoc ſit vox humana, ſive ſcriptum, ſive nutus; ergo quocumque tandem modo fiat peccatorum manifeſtatio, ſeu Confeſſio, habetur pars iſta materialis.

Præterea, ut vidimus, *Contritio cordis*, *Confeſſio oris*, *& ſatisfactio operis* ſunt quaſi materia, & partes veluti integrantes Pœnitentiam; unde non ſunt res corporeæ, ſicuti materiæ aliorum Sacramentorum; ſed ſunt actus hominis pœnitentis; homo autem pœnitens poteſt diverſis modis accuſare ſua peccata; ergo &c. 14

Quæro XII. *Quonam idiomate fieri poteſt Confeſſio?*

℞. Quocumque idiomate, quacumque lingua fiat, dummodò intelligatur à Confeſſario, valet, & licet; quia de hoc nullum extat præceptum. 15

Quæro XIII. *Quid, ſi Confeſſarius non intelligat talem linguam, qua ſola pœnitens loqui poteſt?*

℞. Si nullus adſit Confeſſarius verſatus tali loquela, poterit quilibet Confeſſor audire talem pœnitentem veluti per nutus ad modum confeſſionis mutorum; ipſe enim pœnitens ſufficienter manifeſtat ſua peccata, & habet Jus ad abſolutionem. Tum quia tunc adeſt impotentia naturalis ad loquendum in alia lingua; ergo adeſt juſta cauſa. 16

Quæro XIV. *Confeſſio Sacramentalis debet ne fieri* modo ſecreto?

℞. Quòd ſic: ut patet ex Concil. Trid. 17
ſeſſ. 14. *cap.* 5. *ibi*: Cæterùm quoad modum "
confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem: "
etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis ("
in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui hu- "
miliationem tum ob aliorum exemplum, "
tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem) "
delicta ſua publicè confiteri poſſit; non "
eſt tamen hoc Divino præcepto manda- "
tum: nec ſatis conſultè humana aliqua "
lege præciperetur..... Unde cùm à "
SS. & antiquiſſimis Patribus magno, "

Digitized by Google

„ unanimique conſenſu Secreta Confeſſio
„ Sacramentalis, qua ab initio S. Eccleſia
„ uſa eſt, & modò etiam utitur, fuerit ſem-
„ per commendata, &c. — *Hæc Concilium*.

18 *Ex qua Doctrina* colligitur I. Chriſtum non prohibuiſſe aliquando ex cauſa juſta fieri Confeſſionem publicam. II. Hoc tamen eſſe conſilium, non præceptum, ut ſic fiat in publico. III. Nulla Lege humana poſſe hoc præcipi. IV. Ex conſenſu, & ſententia omnium SS. Patrum commendatam ſemper fuiſſe ſecretam Confeſſionem. V. Ab initio Eccleſiæ Chriſti uſam fuiſſe. VI. Et etiam ab initio uſque ad præſens uſam eſſe Confeſſionem ſecretam coram ſolo Sacerdote.

Quæro XV. *Sed quo Jure* ſecretò *fieri debet?*

19 ℞. Regulariter loquendo, exceptis caſibus in Concilio expreſſis, eſt ex Inſtitutione, & mandato Chriſti Domini: probatur ex ipſomet Concilio ibi: Can. 6. *Si quis dixerit, modum ſecretò confitendi ſoli Sacerdoti.... alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti.... Anathema ſit.* Si ergo hæreticum eſt hoc dicere, ſequitur (à contrario ſenſu) Catholicum eſſe oppoſitum aſſerere. Quale eſt hoc oppoſitum? Ecce: *Modum ſecretò confitendi eſſe juxta Inſtitutionem, & mandatum Chriſti*; ergo de Jure Divino debet fieri hoc modo, exceptis dictis caſibus.

20 Ex quo ſequitur. I. Neminem Catholicorum teneri ad faciendam Confeſſionem in publico, aut aliis audientibus. II. Neminem teneri, confiteri per Interpretem; quia tunc non fieret *ſoli Sacerdoti*, ut patet; & ſic de ſimilibus.

De Integritate Confeſſionis.

Quæro XVI. *Quotuplex eſt Integritas Confeſſionis?*

21 ℞. Duplex. Una formalis: altera materialis dicitur.

Quæro XVII. *Quid eſt Integritas formalis?*

22 ℞. Eſt, quando pœnitens hic, & nunc non manifeſtat (quia non poteſt, vel non tenetur) omnia, & ſingula peccata mortalia, quæ de facto commiſit ab ultima Confeſſione ad hanc, quam nunc inſtituit.

Quæro XVIII. *Quomodo poteſt illud contingere ſine peccato, aut invaliditate ipſius Sacramenti?*

23 ℞. Primò: quando V. G. Titius non recordatur alicujus peccati, quod reverà commiſit. II. Quando bona fide credit, hoc non eſſe mortale neceſſariò confitendum, cùm de facto ſit. III. Quando invincibiliter ignorat obligationem confitendi numerum peccatorum mortalium. IV. Ubi habet graviſſimam cauſam tacendi nunc hoc peccatum mortale. Et ſic de ſimilibus.

24 Ratio autem, cur tunc Confeſſio remaneat valida, eſt: quia ſola Integritas formalis pertinet ad eſſentiam, aut valorem hujus Sacramenti; ergo Sacramentum remanet tunc validum, etiamſi non omnia, & ſingula (prout facta ſunt) peccata mortalia confiteantur.

25 Ratio autem cur ſit etiam licita, eſt: quia tacens, vel non confitens illud peccatum mortale, habet cauſam juſtam, quæ eum in conſcientia excuſat à Sacrilegio; quia Integritas Confeſſionis pro materiali, completè, aut totaliter poſita, eſt tantùm de Jure Divino poſitivo; atqui hoc præceptum non obligat vel ad impoſſibile, aut cum damno notabili proprio, vel alieno; ergo in prædictis caſibus homo non peccat ſic confitendo. Ita communiter DD.

Quæro XIX. *Quid eſt Integritas materialis?*

26 ℞. Eſt, quando omnia peccata in ſua ſpecie, & numero, prout facta ſunt, & in conſcientiam, ac mentem venerunt, Confeſſario verè, & ſincerè manifeſtantur.

Quæro XX. *Hæc Integritas materialis eſtne de Jure Divino?*

27 ℞. Utique: ut habetur manifeſtiſſimè ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ibi: *Ex Inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, &c.*

28 Ex quo ſequitur, quòd quando quis oblitus eſt alicujus peccati mortalis, ſi poſtea in memoriam venerit, teneatur illud confiteri, ad ſatisfaciendum præcepto hujus Integritatis materialis. Vide propoſitionem numero, & ordine undecimam ex damnatis ab Alex. P. VII. in fine hujus libri.

Quæro XXI. *Quænam peccata ſunt neceſſariò confitenda neceſſitate prædicti præcepti?*

29 ℞. I. Omnia, & ſingula peccata mortalia, quoad ſpeciem, numerum, & circumſtantias mutantes ſpeciem.

Ita ex Concil. Trident. *ſeſſ. 14. capit. 5. ibi*: Conſtat enim, Sacerdotes Judicium “
“ hoc

Digitized by Google

„ hoc (Sacramentale) incognita cauſa ,
„ exercere non potuiſſe , neque æquitatem
„ in pœnis injungendis ſervare potuiſſe , ſi
„ in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpe-
„ cie , ac ſingillatim ſua peccata ipſi (pœ-
„ nitentes) declaraſſent . Ex his colligitur ,
„ oportere à pœnitentibus omnia peccata
„ mortalia , quorum conſcientiam habent ,
„ in Confeſſione recenſeri : etiamſi occultiſ-
„ ſima illa ſint , &c. Colligitur præterea ,
„ etiam eas circumſtantias in Confeſſione
„ explicandas eſſe , quæ ſpeciem peccati mu-
tant. Hæc Concilium.

30 Ubi obſerva ly *in ſpecie, & ſingillatim , & eas circumſtantias , quæ ſpeciem peccati mutant* . Et videbis veritatem Reſolutionis noſtræ.

31 Porrò , ſi vis cognoſcere materiam de
„ peccatis , de ſpecie, de numero, de cir-
„ cumſtantiis mutantibus ſpeciem : require
„ hæc omnia *in Prima Parte hujus Lucis* ,
„ *Tract. 39. per totum* ; nam hic eſſet nimis
„ ſuperfluum repetere talem materiam , ibi
„ ſufficienter tractatam.

32 Quòd autem dicta peccata ſint ita confitenda *de Jure Divino* ; patet manifeſtiùs ex *Canone 7. ſeſſ. 14. de hoc Sacrament. ibi*:
„ Si quis dixerit , in Sacramento Pœniten-
„ tiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſa-
„ rium non eſſe Jure Divino confiteri om-
„ nia , & ſingula peccata mortalia , quorum
„ memoria , cum debita , & diligenti præ-
„ meditatione , habeatur , etiam occulta ,
„ & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi
„ præcepta : & circumſtantias , quæ pecca-
„ ti ſpeciem mutant . . . . Anathema ſit .
Hæc Concil. Tridentinum.

33 ℞. II. Peccata mortalia dubia *quoad mortalitatem*, certa autem quoad actum factum, vel omiſſum , ſunt confitenda , prout ſunt in conſcientia , & memoria ; ut deducitur , *ex Concil. cit.* aliàs te exponeres periculo tranſgrediendi Jus Divinum de Integritate.

34 ℞. III. Excipe tamen dubia ſcrupuloſæ Conſcientiæ ; quia iſtæ perſonæ gaudent variis privilegiis Theologicis , inter quæ hoc eſt unum , quòd non tenentur confiteri peccata dubia.

Circa alia dubia, vide quæ diximus *in Tract. de Conſcientia dubia, & Tract. de peccatis , & Tractat. de Præceptis in communi*, & alibi.

„ Et ſi cupis plurima alia videre circa
„ hanc materiam, lege , ſi habes, Card. de
„ Lugo , *tom. de Pœnit. diſp. 16.* Herinx Epiſc.
noſtrum , *diſp. 3. qu. 3.* Ariagam , *diſp. 31.* «
ſect. 6. -- Dianam Coordinatum , *tom. 1.* «
tract. 3. -- Layman , Bonacinam , Sporer , «
Maſtrium , & quotquot libros habes. «

Quæro XXII. *Quæ, & quot ſunt Conditiones, ſeu Qualitates Confeſſionis?*

℞. Sunt ſexdecim contentæ his verſibus , licèt non omnes ſint de neceſſitate ponendæ ; aliæ enim ſpectant vel ad majorem reverentiam , vel ad uberiorem fructum ; aliquæ autem ad valorem Sacramenti. Verſus ſunt iſti: 35

Sit ſimplex : humilis Confeſſio : pura : fidelis :
Atque frequens : nuda : diſcreta : libens : verecunda :
Integra : ſecreta : lacrymabilis : accelerata :
Fortis : & accuſans : & ſit parere parata.

Quæro XXIII. *Quænam ex his Conditionibus ſpectant ad valorem?*

℞. Patebunt ex declaratione breviſſima ſingularum , quænam ſint? 36

I. *Simplex* : ideſt , ut careat verbis , & circumſtantiis non pertinentibus ad manifeſtationem propriæ culpæ ; non enim recitanda eſt Hiſtoria peccati , ſed malitia ſimplex , quæ breviſſimis verbis eſt contenta. Hæc conditio non eſt neceſſaria ad valorem ; aliàs pauciſſimæ mulierum quarumdam Confeſſiones forent validæ ; iſtæ tamen loquaces fœminæ admonendæ , & inſtruendæ ſunt , ſi non vis , Confeſſor mi , tempus , ac patientiam multoties perdere.

II. *Humilis* : in modo loquendi , genibus flexis , capite detecto , &c. ſi enim cor eſt contritum , & humiliatum DEO , etiam corpus erit humiliatum ejus Miniſtro. Non eſt tamen de valore. Unde in caſu neceſſitatis humiliatio corporis ſine peccato poteſt omitti : ut patet in Confeſſione infirmorum. 37

III. *Pura* : quoad intentionem. Intentio autem eſſentialis , & primaria eſſe debet , ad remiſſionem peccatorum obtinendam. Si autem miſceatur aliqua intentio mala venialiter tantùm , non officeret valori : V. G. ob vanam gloriam , &c. (ut probat P. Boſco , diſp. 7. ſect. 7. num. 98.) Quia inanis gloria non excludit dolorem aliorum peccatorum : neque peccatum veniale quod committitur in actu Confeſſionis , impedit effectum Sacramenti. 38

IV. *Fidelis* : ideſt , verax , ſine mendacio , aut fallacia. Non omne autem men- 39

Digitized by Google

dacium impedit valorem, ſed illud tantùm impediet, quod vel eſt ex ſe grave, ex circumſtantia fit grave: ut puta ſi negas, vel taceas, aut tegas aliquod mortale commiſſum, aut aliquam circumſtantiam mutantem ſpeciem, aut numerum mortalium, aut interrogatus legitimè à Confeſſario non reſpondeas ad ejus mentem, ac interrogationem de tempore V. G. malæ conſuetudinis, vel de ipſamet conſuetudine, & ſic de ſimilibus. Confeſſarius enim habet Jus ad interrogandum in neceſſariis ad dignoſcendum ſtatum Conſcientiæ.

40 V. *Frequens*: ob fructus uberrimos inde reſultantes. Patet, quòd non eſt de præcepto, nec de valore frequentia iſta Confeſſionis. Imò quandoque ex conſilio Confeſſarii docti, pii, ac prudentis debebis ponere modum, ac menſuram in iſta frequentatione. Lege *Philotheam S. Franciſci Saleſii*.

41 VI. *Nuda*: nempe, non palliata, non dubia, non exornata, non velata, non affectata, non obſcura; ſed clara, & aperta eſſe debet. Difficile autem eſt hìc diſtinguere malitiam gravem, & levem ex defectu hujus Conditionis. *Deus enim intuetur cor*. Hoc unum dico: Si non vis apparere ut peccator coram Confeſſario, non es verè pœnitens; ergo, &c.

42 VII. *Diſcreta*: ideſt, ut confitens cautè, ac prudenter confiteatur ſua peccata, præſertim carnalia; utendo, quantum poteſt, terminis propriis, & modeſtis: vel non revelet plus, quàm oportet, ſuum peccatum carnale, ne manifeſtet complicem, &c. niſi in caſu neceſſitatis, ut videbimus. Hæc conditio non eſt ſimpliciter neceſſaria ad valorem, niſi malitia pœnitentis, aut confitentis eam depravaret.

43 VIII. *Libens*: vel lubens: nempe, ſine coactione, ſine vi, ſine metu extrinſeco, &c. ita, ut ipſe metus, ipſa vis, aut coactio non impediat libertatem; debet enim Confeſſio voluntariè fieri: quia *Deus non juſtificat invitum*. Si quis autem ex metu minarum, aut timore pœnarum inducatur ad Confeſſionem, & ritè, debitèque diſponatur, validè utiquè confitetur; ſi autem fictè confiteretur, notum eſt, quòd committeret Sacrilegium.

44 IX. *Verecunda*: ita, ut pœnitens erubeſcat tum intùs in conſcientia, tum foris in Confeſſione de ſuis peccatis; iſta tamen erubeſcentia non debet eſſe tanta, ut te impediat ab integritate neceſſariò requiſita. Quòd ſi confitens nimiùm verecundaretur; deberet Confeſſarius ex officio ipſum confortare, & ſuaviter allicere ad veritatem aperiendam: & ipſe pœnitens ad vincendum nimium timorem debet, ſe DEO commendare: atque ſigno S. Crucis vincere diabolum.

45 Quoniam verò experientia nimis probat, multos juvenes, multaſque puellas ex verecundia exceſſivâ, ac diaboli tentatione, inſtituere falſas, & truncatas Confeſſiones, ac conſequenter invalidas; ideò Confeſſarius ex Charitate, & ex Officio tenetur, hujuſmodi Animas adjuvare, ne pereant, &c. modus autem, ars, ſtudium, aſtutia bona, & cætera requiſita ad curam iſtarum Animarum egregiè traduntur *in Confeſſario Inſtructo P. Segneri, cap. 2. per totum*: ne recedas ab his regulis ibi traditis à Tanto Viro; nam, ut inquit Philoſophus, *Unicuique experto in propria ſcientia, vel arte eſt credendum*.

46 X. *Integra*: De hac conditione jam vidimus ſuperiùs; & licèt multa dicta non ſint, videntur tamen neceſſaria non fuiſſe omiſſa; ni fallor: aliaque dicentur in ſequentibus punctis poſt declarationem harum conditionum.

XI. *Secreta*: etiam hæc ſatis fuit declarata, *n. 17. & ſeqq.*

47 XII. *Lacrymabilis*: ideſt, doloroſa, ſeu cum vero dolore facta; & de hac conditione tractatum ſatis eſt in præcedenti, ubi *de Contritione, & Attritione, &c.*

48 XIII. *Accelerata*: ideſt, Confeſſio debet inſtitui, ac fieri quamprimùm, & quam citò, ne homo ſtet in ſuo peccato mortali; ac poteſt conteri, & conſequenter non tenetur ad ſtatim confitendum, niſi debeat celebrare, aut communicare. Vide quæ diximus, *in 1. parte: de præcepto Confeſſionis*.

49 XIV. *Fortis*: ut vincat omnem vanum timorem, pudorem, & Timor enim Sanctus vincit vanum timorem. Timor Dei expellit peccatum per veram Confeſſionem. Coincidit hæc conditio cum *nona* jam explicata.

50 XV. *Accuſans*. Qui enim ſe excuſat in Confeſſione, non ſe accuſat; & qui ſe non accuſat, non confitetur Sacramentaliter; ergo omne peccatum excuſatum, non eſt condonatum. Unde Sanctus Auguſtinus ait peccatori confitenti: *Si excuſas, Deus accuſat: & ſi accuſas, Deus excuſat peccatum*

Digitized by Google

catum tuum. Rex David pœnitens, & verè pœnitens dicebat: Pſal. 31. v. 5. *Dixi: confitebor adverſùm me injuſtitiam meam, &c.* ubi Card. Ugo de S. Charo gloſſat: *Adverſùm me*: non adverſùs DEUM, ut Adam fecit: non adverſùs Fatum, ut Aſtronomus: non adverſùs diabolum, ut populus ſtultus facit. — Et D. pariter Auguſtinus, *in Pſalm.* 91. dicit: Satanas autem non cogit invitum; in tua poteſtate eſt, conſentire, aut non conſentire. Si aliquid, ſuadente Satana, mali feceris, dimitte Satanam, & accuſa te; ut accuſatione tua Dei miſericordiam merearis: accuſa te, & accipe indulgentiam. — Et D. Dionyſius Carthuſianus *in Pſalm. citat.* Hoc eſt miſerandiſſimum genus pravorum, qui propria delicta (etiam in Confeſſione) excuſant; hi enim obicem ponunt remedio: vulnus ſuum abſcondere volunt: in manus Divini Judicii incidunt, inſanabiles conſiſtunt. Et tandem Petrus Bleſenſis cum D. Auguſtino, *in cap.* 1. *Job*, ait: Si peccatum tuum candidè aperias, dicit Deus, Ego illud operio: Si agnoſcis, ignoſco; ſi te benè accuſas, Ego excuſo; ſi te judicas, & condemnas, te nec judico, nec condemno.

51 *Ad quid tot ſententiæ?* Quia *ubi majus eſt periculum, ibi cautiùs eſt procedendum*; Periculum autem nullitatis Confeſſionum plurimorum hominum, (maximè Juvenum, ac mulierum) majus eſſe ſolet in hoc, quòd confitentur ſe excuſando, & culpam in alium refundendo, ergo Confeſſarius debet cum illis auctoritatibus redarguere falſas excuſationes peccantium.

52 XVI. Sit *parere parata*: ideſt, pœnitens in actu Confeſſionis debet habere animum paratum ad obediendum Sacerdoti pio, docto, ac prudenti in omnibus pertinentibus ad cauſam, quæ in hoc Foro Spirituali agitur in ſalutem Animæ ſuæ. Iſta autem, in quibus parendum eſt, non omnia ſunt de præcepto; aliqua enim de conſilio, aliqua de præcepto ſunt. Inter ea, quæ de præcepto exiſtunt, numerantur hæc: I. Ut reſpondeat juſtis interrogationibus ſibi factis à Confeſſario Judice. II. Ut accipiat pœnitentiam ſibi impoſitam, & poſſibilem. III. Ut eam adimpleat. IV. Ut obediat Confeſſario, tanquam Medico, ponendo in praxim medicamenta ſpiritualia ſibi tradita, ſeu pœnitentias medicinales. V. Ut pareat ipſi, ut Doctori, & ut Patri, ſuſtinendo patienter moderatas correptiones, audiendo attentè conſilia, accipiendo ſanam doctrinam, &c.

Quæro XXIV. *Poteſtne pœnitens confiteri proprium peccatum graviſſimum in ſpecie, & numero, etiam quando ex tali confeſſione indirectè manifeſtatur complex illius criminis?*

Senſus quæſiti eſt talis. V. G. Peccavit 53
Titius peccato inceſtus cum unica ſorore ſua, quam Confeſſarius, cui Titius vult confiteri, optimè novit eſſe unicam conſanguineam in primo gradu Titii, qui hic, & nunc non habet commoditatem confitendi apud alterum Sacerdotem; *quæritur*, an Titius licitè poſſit confiteri hoc peccatum inceſtus, etiamſi prævideat indirectam manifeſtationem Sororis ſuæ complicis?

℞. Quòd poteſt, ſic confiteri. Ratio eſt: *I. Quia* Titius confitendo ſuum peccatum nullo modo intendit infamare apud Confeſſarium Sororem ſuam; ſed tantùm manifeſtare integraliter proprium Inceſtum. *II. Quia* pœnitens confitendo ſacramentaliter propria crimina, etiam turpiſſima, nullo pacto infamat ſemetipſum; ergo neque complicem, cujus peccatum cadit ſub eodem ſigillo.

Probo illud antecedens. Confeſſio Sacra- 54
mentalis integra materialiter, eſt (ut vidimus) de Jure Divino; atqui Chriſtus Dominus hoc ſuo præcepto non intendit noſtram infamationem, aut amiſſionem bonæ opinionis, quam unuſquiſque habet coram hominibus, etiamſi ſecretò, & coram Deo ſit infamis ob criminis culpam contractam; ergo, &c. *Confirmatur*. Ad conſervandam noſtram bonam opinionem coram hominibus providit Deus de fortiſſimo medio, quod eſt ſigillum Sacramentale, quodque nullo unquam caſu excogitabili frangi poteſt; ergo manifeſtatio meorum, etiam turpiſſimorum criminum remanet ſecreta, & ſigillata. Tum quia Confeſſarius videns peccatorem verè pœnitentem, non debet eum credere peccatorem infamem, ſed pœnitentem, juſtum, & ſanctum ex virtute Sacramenti, quod ei miniſtrat, & quod ex peccatoribus efficit Juſtos. Unde tenentibus oppoſitum, ſcilicet, quòd pœnitens confitendo perdit ſuam famam, poſſemus reſpondere illud Auguſtini, in Pſalm. 56. *Nolite habere oculos paganorum, Chriſtianos oculos habete*. Et illud Gregorii Magni homil. 40. in Euangel. *Quid eſt peccatorum Confeſſio, niſi* qua-

quadam vulnerum ruptio? Quia peccati virus ſalubriter aperitur in Confeſſione, quod peſtiferè latebat in mente. Tum quia dum ego, tu, & alii confitemur peccata noſtra Sacerdoti, non confitemur ſimplici homini, ſed DEI VICARIO, qui loco DEI audit, & ſcit ſcelera noſtra ad abſolvendum nos à vinculis, &c. ergo poſtquam abſoluti ſumus ab eo, ampliùs non ſumus Rei, injuſti, ſcelerati, etiam coram ipſomet Sacerdote. Plura dicerem; at brevitatis cauſa, redeamus ad Caſum comprobandum.

III. Quia: referre delictum proximi (aliàs infamatorium) ſub ſigillo naturali alicui Perſonæ prudenti, & taciturnæ ad petendum conſilium, vel ad mitigationem doloris, paſſionis cordis, &c. non eſt infamare proximum, ſed ſibimet proſpicere, ut omnes DD. concedunt; ergo multò minùs manifeſtare Confeſſario proprium crimen commiſſum cum Sorore; quia hic major adeſt cauſa juſtæ manifeſtationis, & major obligatio ſecreti, & ſigilli Confeſſionis. *IV. Tum quia*; dato etiam (& non conceſſo) quòd aliqualis infamatio indirecta reſultaret ſorori complici ex tua integra Confeſſione, hanc ſibi ipſa imputare debet; peccandò enim tecum ceſſit juri ſuo; quia certò ſciebat, tale peccatum fore ſuo tempore manifeſtandum in Confeſſione. *V. Tum quia* magis æſtimanda eſt integritas Confeſſionis, quæ eſt in auxilium ſpirituale pœnitentis, quàm conſervatio integritatis famæ complicis apud Confeſſarium ſolum; eſt enim majus bonum illa integritas materialis Confeſſionis, quàm iſta conſervatio famæ. *VI. Tandem*, quia noſtra hæc reſolutio, ut probabilior, & ſecurior defenditur ab infrà notatis Doctoribus magnæ Auctoritatis. D. Thoma, *4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. quæſtiuncula 5.* D. Bonaventura, *4. diſt. 21. part. 2. art. 1. quæſt. 3. num. 54.* -- S. Bernardo in formula honeſtæ vitæ -- Suarez, *de pœnit. diſt. 34. ſect. 2.* -- Joann. Boſco, *diſput. 7. ſect. 9. concl. 2.* -- Maſtrio, *moral. diſp. 21. num. 185. & 186.* -- & Laymanno, *libr. 5. tract. 6. cap. 8. num. 14.*

Quæro XXV. *Quando quis confitetur ſola peccata venialia, teneturne hæc manifeſtare in ſpecie, & numero?*

55 ℞. In ſpecie tantùm. Ratio eſt; quia circa numerum nulla extat obligatio; nam ſunt materia tantùm ſufficiens, & diviſibilis, &c. Quoad ſpeciem autem probatur; quia, cùm Sacramentum hoc conficiatur per modum abſolutionis judicialis, apparet omninò conveniens inſtitutioni illius, ut afferatur, & ſubjiciatur materia aliqua certa, ut Confeſſarius poſſit judicare, & ſententiare. Tum quia talis eſt praxis Eccleſiæ, & ſenſus Fidelium. Quapropter, licèt aliquis nulla Lege obligetur ad confitenda ſola venialia, poſito tamen, quòd velit ea confiteri, debet ex parte ſua ponere materiam certam, & explicare aliquod veniale in ſpecie; ergo non ſufficit in genere ſe accuſare, dicendo V. G. *me accuſo coram Deo, & Te, Pater Spiritualis, tanquam peccatorem, & in multis ſaltem venialibus peccatis deliquiſſe*; ſed debet addere, *ſpecialiter deliquiſſe in mendaciis levibus*, vel *in verbis otioſis, diſtractionibus, negligentiis in Divino Officio, & ſimilibus.*

Quid, *ſi quis bona fide ſe accuſaſſet generaliter tantùm de omnibus mortalibus, & venialibus vitæ ſuæ?*

56 ℞. Bona fides eum excuſaſſet à peccato; verumtamen (ſalvo meliori judicio) dicerem, talem Confeſſionem fuiſſe nullam in valore Sacramentali; quia, cùm poſſet ponere materiam certam, & determinatam, non poſuit; ergo dubium manet de valore Sacramenti.

57 *Dices*. Integritas materialis non eſt de valore Sacramenti, ſed tantùm de præcepto Divino, ut vidimus; ergo tale Sacramentum fuit validum.

℞. *Speculativè*, concedo; *practicè*, nego. Nam ponamus Caſum practicum, ſi Titius cum advertentia, ſe accuſaret generaliter, ut ſuprà; certè peccaret; ergo invalidè confiteretur.

58 *Inſtabis*. Si ruſticus ſciat ſe commiſiſſe unum grave peccatum, de quo modò non recordatur nomen, vel ſpeciem, tenetur illud ſic in genere confiteri; ergo tunc abſolutio eſt valida. Si in hoc caſu Sacramentum eſt validum, cur non in prædicto caſu?

℞. Nonne vides diſparitatem? Ruſticus aliud non confitetur, quia aliam (ut ſuppono) non habet materiam certam. Titius verò habet certam (ut ſupponitur,) & non vult ponere; ergo Titius peccat, & non Ruſticus; & conſequenter Sacramentum Ruſtici erit validum, non autem Titii.

Quæro XXVI. *Quandonam Confeſſio jam facta eſt repetenda?*

℞. I.

59 ℞. I. Quando fuit validè facta , numquam per ſe de rigore præcepti erit repetenda Confeſſio ; nam peccata ſemel remiſſa , non redeunt ; ergo ſemel confeſſa non debent iterùm confiteri de rigore , &c.

60 ℞. II. Quando autem Confeſſio fuerit invalidè facta vel ob defectum pœnitentis , vel Confeſſarii , (ubi defectus eſt certus , & notus) Confeſſio debet repeti , & revalidari. -- Vide plura apud Laymannum , *lib. 5. tractat. 6. cap. 9. per totum.* -- Bonacinam , *de Sacram. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. puncto 3. per totum.* Thom. Tamburinum , *in methodo Confeſſionis , lib. 2. cap.* 10. §. 3. Maſtrium , *in moral. diſput.* 21. *à num.* 189. *& ſeqq. &* 192. *& ſeqq.* & alios DD.

» In Compendio non omnia poſſunt ex-
» planari ; unde plures legendi ſunt libri , ſi
» omnia videre cupias , & reſolvere du-
» bia , &c. aliàs Compendium tranſiret in
» Opus eximium multorum voluminum ,
» quod ſuperaret Summæ intentæ quantita-
» tem moderatam tibi promiſſam in epiſto-
» la proœmiali.

61 *Petes.* Si Titius ad tempus Paſchale reductus tibi Confeſſario confiteatur impedimentum alicujus pravæ conſuetudinis , quam numquam deſtruere conatus eſt , aut alicujus proximæ occaſionis mortaliter peccandi , quam hìc , & nunc non valet efficaciter deſerere , aut quid ſimile , propter quod concludat dicendo : *Pater ,* vel *Domine mi , habe me excuſatum : quia non poſſum modò confiteri , & nolo fictè confiteri , neque SS. Communionem ſacrilegè accipere.* Satisfecitne obligationi ſuæ de annua Confeſſione ? Et peccavitne mortaliter ?

℞. Non ſatisfecit : ut patet ; nam pro tunc Sacramentum Confeſſionis in re non ſuſcepit. -- Neque ex hoc capite mortaliter peccavit : quia ſolutionem debiti ſui non negavit , ſed diſtulit. Peccavit tamen ex alio capite : quia nempe prævidit (ut ſuppono) hoc voluntarium impedimentum ſolutionis debiti annuæ , videlicet , Confeſſionis , nec ſuo tempore conatus eſt (ut tenebatur) illud auferre debitis mediis , ac modis : puta per Orationem humilem , & cordialem , reſiſtendo tentationibus , vel pravæ conſuetudini , aut enervando periculum proximum talis occaſionis ; ergo fuit cauſa talis omiſſionis annuæ Confeſſionis nunc currentis.

Unde debes , novelle Confeſſor , inſi- 62
nuare tali confitenti obligationem ſuam , quæ eſt , ut ſe diſponat , adhibendo media opportuna ad ſe vincendum , ſuaſque domandas paſſiones , & quamprimùm validè confiteatur. -- Poteris etiam eum obligare (pro qualitate ſui ſtatus) ad certas Orationes , & devotiones , maximè erga Refugium peccatorum , & Advocatam noſtram *B. V. Mariam* ; nam facienti , quod in ſe eſt , DEUS non denegat ſuum auxilium , etiam ſupernaturale , ad ſalvandam Animam ; & omnis peccator , quantumvis peſſimus , ſi debitè poſtulaverit auxilium à DEO , & adjutorium à validiſſima , & piiſſima Mediatrice DEIPARA , ſperare poteſt , ac debet certum ſibi ſubſidium ad ſe convertendum ex toto corde , & ad veram pœnitentiam agendam ; ut paſſim docent SS. Patres apud P. Joan. Bapt. Novati , *de Emin. Deip. tom. 2. cap. 11. quæſt. 5. & cap. 12. quæſt. 1.*

TRACTATUS LXIV.

DE SATISFACTIONE OPERIS.

QUæro I. *Quid eſt Satisfactio Sacramentalis ?*

1 *Reſpondeo.* Eſt opus bonum pœnale à Confeſſario impoſitum pœnitenti , in compenſationem , vindictam , & caſtigationem præteritorum peccatorum , ad novæ vitæ cuſtodiam , & infirmitatis medicamentum , ac etiam in ſatisfactionem pœnæ temporalis peccatis confeſſis debitæ.

Quæro II. *Quotuplex eſt ?*

℞. I. Duplex : nempe in voto , & in re. 2
Satisfactio in voto eſt , quæ includitur in ipſa Contritione , vel Attritione , ſeu in deſiderio pœnitentis volentis (pro poſſe) DEO ſatisfacere in vindictam peccati admiſſi. -- *Satisfactio in re* eſt , quæ nuper de-

Digitized by Google

finita eſt : quæ etiam eſt pars integralis, & perfectiva Pœnitentiæ Sacramentalis, & vulgò dicitur *Pœnitentia*.

3 ℞. *II.* Satisfactio *in re* eſt duplex : Una dicitur vindicativa ; altera medicinalis. *Satisfactio vindicativa* eſt, quæ imponitur ad caſtigationem peccati commiſſi. *Medicinalis* verò eſt, quæ datur ad infirmitatis ſpiritualis medicamentum in novæ vitæ cuſtodiam, ac præſervationem. Utraque autem ſimul juncta vocatur *mixta Satisfactio* : & ſic regulariter debet imponi ; prout habetur ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 8.

Quæro III. *Qualia opera injungenda ſunt pœnitenti pro Satisfactione, aut Pœnitentia?*

4 ℞. Ordinariè, & regulariter loquendo opera iſta diſtinguuntur in tria genera : nempe in Orationem, Jejunium & Eleemoſynam. Ratio eſt : quia ſicut homo per peccatum offendit Deum, ſe ipſum, & proximum ; ita viciſſim per pœnitentiam *Oratione* propitiat Deum, *Jejunio* ſe ipſum caſtigat, & *Eleemoſyna* proximum ſublevat. -- Item *Oratio* congruit peccatis contra Deum : *Jejunium* contra ſe ipſum : *Eleemoſyna* contra proximum commiſſis ; ſalvo, & excepto debito Reſtitutionis rei, & famæ alienæ, quæ non ſe habet, ut Satisfactio Sacramentalis, ſed ut perſonalis obligatio de Jure naturæ debita, ac indiſpenſabilis.

Quæro IV. *Ultra prædicta poſſuntne injungi alia opera?*

5 ℞. Maximè ; ea nempe, quæ aliquo modo ad illa tria genera reducuntur. Etenim ad *genus Orationis* reducuntur omnes actus Virtutis Religionis, ut puta adoratio, Miſſa, peregrinatio, viſitatio templi, &c. Item omnes actus virtutum Theologalium Fidei, Spei, Charitatis, &c. -- Ad *genus Jejunii* reducuntur omnes pœnalitates, afflictiones moderatæ corporis, mortificationes ſenſuum externorum propter Deum aſſumptæ, vel paſſæ, vel ad Deum relatæ, &c. -- Ad *genus Eleemoſyna* reducuntur omnes actus, vel omnia opera Miſericordiæ corporalis, & Miſericordiæ Spiritualis, & Charitatis erga proximum noſtrum.

Quæro V. *Poteſtne etiam injungi opus bonum aliàs debitum?*

6 ℞. Interdum ob pœnitentis fragilitatem, aut impoſſibilitatem moralem, poſſunt injungi etiam opera bona aliàs debita. Ut V. G. Auditio Miſſæ die Feſto : Jejunium Quadrageſimæ, vigiliarum, &c. Ratio eſt : quia aliquid novi, & oneroſi additur ; dum obligatur pœnitens ad ea opera facienda ex pœnitentia, & obedientia, nam tunc imponitur novum præceptum virtute Clavium, quod antea pœnitens non habebat. Unde ſi talis pœnitens V. G. non audiat Miſſam die Feſto, peccat dupliciter ; ut patet.

Conſultius tamen eſſet (in ſimili caſu fragilitatis, aut impotentiæ) injungere potiùs tali pœnitenti ea opera bona, quæ ipſemet ſolet ex ſua devotione exercere 7
per ſingulos dies : V. G. Auditionem Miſſæ diebus ferialibus, Roſarii, Coronæ, aliarumque Orationum recitationem devotam : determinando ei tempus durationis hujuſmodi pœnitentiæ.

Quæro VI. *Poſſuntne injungi opera bona applicanda per modum Suffragii Animabus Purgatorii?*

℞. Affirmativè. Ratio patet ex dictis ; 8
nam iſta opera reducuntur ad *genus Eleemoſyna*. Tum quia Oratio pro Defunctis connumeratur inter opera Satisfactoria imponenda pœnitentibus per Catechiſmum Romanum, *part.* 2. *de Sacram. Pœnitent. cap.* 5. §. 80.

Dices. Opus bonum factum à pœniten- 9
te, & applicatum per modum Suffragii Animabus Purgatorii, non erit ſatisfactorium ipſimet, ſed illis, pro quibus applicatur : ergo, &c.

℞. Duplex eſt fructus Satisfactionis Sacramentalis, unus *ex opere operato*, alter *ex opere operantis*. Primus fructus eſt pro pœnitente ; ſecundus verò pro Animabus illis ; ergo tale opus applicatum Defunctis à pœnitente erit Satisfactorium & ſibi, & illis. Dic mihi, quando pœnitens ex injuncta ſibi obligatione pœnitentiali dat panem, nummum, &c. pauperibus : nonne tale opus miſericordiæ juvat & pœnitenti, & pauperibus? Ita. Ergo à ſimili de opere bono applicato illis Sanctis pauperibus Animabus, quæ ſunt in Purgatorio. Adhuc mihi non credis? Lege ergo (ſi habes) Cardin. de Lugo, *tom. de Pœnit. diſput.* 25. *ſect.* 5. *numer.* 64. -- Caſtropalaum, *tractat.* 23. *diſp. unic. punct.* 21. *numer.* 3. P. Amicum *in Curſ. Theol. tom.* 8. *diſput.* 16. *ſect.* 5. *dub.* 3. -- Turrianum, *tract. de Pœnit. diſp.* 37. *dub.* 4. -- Dianam Coordinatum, *tom.* 1. *tract.* 6. *Reſolut.* 16. 17. 18. P. Marchantium, *tom.* 1. *tract.* 6. *tit.* 3. *quæſt.* 5. Analectum noſtrum, *Moral. Theol. Tract.* 14. *diſt.* 10.

diſt. 10. *num.* 30. -- Boſco, *diſp.* 7. *ſect.* 13. *num.* 143.

Quæro VII. *Pœnitentia, ſeu ſatisfactio eſtne neceſſariò imponenda omnibus pœnitentibus?*

10 ℞. *I.* Non de neceſſitate Sacramenti; quia non eſt pars ejus eſſentialis, aut conſtitutiva, ut vidimus: ſed debet imponi de neceſſitate præcepti Divini; quia eſt pars integralis tantùm, habens effectum ex opere operato virtute Clavium.

11 ℞. *II.* Omnibus pœnitentibus eſt injungenda, etiam ægris, infirmis ad mortem, aliqua ſaltem levis ſatisfactio, ſi tempus, aut morbus non impediat omninò executionem ejus. Ut docet Rituale Romanum, *tit. de Sacram. Pœnit.* Et quandonam quis (etiam infirmus ad mortem, niſi ſit ſenſibus omninò deſtitutus) poterit ſe legitimè excuſare, quòd non valeat recitare ſtatim hæc verba tantùm: *Miſerere mei Deus*? Vel hæc ſolùm, *JESUS, MARIA*? Ergo Confeſſarius ſemper tenetur, aliquam imponere pœnitentiam.

12 ℞. *III.* Confeſſarius, per ſe, & regulariter loquendo, tenetur ſub culpa gravi, imponere pœnitentibus aliquam ſatisfactionem. Ratio eſt: quia ut Miniſter Sacramenti obligatur procurare ejuſdem Sacramenti integritatem.

13 ℞. *IV.* Pœnitenti redeunti ad confitendum aliquod oblitum poteſt Confeſſarius vel novam addere pœnitentiam, vel jam impoſitam confirmare, ut inſerviat pro utraque Confeſſione. Si enim poteſt, ut vidimus, imponere opus aliàs debitum, poterit & hoc.

Quæro VIII. *Poteſtne licitè Confeſſarius modicam imponere pœnitentiam confitenti, qui majorem meretur, cum hac reflexione, vel intentione, quòd Verba illa* (Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, Merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris ſint Tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ: Amen.) *inſerviant pro bona parte Satisfactionis debitæ?*

14 ℞. Cum P. Boſco noſtro, *diſp.* 7. *ſect.* 13. *à num.* 154. Quis crediderit, his verbis poſſe pœnitentem talem obtinere gratiam, ut ejus opera, ejuſque paſſiones eleventur virtute Clavium ad condignam *ex opere operato* Satisfactionem? Sunt ergo verba tantùm deprecatoria, (ſicut & præcedentia, *Miſereatur tui Omnipotens DEUS, & dimiſſis peccatis tuis, &c.*) quæ non indicant actum Judicialem, ſed ſolùm Orationem ad impetrandum auxilium, quo talia opera bona, quæ faciet pœnitens, & mala afflictiva, quæ patienter ſuſtinebit, dignè fiant, ac meritoriè. Valdè etiam dubitatur, an Sacerdos, ut Miniſter hujus Sacramenti, ſi velit, poſſit elevare omnia opera pœnitentis ad effectum remiſſionis pœnæ ſibi debitæ, ex peccatis confeſſis, & abſolutis? Et gratis admiſſo, quòd poſſit, quid ſequitur? Ecce ſequela admirabilis: Ergo nullæ pœnitentiæ, vel ſatisfactiones impoſitæ à Confeſſariis poſſent dici leves, leviſſimæ; quia paſſim omnes Fideles multa bona opera frequenter faciunt, habentque paſſim plurimas occaſiones patiendi mala afflictiva interna, & externa, per quæ poſſent judicare ſe agere multam pœnitentiam.

Putaſne, quòd Tridentinum ignorave- 15
rit illam praxim adjungendi ſupradicta verba poſt formam abſolutionis? Putas, quòd ipſe Chriſtus voluerit, ut Sacramentum Pœnitentiæ maneat integraliter imperfectum uſque ad finem vitæ cujuſvis Fidelis pœnitentis? Quare igitur Sacerdos ex præcepto Divino tenetur congruas imponere pœnitentias confitentibus, quas (ex Rituale Romano) ordinariè debet injungere ante abſolutionem; niſi quia Sacerdos per verba ſubſequentia, *Paſſio Domini noſtri, &c.* non intendit injungere aliam Pœnitentiam veram, & Sacramentalem?

Quapropter idem P. Boſco, *cit. num.* 157. 16
non approbat doctrinam Dianæ, & aliorum ab ipſo citatorum DD. quantùm ad excuſationem illius Confeſſarii à peccato, qui poſſet alioquin proportionatam pœnitentiam in particulari imponere pœnitenti, ſi vellet, & tamen ſub prætextu opinionis, quòd verba prædicta *Paſſio Domini N. &c.* valdè proſint ad ſupplendam ordinariam, & particularem pœnitentiam, imponit regulariter parvam, & levem, &c. Non approbat, inquam, doctrinam (Dianæ, *part.* 3. *tract.* 4. *reſolut.* 97.) multa cum prudentia, ac ratione; quia inquit Boſco, ſi hæc verba *Paſſio D. N. &c.* per ſe ſufficerent; neſcio, quomodo ſuſtineri poſſent verba Concilii, *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. quibus tam graviter, & tam ſeriò monet Sacerdotes, ut ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungant pœnitentibus,

Digitized by Google

„ tibus, ne, ſi fortè peccatis conniveant, &
„ indulgentiùs cum pœnitentibus agant,
„ pro graviſſimis delictis injungendo leviſ-
„ ſima quædam opera, alienorum peccato-
„ rum participes efficiantur. Proculdubio
„ (*ſequitur ibi Trid.*) magnoperè à pecca-
„ to revocant, & quaſi fræno quodam coer-
„ cent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſ-
„ que; & vigilantiores in futurum pœniten-
„ tes efficiunt.

17 *Vide nunc*, an illa ſatisfactio generalis, quæ (ut citati DD. cum Diana docent) imponitur prædictis verbis: *Quidquid boni feceris, &c.* magnoperè à peccato revocet, & quaſi fræno quodam coerceat à peccato? Credo, quòd magis frænum laxet ad imposterum eadem perpetranda peccata, ex quo talis generalis ſatisfactio nullam pœnitenti moleſtiam infert.

18 *Tum quia* Sacerdos utitur Poteſtate Clavium, *non præcisè ad ſolvendum, ſed etiam ad ligandum*; ergo debet imponere pœnitentiam certam, & determinatam, & ſic ligare, ſeu obligare ſpeciali modo pœnitentem ex vi Judicii Sacramentalis, ſeu per actum Judicialem, non autem relinquere ferè totam, aut majorem pœnitentiæ partem arbitrio ipſius pœnitentis, quaſi liberum relinquendo Reum, ut de proprio capite ſatisfaciat pro peccatis ſuis, &c. ergo per modum præcepti, non verò per modum conſilii (regulariter, & per ſe loquendo) debet Confeſſarius imponere ſatisfactionem pœnitenti; quod non haberetur, ſi in illis verbis, *Quidquid boni feceris, &c.* includeretur pars notabilis ſuæ ſatisfactionis. Hæc ex Boſco noſtro, *loco cit. & alibi.*

Quæro IX. *Satisfactio Sacramentalis qualem, & quantum ſortitur effectum?*

19 ℞. Sortitur, vel cauſat remiſſionem pœnæ temporalis; & ſi ſatisfactio verè eſſet proportionata peccatis, cauſaret etiam remiſſionem totius pœnæ temporalis; ſi autem (ut regulariter accidit) non ſit proportionata, ſortitur ſolùm remiſſionem alicujus partis, majoris, aut minoris, ſecundùm ejus æquivalentiam, & diſpoſitionem pœnitentis. Ita ex communi DD. Et iſte effectus habetur, & *ex opere operantis*, & ex *opere operato*. Ita, ut major devotio, non tantùm quæ adeſt tempore abſolutionis, quando Sacramentum eſſentialiter conſtituitur; ſed etiam tempore, quo ſatisfactio adimpletur, augeat effectum remiſſionis pœnæ. Ita Card. de Lugo, *tom. de Pœnit. diſput. 25. num. 27.* & alii DD.

Unde multò plus valet modica ſatisfactio à Confeſſario impoſita, & elevata ſpecialiter virtute Clavium ad ſatisfaciendum ex vi Sacramenti, quàm magna (cæteris paribus) Satisfactio, quæ extra, & ſpontè aſſumatur; quia Sacramentalis pœnitentia ex meritis Chriſti ſpeciali modo applicatis, ſpecialem, & amplam habet vim ſatisfaciendi pro pœnis.

Quæro X. *Ad habendum prædictum effectum, eſtne neceſſarium, ut pœnitentia impleatur in ſtatu gratiæ?*

20 ℞. Quoad vim ſatisfactivam præcisè, intuitu Sacramenti jam recepti, dicunt multi DD. quòd non eſt neceſſarius ſtatus gratiæ; ita, ut peccator in ſtatu peccati mortalis (poſt Confeſſionem validè factam) adimplens pœnitentiam, licèt non mereatur, ſatisfacit tamen non ſolùm obligationi contractæ de ipſa pœnitentia facienda, verùm etiam ſatisfacit parti pœnæ, quæ ſibi debebatur ex ſuis peccatis jam confeſſis. Ita Scotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. numer. 26.* Et ferè omnes Scotiſtæ, multique Neutrales, ut Navarrus, *cap. 1. de Pœnit. diſp. 6. num. 47.* — Gerſon *de Regul. Moral. titul. de pœnit. part. 2.* Vaſquez, *quæſt. 94. art. 2. dub. 5.* aliique plures apud Boſcum noſtrum, *diſput. 7. de Sacram. Pœnit. ſect. 13. concluſ. 4.* — Et quamvis in Moralibus non expediat acriter tueri opiniones propriæ Scholæ, magis autem ſe gerere veluti Neotericum, nihilominùs quibuſdam in caſibus mihi videtur expedire. In hoc ergo ſum Scotiſta, quia hæc ſententia favet miſeris peccatoribus, quorum unus ego ſum.

Quæro XI. *Sed quanta ſatisfactio, vel pœnitentia injungenda erit pœnitentibus tuis, ò Confeſſor?*

21 ℞. Inter tot difficultates, quas Confeſſor tyro experturus eſt in praxi, hæc forſan non ultimum obtinere debet locum; quapropter operæ pretium erit, tradere quaſdam regulas generales, quibus benè inſtructus novellus Confeſſarius non tot craſſos committet errores, ut ſolet ignarus. Dico ergo.

22 I. Canones antiquiſſimi, in quibus certæ taxabantur pœnitentiæ pro ſingulis peccatis mortalibus, intelliguntur de peccatis publicis. Et ſi vis ſuſtentare etiam de occultis, dicam tibi cum omnibus meis charioribus libris, quòd tales pœnæ non ſunt

Digitized by Google

ſunt ampliùs in uſu, nec obligant Confeſſarios. Canones autem non adeò antiqui (qui utique ſunt omnes in Concilio Tridentino expreſſi) nullam determinatam in ſpecie, & in numero dant nobis taxam, ut videre eſt *in Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 8. ubi loquitur de hac materia.

23 *II.* Determinatio ſpecifica, & individua pœnitentiæ relinquitur prudentiæ, zelo, & diſcretioni Confeſſariorum, ita tamen, ut (quantùm fieri poteſt) ſatisfactio habeat aliquam proportionem cum delictis, & ſimul cum diſpoſitione, facultate, ac utilitate ſpirituali pœnitentium.

24 *III.* Confeſſarius ad hæc duo capita ſemper attendere debet in imponenda qualibet ſatisfactione Sacramentali. I. Ad qualitatem peccatorum, ſeu delictorum. II. Ad qualitatem confitentis; ac pœnitentis. Ex ponderatione utriuſque qualitatis meliùs practicè judicare poterit quid hìc, & nunc ſit agendum; nam variatio unius capitis facit variare Judicium in hoc miſericordiæ Foro.

25 *IV.* Confeſſarius fidelis, ac prudens ſemper debet eſſe magis ſollicitus de procuranda debita, & requiſita diſpoſitione ſui pœnitentis, quàm de taxanda juſta ſatisfactione; quia in primo Caſu ſi contingat error, erit eſſentialis error; in ſecundo verò erit accidentalis. Tum quia quò major eſt contritio pœnitentis, eò minor debet eſſe ſatisfactio imponenda.

26 *V.* Confeſſarius novellus non debet perturbari, quando audit magnos peccatores, ſed benè contritos, etiamſi iſti forent inhabiles ad tolerandas graves pœnitentias; quia in talibus ſolet frequenter apparere manifeſtum periculum, ne aut adimpleant graves, aut fugiant à Confeſſionario, & abominentur Confeſſarios, ſi eis injungatur gravis ſatisfactio; ſed ſervare debet ſequentem cautelam: videlicet.

27 *VI.* Confeſſarius prudenter ſuſpicans, ne pœnitens gravetur tali pœnitentia, interroget eum, an libenter eam accipiat? an valeat eam adimplere? Quòd ſi conqueratur, aut ægrè ferat; ſtatim imponat leviorem, ne unquam circa hoc punctum relinquat pœnitentem triſtem abire; nam, ut docet Magnus Gerſon; tutius eſt, cum parva pœnitentia, quæ ſponte ſuſcipitur, & veroſimiliter adimpletur, ducere Confeſſos, & pœnitentes ad *Purgatorium*, quàm cum magna pœnitentia non libenter acceptata, & forſan non implenda, præcipitare Animas in *Infernum*.

VII. Memoriæ commendabis hanc S. Joannis Chryſoſtomi Doctoris ſententiam: Etſi (inquit) erramus, modicam pœnitentiam imponentes: nonne melius eſt propter miſericordiam rationem reddere DEO, quàm propter crudelitatem? *Homil.* 43. *in Matth. c.* 23. 28

VIII. In prædicto autem caſu, ne pœnitens ob levem pœnitentiam temerè parvi pendat propria delicta, admonendus erit de inæqualitate, &c. & hortandus, ut lucretur aliquam Indulgentiam Plenariam. Vide P. Marchant. *tom.* 1. *tract.* 4. *tit.* 7. *per totum*. 29

IX. Confeſſarius graviter poteſt delinquere vel per nimium defectum, vel per notabilem exceſſum pœnitentiæ injunctæ. *Per defectum*, quando nempe ſine cauſa juſta Pœnitenti imponit leviſſima quædam opera pro graviſſimis peccatis. *Per exceſſum* autem, quando è contra pro leviſſimis peccatis injungit graviſſimam pœnitentiam. 30

X. Peccat item graviter ille imprudentiſſimus Confeſſarius; qui omnibus pœnitentibus tam pro parvis, quàm pro magnis: tum pro paucis, tam pro multis peccatis, eamdem ſemper (ne erret) imponit *Coronam Domini*, *aut Beatiſſimæ Virginis recitandam*: (Uſus, & libri te plura docebunt: Lege ſpecialiter *Confeſſarium Inſtructum* P. Segneri) Ratio eſt: quia arbitrium noſtrum non eſt bonum, niſi ſit boni viri; ſed illud prædicti Confeſſarii non eſt boni viri; ergo non eſt bonum arbitrium, maximè in hac re gravi. 31

Quæro XII. *Quænam ſunt cauſæ juſtæ, quæ excuſant Confeſſarium, ſi minorem juſtâ, ac debitâ imponat pœnitentiam?*

℞. Multæ poſſunt eſſe; at præſertim iſtæ. I. infirma conſtitutio pœnitentis: ſeu fragilitas corporis, & Animi: ob quam Confeſſarius probabiliter timeat, eum non poſſe adimplere majorem, etſi juſtiſſimam pœnitentiam. II. Quando apparet magna cordis contritio; nam vehemens dolor ſupernaturalis poteſt totam abſolvere, aut remittere pœnam. III. Quando tibi Confeſſario conſtat, pœnitentiam. IV. Quando pœnitens vult de proximo ingredi Religionem ſtrictæ Obſervantiæ, ut continuam agat pœnitentiam. V. Quando imponitur modica quidem, ſed quoti- 32

tidiana, & diuturna adnotabile tempus. VI. Quando graviſſima aliàs injungenda compenſatur per frequentiam Confeſſionis. VII. Quando pœnitens confitetur tempore Jubilæi, vel Indulgentiæ Plenariæ.

Quæro XIII. *Pœnitens obligaturne acceptare, ac implere pœnitentiam ſibi impoſitam à ſuo Confeſſario?*

33 ℞. *I.* Pœnitens ſub gravi obligatione (ex genere ſuo) tenetur acceptare, rationabilem pœnitentiam ſibi impoſitam à Confeſſario, ſi vult validè Sacramentum recipere: cum animo eam adimplendi. Quia Confeſſarius, ut vidimus, tenetur Jure Divino congruam injungere; ergo & pœnitens eodem Jure tenetur eam acceptare, & per ſe adimplere, ſi poteſt.

34 ℞. *II.* Si quis pœnitens nullam vellet acceptare pœnitentiam, non eſſet abſolvendus; quia tunc cenſeretur aliquo errore detentus, & conſequenter incapax abſolutionis. Quòd ſi diceret, velle utique DEO ſatisfacere, ſed *in Purgatorio*: non eſt ei credendum: quia Deus, & Eccleſia exigunt actualem, & poſſibilem ſatisfactionem in hac vita; tum quia aliqua ſatisfactio eſt pars integralis hujus Sacramenti: & Sacerdos habet poteſtatem ligandi, & ſolvendi ſuper terram, non autem in Purgatorio, quod eſt ſubter terram. Ego ſic dicentem velut mentecaptum ligarem, negando ei abſolutionem.

35 ℞. *III.* Poteſt tamen pœnitens reverenter, ac modeſtè recuſare irrationabilem pœnitentiam, vel ſibi moraliter impoſſibilem. Quòd ſi Confeſſarius dura cervice nollet talem mitigare pœnitentiam, licebit pœnitenti ſine abſolutione diſcedere: vel eam ab alio Confeſſario commutatam, vel mitigatam adimplere.

36 ℞. *IV.* Pœnitens propria auctoritate non poteſt ſibi commutare (etiam in melius) opus ſibi injunctum pro pœnitentia; quia illud non eſſet in hac materia ſufficiens ad ſatisfaciendum; quia non eſſet pars integralis Sacramenti, nec tantam haberet virtutem.

37 ℞. *V.* Multò minùs licebit pœnitenti ſubſtituere ſibi alium, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat. Et oppoſitum aſſerere eſt damnatum ab Alex. VII. *in propoſitione, num. 15.*

38 ℞. *VI.* Pœnitens tenetur quamprimùm ſuam dicere, vel facere pœnitentiam; quòd ſi differat ſine juſta cauſa, peccabit pro qualitate moræ; niſi aliud à Confeſſario exprimatur.

℞. *VII.* Pœnitentia, quæ conſiſtit in 39
Orationibus, & precibus, poteſt licitè adimpleri etiam tempore Miſſæ de præcepto; quia (ut alibi vidimus) una Oratio non impedit aliam, cùm utraque habeat DEUM pro Objecto primario.

Quæro XIV. *Quandonam præcisè imponenda eſt pœnitentia confitentibus?*

℞. Ex Rituale Romano, & praxi lau- 40
dabili univerſalis Eccleſiæ, audita Confeſſione, injungitur pœnitentia, ſeu ſatisfactio pœnitentibus, antequam abſolvantur; quia ſic ordo Judicii hujus Sacramentalis meliùs ſervatur; nam pœnitens Reus, acceptata pœnitentia, expreſsè, vel tacitè intendit, ſe velle DEO ſatisfacere, ac Miniſtro Chriſti obedire. Fatentur tamen DD. paſſim, hunc ordinem non eſſe de neceſſitate ſimpliciter ſervandum; unde non peccat Confeſſarius, ſi aliquando poſt abſolutionem injungat pœnitentiam. Cavendæ tamen ſunt infraſcriptæ propoſitiones damnatæ ab Alexandro Papa Octavo, videlicet, la 16. 17. & 18.

"*n. 16.* Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio naturæ rei, idipſum quodam modo dictans."

"*n. 17.* Per illam praxim mox abſolvendi, Ordo pœnitentiæ eſt inverſus."

"*n. 18.* Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominùs ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu."

Quæro XV. *Pœnitentia jam impoſita poteſtne commutari?*

℞. *I.* Certum eſt, quòd Confeſſarius, 41
qui eam impoſuit, poteſt etiam eam commutare, rationabili de cauſa.

℞. *II.* Certum etiam eſt, quòd alius Con- 42
feſſarius, audita priori Confeſſione pœnitentis, qui petit commutationem, poteſt pariter eam commutare cum cauſa juſta.

℞. *III.* Probabile eſt, & tutum in pra- 43
xi, quòd alius Confeſſarius (ſive ſit paris, ſive imparis auctoritatis, aut juriſdictionis) in actu novæ Confeſſionis, etiam non repetita priori Confeſſione, poteſt commutare illam pœnitentiam. Ita tenent Navarrus; Toletus; Henriquez; Gobat; Rodericus; Emanuel; Sà Diana; Sporer;

rer;

Digitized by Google

rer; & alii Moraliſtæ, quorum nonnulli addunt hoc valdè notabile documentum, videlicet,

44 *Quando* pius, & prudens Confeſſarius advertit, pœnitentem non impleviſſe pœnitentias ab altero impoſitas, nec facilè impleturum, eo etiam non petente commutationem, aut diſpenſationem, poteſt, imò debet ex ſe alleviare pondus, vel diſpenſando, vel commutando, prout magis ſaluti pœnitentis expedire judicaverit; nam facilitanda eſt via ſalutis, non lapidibus, aut ſpinis intricanda. Ita Marchantius noſter cum Sporerio noſtro, *tom.* 3. *part.* 3. *cap.* 4. *qu.* 3. §. 4.

Quoniam verò Indulgentiæ debito modo acquiſitæ ſupplent ſatisfactionem realem debitam pro peccatis jam remiſſis; ideò mihi videtur hic locus conveniens tractandi breviter de ipſis; & ad majorem diſtinctionem habendam, inſtituam ſequentem Tractatum.

TRACTATUS LXV.

DE INDULGENTIIS.

QUæro I. *Quid eſt Indulgentia?*

1 *Reſpondeo*. Eſt remiſſio pœnæ temporalis pœnitentium ex condonatis culpis ſæpè ſæpiùs remanentis, quæ fit per diſpenſationem Theſauri Eccleſiæ.

Quæro II. *Quid eſt Theſaurus Eccleſiæ?*

2 ℞. Eſt Theſaurus ſpiritualis ſatisfactionum Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & Sanctorum, qui applicari poteſt à Vicario ipſius Chriſti, (nempe Romano Pontifice) Chriſtifidelibus in ſatisfactionem pœnarum temporalium remanentium poſt peccata in Sacramento Pœnitentiæ jam dimiſſa.

Quæro III. *Eſtne certum ex Fide, quòd detur iſte Theſaurus?*

3 ℞. Utique omnes Catholici hoc tenent: *ex Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *in Decreto de Indulgentiis, & in Extravag. Unigenitus, tit. de pœnit. & Remiſſ.*

Quæro IV. *Quotuplex eſt Indulgentia?*

4 ℞. Indulgentia quoad quantitatem pœnæ, quæ remittitur, dividitur in Plenariam, & non plenariam. *Indulgentia Plenaria*, ſive totalis, eſt, quæ remittit totam pœnam temporalem; ita ut, ſi homo, qui talem acquiſivit Indulgentiam, ſtatim moriatur, ſine Purgatorio ad Cœlum evolare credatur Anima ejus. *Non plenaria* verò Indulgentia, ſeu partialis, eſt, quæ ſolùm partem pœnæ remittit, juxta conceſſionem Pontificis. Ut ſunt Indulgentiæ annorum, vel dierum.

Quæro V. *Quomodo intelligitur Indulgentia* V. G. Centum annorum?

℞. Senſus legitimus eſt, quòd per talis Indulgentiæ conceſſionem, & acquiſitionem, tanta pœna homini remittatur, quanta remitteretur ei, ſi ageret illas pœnitentias, quæ, ſecundùm formam Juris antiqui, ſeu Sacrorum Canonum, ſtatuebantur quibuſdam peccatis, de quibus antiquitùs agebatur Pœnitentia Canonica per tot annos; quæ Indulgentia inquantum ſe extendat, & quantam remittat pœnam, ſoli DEO nota eſt, qui eam determinat ſumma æquitate, & miſeratione. Ita Maſtrius cum communi TT. *diſput.* 23. *num.* 34. *in Moral.* — Anacletus, *Tract.* 12. *d.* 3. *num.* 19. 5

Quæro VI. *Quomodo intelligitur illud additum*; Et totidem quadragenæ?

℞. *Quadragena*, hìc ſignificat Indulgentiam quadraginta dierum: ideſt, relaxationem tantæ pœnæ, quanta fuiſſet redempta per pœnitentias quadraginta dierum, olim ab Eccleſia pro quibuſdam peccatis ſtatutas. 6

Quæro VII. *Quomodo Indulgentia Plenaria differt à Jubilæo?*

℞. Non differt niſi quoad ſingularia Privilegia, & favores, qui Jubilæi tempore conceduntur, V. G. ad electionem Confeſſarii, ad facultates abſolvendi ab omnibus Caſibus, & Cenſuris, &c. de reliquo conveniunt eſſentialiter quoad remiſſionem pœnæ totalis. 7

Quæro VIII. *Quiſnam habet poteſtatem concedendi Indulgentias?*

℞. 1. Summus Pontifex poteſtate à Chriſto 8

ſto accepta, ſicque Jure Divino, poteſt ex rationabili cauſa omnes Indulgentias Plenarias, & non plenarias omnibus Chriſtifidelibus diſpenſare. Ita tenent Omnes DD. Catholici, ex dictis.

9 ℟. II. Epiſcopi poſſunt de Jure communi concedere Indulgentias aliquas non plenarias V. G. 40. dierum *ex cap. Cum, de Pœnit. & Remiſſ. & alibi.*

10 ℟. III. Nullus Prælatus Epiſcopo inferior, neque Generales, neque Provinciales Ordinum, &c. poſſunt Jure communi, & ordinario Indulgentias concedere, *ex cap. Accedentibus. De Exceſſ. Prælat.*

11 ℟. IV. Neque Cardinales, neque Nuntii, aut Legati Apoſtolici, ſi non ſint aliàs Epiſcopi, licèt in aliis quaſi Epiſcopalem Juriſdictionem habeant, poſſunt de Jure concedere Indulgentias. Ita Laymannus, *lib. 5. tract. 7. cap. 4. num. 3.*

Quæro IX. *Quinam ſunt capaces lucrandi Indulgentias?*

12 ℟. I. Omnes Fideles in ſtatu gratiæ exiſtentes, & opera injuncta peragentes, ſunt capaces lucrandi Indulgentias per modum abſolutionis ſecum habentis annexam ſolutionem à pœnis temporalibus, &c. Ita Herinx, Bellarminus, Suarez, Maſtrius, & alii apud Anacletum noſtrum, *Moral. Theol. tract. 12. diſt. 3. n. 37.*

13 ℟. II. Item Animæ Fidelium in gratia Defunctorum in Purgatorio exiſtentes, ſunt capaces Indulgentiarum, non per modum abſolutionis (ſicuti fit reſpectu Viventium,) ſed ad modum Suffragii habentis ſimul annexam ſolutionem à pœnis, &c. Ita DD. citati.

Quæro X. *Indulgentiæ applicabiles Defunctis proſunt ne certò, & infallibiliter iis Animabus, quibus applicantur à Fidelibus vivis?*

14 ℟. Eſt controverſia inter TT. circa hoc punctum; Probabilius tamen eſt, quòd ſic; ut docent, ac probant noſter Rodericus, *tom. 2. QQ. Regul. quæſt. 97. art. 3.* -- Gobat, *tract. 4. Quinarii, num.* 483. Filliucius, *tom. 1. tractat. 8. numer.* 205. -- Maſtrius, *cit. diſp.* 24. *num.* 47. & Anacletus noſter, *cit. num.* 44. *& ſeqq.*

Quæro XI. *Ad hoc, ut Indulgentia ſint rata, & valida, quid requiritur?*

15 ℟. I. Quatuor requiruntur conditiones. I. Auctoritas legitima concedentis. II. Juſta cauſa concedendi. III. Status gratiæ in eo, qui lucratur. IV. Executio operis injuncti. Explico tantùm duas ultimas.

℟. II. *Status gratiæ* ex parte lucrantis; 16
quia certum eſt, quòd homo Chriſtianus vivens in peccato mortali non eſt capax Indulgentiæ; nam Indulgentia habet pro objecto, & fine remittere pœnam tantùm temporalem debitam peccato ſive mortali, ſive veniali jam condonato quoad culpam; ergo, &c.

℟. III. Quamvis autem nonnulli DD. 17
velint, requiri ſtatum gratiæ quando perficiuntur omnia opera injuncta (excepta Confeſſione Sacramentali in ſolo attrito, ut patet;) nihilominùs communior, & probabilior DD. Sententia eſt, ſufficere, ut homo ſit in ſtatu gratiæ pro eo inſtanti, quo ultimum opus præſcriptum ponit, & complet. Ita Card. de Lugo, *tom. de pœnit. diſp. 27. num. 83. cum aliis nuper citatis.*

℟. IV. Executio omnium, quæ præſcri- 18
buntur in Bulla Indulgentiæ, neceſſariò etiam requiritur. Quia Papa concedit ſemper Indulgentias ſub conditione, & onere faciendi hoc, vel illud opus bonum, & pium; ergo ſi opus injunctum non ponatur, Indulgentia non acquiritur. Unde TT. dicunt: *Indulgentia tantum valent, quantum ſonant.*

℟. V. Ex dictis manifeſtè colligitur, 19
quòd ad lucrandam Plenariam Indulgentiam, ſaltem in ultimo opere bono ex injunctis, homo Chriſtianus debet eſſe liber ab omni peccato veniali quoad culpam; quia Indulgentia non remittit culpam etiam venialem ex ſe, ſed ſolam pœnam peccato remiſſo debitam; ergo non remiſſa omni culpa veniali, omnis pœna non poteſt remitti: & conſequenter Indulgentia Plenaria nequit totaliter acquiri, & lucrari.

Quæro XII. *Qui non habet conſcientiam peccato gravi oneratam, teneturne nihilominùs confiteri ad lucrandam Indulgentiam Plenariam?*

℟. Satis probabile eſt, quòd non; quia, 20
quando in Bulla exprimitur hæc conditio *Confeſſus*, intelligitur de indigente Sacramentali Confeſſione: vel exigitur *præſuppoſitivè* tamquam præparatio ad SS. Communionem. Ita Suarez *de Pænit. diſp.* 52. *ſect.* 3. *num.* 5. Tutius tamen erit, confiteri, ut patet.

Quæro XIII. *Unica Confeſſio, & Communio ſufficitne ad lucrandas plures Indulgentias eodem die diverſis Eccleſiis conceſſas?*

℟. Affirmativè pro Animabus Purgato- 21
rii,

Digitized by Google

rii, ſi eſt applicabilis illis; & una tantùm pro ſe: eſtque certa, & communis DD. ſententia. Imò poteſt inſervire pro Indulgentia ſequentis diei; ita ut ſi hodie quis ſit confeſſus, & communicatus poterit craſtina die viſitare Eccleſiam, aut Eccleſias, ubi acquiruntur Indulgentiæ. Apud Baſſæum *V. Indulgentia*, *num.* 2. Cardin. de Lugo, *diſp.* 27. *ſect.* 6. *num.* 93. *tom. de Pœnit.* & alii apud Anacletum noſtrum, *Moral. tract.* 12. *diſt.* 3. *num.* 51.

22 *Dices*. Adeſt Decretum Innoc. XI. editum die 7. Martii, anno 1678. ubi §. final. declaratur: *Semel dumtaxat in die Plenariam Indulgentiam viſitantibus Eccleſiam, vel aliud opus pium peragentibus conceſſam, lucrifieri poſſe*.

℞. Quid contra noſtram Reſolutionem? Nos diximus: lucrari poſſe Indulgentiam diverſis in Eccleſiis eodem die pro Animabus, &c. Decretum autem loquitur de una tantùm pro ſe. Conſidera terminos.

23 *Objicies*. Ergo ſtante prædicto Decreto malè agunt *Fratres Minores*, qui publicant Indulgentiam Plenariam pro die ſecunda Auguſti conceſſam eorum Eccleſiis, poſſe lucrifieri *toties, quoties*.

℞. Nego hanc conſequentiam. Ratio eſt, quia adeſt poſtmodùm Declaratio expreſſa Sacræ Congregationis Concilii facta die 17. Julii, anno 1700. Ubi: *Cenſuit ſervandum eſſe ſolitum*. Apud Officialem Curiæ, *cap.* 26. *num.* 5. Et Felicem Panormitanum, *tom.* 1. *part.* 4. *num.* 3800. — Vide Apologiam in fine hujus Tract.

Tum quia, hæc multiplex viſitatio practicatur etiam Romæ nedum à plebe, verùm etiam à Viris doctiſſimis, & Primatibus. Tum quia prædicta Indulgentia eſt *applicabilis pro Defunctis* ex conceſſione expreſſa Innocentii Papæ Undecimi edita die 22. Januarii, anno 1687. in perpetuum: lege Bullam per extenſum apud Matthæuccium *in Officiali Curia Regularis*, *capit.* 26. *num.* 7.

24 Unde cum P. Felice Panormitano, *cit. numer.* 3796. advertere debent Fratres noſtri, quòd prædicta Indulgentia pro die ſecunda Auguſti in noſtris Eccleſiis etiam *Anno Sancto* viget pro *Defunctis*, licèt ſuſpendatur pro *vivis*. In Eccleſia autem S. Mariæ Angelorum prope Aſſiſium neque pro *Vivis* ſuſpenditur: ex ſpeciali Privilegio Innoc. X. Clem. X. & Innocentii XII. Quapropter tali ſolemni die 2. Auguſti apud nos poſſunt, & debent Sacriſtæ appendere Inſcriptionem indicantem *Indulgentiam Plenariam pro vivis, & Defunctis*. Anno autem Sancto inſcriptionem hanc: *Indulgentia Plenaria pro Defunctis tantùm*. Hoc adverto, quia anno Sancto præterito 1700. in aliquo Conventu Scrupulus natus fuit, *an liceret, &c.* Indulgentiæ enim *pro Defunctis* non ſuſpenduntur; ergo, &c. *Vide infrà, num.* 31.

Quæro XIV. *Quando Pontifex conceſſit Indulgentiam Plenariam pro aliquo Altari Privilegiato cum hac clauſula*: Dummodò in tali Eccleſia ſeptem Miſſæ quotidie celebrentur: *valebitne Indulgentia, etiam caſu, quo non ſemper tot Miſſæ celebrarentur?*

℞. Fuerunt hæc dubia excitata, & pro- 25
poſita Sacr. Congregationi Concilii, videlicet.

I. An abſentibus Religioſis ex cauſa "
Prædicationis tempore Quadrageſimæ, "
& Adventus: *Vel*, quando occaſione Fe- "
ſtivitatum, aut funerum, aut ſimilium, à "
Superioribus alibi Religioſi ad celebran- "
dum tranſmittuntur, Indulgentiæ conceſ- "
ſæ cum certo numero Miſſarum (qui ob "
dictas cauſas adimpleri non poteſt) pror- "
sùs ceſſent? *Vel* pro eo tempore, quo di- "
ctus numerus Miſſarum non fuerit adim- "
pletus, ſint ſuſpenſæ? *Vel* potiùs rema- "
neant in ſuo robore? "

S. Congregatio anno 1701. die 30. Ju- "
lii reſpondit: *Quoad primam partem pro tem-* "
pore Adventus, & Quadrageſimæ remanere "
ſuſpenſas: non autem in reliquis, dummodò "
rarò contingat. "

II. An idem ſit ſtatuendum, deficiente "
prædicto numero Miſſarum ob infirmita- "
tem Sacerdotum tam Regularium, quàm "
ſæcularium? "

℞. *Ad Secundum. Non remanere ſuſpen-* "
ſas. "

III. An pariter idem ſit ſtatuendum, "
deficiente prædicto numero Miſſarum ob "
abſentiam ab Eccleſia Canonicorum, & "
Sacerdotum per aliquot dies, & menſes? "

℞. *Ad Tertium. Proviſum in Primo.* "

Quæro XV. *Poſt revocationem Indulgentiarum factam* à Paulo Papa V. die 23. Maji, anno 1606. *per Bullam quæ incipit*; Romanus Pontifex, *vigetne per aliam Bullam* Indulgentia Plenaria *olim conceſſa devotè recitantibus* Coronam B. V. Mariæ?

℞. Affirmativè, nam idem omninò Pon- 26
tifex per litteram in forma Brevis renovavit eamdem Indulgentiam pro Fratribus,

& Mo-

& Monialibus noſtris, quam poſtea confirmavit Innocentius Papa Undecimus in Bulla, vel Brevi *edito die 15. Maji, anno* 1688. Et ampliavit ad omnes Confratres, & Conſorores Societatis Cordigerorum, & ut per modum Suffragii poſſit Defunctis applicari, benignè conceſſit. Ut videre licebit apud Lantuſcam *in Theatro Regularium reimpreſſo Romæ anno Sancto* 1700. V. Indulgentiæ, §. 1. num. 13. *In ſpeculo Clericorum* P. Candidi Brognoli, *tract.* 3. *capit.* 15. *de Indulg. reſol.* 3. *&* 10. — *In Direct. Regul.* Antonii à Spirituſancto *Epiſc. Angolenſis, tract.* 2. *diſp.* 5. *ſect.* 2. §. 1. *numer.* 21. *Nel Giardino Serafico del* P. Pierantonio da Venezia Min. Rif. *tom.* 2. *part.* 7. *capit.* 10. — In Rubricis particularibus noſtri Breviarii, *num.* 90. aliiſque in libris, quos omitto.

Quæro XVI. *Quomodo autem recitatur prædicta Corona?*

27 ℞. Lege Annalia P. noſtri Vvadding. *tom.* 1. *Anno* 1422. §. 6. *& ſeqq.* — *Il Leggendario Franceſcano* del P. Mazzara *nel Meſe di Novembre, à numer.* 287. Le Croniche de' Frati Minori antiche, *p.* 3. *lib.* 1. *capit.* 35. 36. e 37. — Et videbis, quòd iſte eſt modus recitandi Coronam Dominæ noſtræ Patronæ Immaculatæ Virginis MARIÆ: nempe, in honorem ſeptem principalium gaudiorum, quæ in hac vita experta eſt: & ſunt I. *In Annunciatione Archangeli S. Gabrielis*. II. *In Viſitatione S. Eliſabeth*. III. *In Nativitate infantis ſui Jeſu*. IV. *In Adoratione Magorum*. V. *In inventione pueri Jeſu in templo*. VI. *In prima apparitione Chriſti redivivi*. Et VII. *In hora feliciſſima mortis ſuæ, &c.*) Item in memoriam *ſeptuaginta duorum annorum* vitæ ſuæ ſanctiſſimæ, recitantur à nobis ſeptem decades Salutationum Angelicarum, & ſeptem conſequentes Orationes Dominicales: addendo in fine ipſius Coronæ duas alias Salutationes pro complemento myſtici numeri 72. & tandem unum *Pater*, & *Ave* ſecundùm piam mentem Summi Pontificis. Iſte eſt modus recitandi Coronam Virgineam in noſtra Religione Seraphica.

Petes hic obiter. Quonam fundamento tenetis, *Virginem Mariam vixiſſe ſeptuaginta duobus annis*, cùm vulgata opinio teneat, ſexaginta tribus tantùm annis ipſam vixiſſe?

℞. Nolo de hac hiſtoria incerta litigare, ſed remitto te ad Authores, & Scriptores ſequentes, tenentes, & nonnullos probantes fundamentaliter noſtram probabiliorem opinionem: qui ſunt D. Anſelmus in fine opuſculi *de forma, & moribus B. V. Mariæ*. — D. Epiphanius in vita B. V. — Cardin. Baronius in Annal. anno Chriſti 48. *num.* 7. Franc. Suarez, *tom.* 2. *in* 3. *part.* Summ. D. Thom. *diſput.* 21. *ſect.* 1. §. *ultimo*. Joan. Bapt. Novati *de Emin. Deipar. tom.* 2. *capit.* 8. *quæſt.* 12. Theatrum Vitæ Human. Verbo *S. Mariæ obitus*. *M. pag. mihi* 223. *littera marginal.* H. — Caniſius, *libr.* 5. *cap.* 1. — Benzonius *ſuper Magnificat, libr.* 1. *capit.* 26. — Cedrenus in Comp. Hiſtor. B. V. — Gononus Burgen. Monach. Cœleſt. *in Chron. B. V. anno Chriſti* 57. *in fine*. — Drexellius, *tom.* 2. *titul. Roſæ ſelect. virt. B. V. part.* 1. *cap.* 15. §. 1. Joann. de Carthagena, *tom.* 3. *libr.* 13. *homilia* 4. *pagin. mihi* 487. Vvaddingus, *tomo* 5. *anno Chriſti* 1422. *à numer.* 6. *& ſeqq.* Hanoldus in Epitom. Annal. *ſect.* 1. *anno* 1422. *pagin. mihi* 1196. *num. marg.* 4. Rodericus *QQ. Regul. tom.* 2. *quæſt.* 87. *artic.* 3. — Item in Bullario, *Bulla.* 36. *Leonis X.* P. Girolamo di S. Tereſa, Carmel. Scalzo, *nell' Iſtoria di M. V. libr.* 5. *cap.* 3. *num.* 5. *col.* 1. — P. Ribadeneira nella Vita di M. V. e nella Feſta dell' Aſſonzione. — P. Paolo Segneri *nel Divoto di Maria, capit.* 3. §. 4. Et alii à me in fonte viſi, quos ad evitandam prolixitatem omitto. Hæc notavi pro Concionatoribus noſtris, ut fundatè poſſint loqui de hac Devotione Mariana, velut propria noſtræ Religionis Seraphicæ.

Nota hic, & devita hanc propoſitionem 28
damnatam ab Alexandro Papa Septimo, quæ eſt la 37. — *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo Quinto, hodie ſunt revalidatæ.*

Quæro XVII. *Ad lucrandam aliquam Indulgentiam requiriturne intentio formalis?*

℞. Non; ſed ſufficit virtualis; imò ali- 29
qui dicunt, quòd ſi quis ignoraret Indulgentiam, dummodo opus injunctum exequeretur, adhuc illam obtineret, ob ſolam intentionem habitualem, quam habet, hoc eſt, ſi aliquando habuerit intentionem lucrandi omnes Indulgentias poſſibiles. Diana, *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 24.

Quæro XVIII. *Pœnitens tempore alicujus Indulgentiæ Plenariæ poteſtne licitè omittere pœnitentiam ſibi impoſitam à Confeſſario, animo acquirendi talem Indulgentiam?*

℞. In rigore theologico poteſt; dum- 30
modò

Digitized by Google

modò illa pœnitentia non ſit medicinalis in praxi autem rarò omittenda eſt ſatisfactio Sacramentalis ob ſuſceptionem Indulgentiarum; quia pœnitentiæ Sacramentales juvant ad majus meritum, & ad majorem Gloriam in cœlo conſequendam; rum quia non conſtat, te lucratum fuiſſe illam Indulgentiam. Ita Bonacina cum aliis DD. *de Sacram. diſp. 5. q. 5. ſect. 3. pu. 4. n. 10.*

Quæro XIX. *Anno Sancto, vel Jubilæi ſuſpenduntur Indulgentiæ conceſſæ, ut applicabiles per modum Suffragii Animabus Purgatorii?*

31 ℞. Nullæ ex his ſuſpenduntur tali tempore, ſive ſint perſonales, ſive reales: ſive locales, ideſt, vel conceſſæ perſonis, vel rebus Sacris (ut Coronis, medaliis, &c.) vel Eccleſiis, aut Altaribus Privilegiatis pro Defunctis. Ita cum multis tenet P. Matthæucius *in Officiali Curiæ, c. 4. n. 5.* – Et P. Felix Poteſtatis Panormitanus, *tom. 1. n. 3835.*

Quæro XX. *Remanentne ſuſpenſæ tali Anno Jubilæi Indulgentiæ pro moribundis, ſeu in articulo mortis?*

32 ℞. Nequaquam; ut docet P. Felix cit. – Et ego Anno Sancto 1700. fui Romæ, & legi nonnulla dubia de mente Summi Pontificis Clementis Undecimi (tunc recentis, & regnantis) publicè reſoluta, inter quæ erat hoc in favorem moribundorum, *quòd poſſint lucrari Indulgentiam Plenariam in articulo mortis eis quomodolibet conceſſam*; ergo &c.

Quæro XXI. *Devotè nominantibus Sanctiſſimum nomen JESU, & MARIÆ, conceditur ne aliqua ſpecialis Indulgentia?*

33 ℞. Sixtus Papa V. conceſſit Indulgentiam vigintiquinque dierum omnibus Chriſti Fidelibus toties, quoties reverenter nominaverint JESUS, vel MARIA. Et omnibus invicem ſalutantibus dicendo: *LAUDETUR JESUS CHRISTUS*: & reſpondentibus: *In ſæcula*: vel *Amen*, vel *ſemper*: conceſſit Indulgentiam quinquaginta dierum. Item omnibus, (qui in vita ſua habuerunt unam, vel alteram ex dictis Devotionibus nominando, vel ſalutando, ut ſuprà (conceſſit Indulgentiam Plenariam in articulo mortis, ſi contriti invocaverint ore, vel corde SS. Nomen JESU. *Ita habetur ex Summario Indulgentiarum recognito, & approbato à Sacra Congregatione, &c. die 27. Junii anno 1663. & impreſſo, ac publicato Romæ anno 1678.*

De Jubilæo.

Quærò XXII. *Quid eſt Jubilæum, vel Jubilæus?*

℞. Eſt indultum Pontificis, quo Indulgentia Plenaria inſtar Anni Sancti, & alia Privilegia conceduntur Fidelibus certa opera pia in Bulla, vel Brevi præſcripta debitè præſtantibus, quod ſolet publicari maximè poſt Annum Jubilæi, vel Sanctum, Romæ poractum, & quandoque extra illud tempus in publicis neceſſitatibus Eccleſiæ DEI, ad excitandam pœnitentiam, ac devotionem Chriſti-Fidelium, ad duas hebdomadas, ſeu quindecim dies extenſum. 34

Quæro XXIII. *Quænam opera pia præſcribi ſolent tempore Jubilæi?*

℞. Ut plurimùm ſunt, Jejunia, Viſitatio Eccleſiarum, Oratio, Eleemoſynæ, Confeſſio Sacramentalis, & Sanctiſſima Communio. 35

Quæro XXIV. *Eſtne neceſſe, ut opera præſcripta fiant intra unam tantùm hebdomadam?*

℞. I. Probabilius eſt, quòd ſic. Quia Bulla Papalis videtur ſignificare, intra eamdem hebdomadam opera omnia injuncta præſtanda eſſe. 36

℞. II. Probabile tamen etiam eſt, quòd non; præſertim ſi ex rationabili, aut neceſſaria cauſa dividantur opera. Quia etiam ſic verba Bullæ ſatis impleri videntur, tum quia ſecundùm Epikejam interpretari poſſumus, mentem Pontificis eſſe, ut etiam in hoc caſu Indulgentia acquiratur à non valentibus omnia ſimul præſtare in una Septimana. Accedente autem diſpenſatione Confeſſarii nulla videtur eſſe difficultas; nam Confeſſariis omnibus conceditur licentia commutandi opera injuncta, extendendi tempus, &c. ex cauſa rationabili, ut omnes poſſint Indulgentiam lucrari modo aliquo ſibi poſſibili. Layman, *lib. 5. tract. 7. capit. 8. de Jubilæo, num. 10.* cum aliis DD. *Summa* Diana Coronii, *V. Jubilæum, num. 2.* & Naldus Faventinus, *V. Indulgentia, num. 14.*

Quæro XXV. *Opera injuncta, vel præſcripta poſſuntne impleri duobus in locis, aut Parochiis, vel Diœceſibus?*

℞. Licèt ſecurius ſit, in eodem loco, ubi 37

ubi Jubilæum promulgatum fuit, opera omnia perficere; valdè tamen credibile eſt, ſufficere, ut eadem opera diverſo in loco peragantur, ubi adhuc viget Jubilæum; quia favor Jubilæi eſt perſonalis, non verò localis; favor autem ampliari convenit, non reſtringi. Unde ſi V. G. Titius, promulgato Jubilæo in Patria ſua, deſignatas Eccleſias viſitaverit, Eleemoſynam fecerit, feria quarta jejunaverit, & ob cauſam piam, aut rationabilem aliò migraverit intra eamdem hebdomadam, poterit proſequi alia opera ibi jejunando feria ſexta, & ſabbato, confitendo, & communicando, ſicque lucrari Indulgentiam. – Laymannus, *cit. numero* 11. & Cotonius, *citat. nu.* 3.

Quæro XXVI. *Qui eo tempore, quo in ſua Patria publicatum fuit Jubilæum, non habuit notitiam illius, elapſo autem tempore, cognovit Jubilæum fuiſſe publicatum, poteritne illud lucrari?*

38 ℞. Infra dies quindecim à die notitiæ, lucrari illud poterit, ſi omnia peregerit; quia talis notitia ſibi inſerviet loco publicationis. Ita Cotonius. *cit. numero* 35.

Quæro XXVII. *Qui in ſua Patria Jubilæum lucrari neglexit, alio autem pergens, invenit Jubilæum ibi durare, poteſtne ibi illud lucrari?*

39 ℞. Affirmativè; quia, ut dixi, favor Jubilæi eſt perſonalis, non localis, & debet ampliari, non reſtringi.

Quæro XXVIII. *Quid ſi Titius jam lucratus fuiſſet Jubilæum in ſua Patria, & pergens ad aliam Diœceſim inveniret Jubilæum ibi vigere, poſſetne iterùm illud lucrari?*

40 ℞. Probabiliter quòd ſic. Ratio eſt: quia cùm Jubilæus propter opera injuncta concedatur, & quis ea opera bis implere poſſit, non eſt cur Indulgentiam iterùm obtinere non poſſit; maximè quia favores, & gratiæ ſunt ampliandæ. Tum quia hoc non prohibetur à Summo Pontifice, ergo nec nos prohibere debemus. Tum quia Beneficium Principis nemini præjudicium afferens, latè interpretandum eſt, quatenùs verba patiuntur: nihil autem repugnat proprietati verborum Bullæ Jubilæi, ſi dicatur, Indulgentiam conceſſam omnibus Fidelibus prima, vel ſecunda hebdomada in uno, vel duobus locis opera injuncta præſtantibus, poſſe utraque hebdomada, vel utroque loco obtineri ab iis, qui præſcripta opera repetunt; ergo, &c. Ita Henriquez, *libro* 7. *cap.* 11. *numero* 1. Rodriquez, *tom.* 1. *Summa, capitulo* 184. *num.* 14. – Benzonius *de Jubil. lib.* 5. *cap.* 15. *dub.* 23. & alii apud Layman. *lib.* 5. *tr.* 7. *capit.* 8. *numero* 7. – Idem Henriquez, *lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 3. – Molſeſius, & alii apud Cotonium, *in Sum. V. Jubilæum: n.* 36. – Corduba, Angelus, & alii apud Filliuc. *Tr.* 8. *n.* 261.

Quæro XXIX. *Opera pia in Jubilæo præſcripta poſſuntne compleri per opera aliàs ex devotione, vel præcepto facta?*

℞. Quòd ſic. Ratio eſt, quia non repugnat, unico actu pluribus obligationibus ſatisfieri, dummodò natura talium obligationum id non prohibeat, vel non patiatur. Tum quia Pontifex Romanus ſolet publicare Jubilæum in Quadrageſima: vel quatuor anni temporibus, quando nempe Fideles ſolent ex præcepto Eccleſiæ jejunare; ergo, &c. 41

Quæro XXX. *Oportetne, ut omnia, & ſingula opera pia Jubilæi fiant in ſtatu gratiæ?*

℞. Minimè; ſed ſatis eſt, quòd pœnitens ſit in gratia in ultimo inſtanti operis extremi, in quo Indulgentia applicatur. Neque aliquis ordo in operibus injunctis neceſſariò exigitur; ſed ſufficit, ut omnia tamdem fiant debito tempore; quia in materia favorabili eſt reſtringenda obligatio, non autem amplianda; & Privilegium etiam Principis, vel Beneficium ſine neceſſitate reſtringendum, aut limitandum non eſt; ſed potiùs latè interpretandum. Layman. *cit. n.* 7. – & Cotonius, *cit. n.* 7. *de Jubilæo.* – Ex qua communi doctrina plures poteris reſolvere. 42

Caſus. V. G. Eleemoſyna danda pauperibus poteſt in quavis quantitate, & die ex præſcriptis elargiri. – Oratio facienda in Viſitatione Eccleſiæ, aut Eccleſiarum poteſt fieri quovis modo, & quavis formula, dummodò ſit Oratio cordialis, & devota: ideòque ſufficiet unum *Pater, & Ave*: ſive mente, ſive ore dicatur. – Confeſſio Sacramentalis neceſſaria non eſt, peccatum mortale non habenti: neque Communio pueris nondum inſtructis, vel non communicantibus; neque eleemoſyna pauperibus nil habentibus. 43

Adoleſcentes autem, qui jejuniorum præceptis nondum adſtringuntur, ſi velint lucra- 44

cra-

Digitized by Google

crari Jubilæum, debent jejunare; quod ſi præſtare non valeant ſine magna difficultate, poterunt commutationem petere à Confeſſario. Idem dices de ſenibus, infirmis, mechanicè laborantibus, & ſimilibus jejunare, vel aliud agere non valentibus.

45 *Qui non poteſt* opera injuncta totaliter peragere, petat ſibi à Confeſſario commutari in alia opera ſibi poſſibilia. Confeſſarius enim non ſolùm commutare poteſt opera omiſſa ex legitima cauſa. V.G. impotentiæ, ægritudinis, &c. ſed etiam omiſſa ex negligentia, vel malitia; ut probat Filliucius, *Tr. 8. c. 2. n. 268. & ſeqq.* – Item Confeſſarius ex cauſa legitima poteſt differre ſingula, & omnia opera Jubilæi in aliud tempus pœnitentibus ſuis ad ipſum accedentibus tempore ipſiuſmet Jubilæi. – ibi Filliuc. n. 270.

Quæro XXXI. *Religioſi, ſpecialiter Ordinis noſtri, ad lucrandum Jubilæum, debentne facere eleemoſynas pauperibus?*

46 ℞. I. Nonnulli DD. tenent, quòd non; quia non habent aliquid proprium; ergo, cùm eleemoſyna facienda ſit de bonis propriis, non poterunt Religioſi eam facere; ſicque abſque eleemoſyna lucrari valebunt Jubilæum. Ita Leander, & Graffius apud Dianam mox citandum.

47 ℞. II. Alii DD. tenent, quòd ſic; quia tunc Superior debet pro omnibus ſuis Religioſis ſubditis ordinare Procuratori, aut OEconomo, ut det eleemoſynas pauperibus de bonis Monaſterii. Quod ſi Superior hoc non præſtet, vel renuat, poterunt Religioſi aliquid de bonis communibus accipere, ut dent pauperibus pro eleemoſynis.

48 ℞. III. Fratres autem noſtri in rigore Juris cùm nil proprium, neque in communi habeant, non videntur teneri ad eleemoſynas. Poterunt tamen de licentia tacita Benefactorum, vel Summi Pontificis, aliquid, ut puta *panem*, pulmentum elargiri pauperibus; nam etiam pauperes communes in tali caſu poſſunt curare, ut quis pro ſe ipſis præbeat eleemoſynas aliis pauperibus; quamvis, ad hoc non obligentur; nam ad ſummum tenentur petere commutationem hujus operis in aliud ſibi poſſibile, ut puta in Orationem, &c. Vide Dianam Coordinatum, *tom. 4. tr. 4. reſol. 30. & 31.* – & Cotonium *in Summa V. Indulgentia requiſita n. 7.*

Quæro XXXII. *Sequens opinionem favorabiliorem ſibi circa Jubilæum, ſi talis opinio eſſet falſa ex diverſa opinione Summi Pontificis, lucrareturne Jubilæum?*

49 ℞. Negativè, quia in materia Indulgentiarum non juvat opinio probabilis, ſi talis opinio ſit falſa coram Papa, qui talem conceſſit Indulgentiam omnibus poſitis requiſitis; ergo ſi unum ex requiſitis deficiat, deficit & Indulgentia. Ita Bartholomæus à S. Fauſto, Boſſius, Bonacina, & alii apud Diana *Coordin. tom. 4. tr. 4. reſol. 68.*

Quæro XXXIII. *Tempore Jubilæi eſtne licitum Religioſis, ſeu Regularibus eligere Confeſſarium approbatum à ſolo Prælato ſuo, vel alterius Religionis?*

50 ℞. Naldus Faventinus, Suarez, Henriquez, Homobonus, & alii DD. tenent opinionem negativam; quia ex verbis Jubilæi Confeſſarius eligibilis etiam à Regularibus, debet eſſe approbatus ab aliquo Epiſcopo, vel Ordinario; unde non ſufficiet, eſſe approbatum à Prælato Regulari. – At Rodriquez, Joannes Valerus, Bonacina, Alphonſus de Leone, Filliucius aliique Doctores tenent affirmativam; quia Superior Regularis eſt Ordinarius ipſorum; ergo Confeſſarius approbatus ab ipſo, cenſetur approbatus ab Ordinario. Atque ita reſponſum fuiſſe ſæpè in Sacra Pœnitentiaria, teſtatur ipſe P. Filliucius *Pœnitentiarius Romæ ad S. Petrum: tr. 8. n. 275.* Quæ Reſponſio fundatur in benigna interpretatione vocis *Ordinarii*, & intentione Summi Pontificis Jubilæum concedentis. – Vide etiam Dianam *coord. l. c. reſol. 7. 8. & 9.*

51 Unde deduces, omnes Regulares in Jubilæo poſſe eligere quemlibet Confeſſarium ſive Sæcularem, ſive Regularem ex approbatis etiam extra Religionem ſuam; cum hoc diſcrimine, ut Confeſſarius electus, ſi eſt Sacerdos ſæcularis, debet eſſe approbatus ab Epiſcopo; ſi autem eſt Regularis alterius Ordinis, ſit ſaltem approbatus ab ejuſdem Prælato.

Quæro XXXIV. *Electo jam uno Confeſſario, poſſumne alterum eligere, priore relicto?*

52 ℞. Affirmativè; dummodò ſit intra tempus eligendi ex vi Jubilæi; & tunc ſecundus habebit eamdem omninò facultatem. Si autem eſſet jam elapſum tempus, ſed a primo Confeſſario tibi dilatum; tunc legitimè non poſſes alterum eligere. Ita Filliucius, *tom. 1. tr. 8. c. 10. n. 277.*

Si vis plura, conſule citatos DD.

53 Hoc unum addam tantùm. Dixi ſuperiùs; *num.* 31. *Indulgentias pro Defunctis applicabiles, nempe conceſſas Vivis, ut poſſint eas applicare Animabus Purgatorii, non ſuſpendi in Anno Sancto*. Hoc confirmo, addendo alios Auctores pro me, & Animabus illis. Vide ergo Summam Dianam Cotonii. *V. Jubilæum, n.* 37. ubi citat Carillum, Laymannum, Rodriquez, & alios Et ſic interrogatum Clementem P. VIII. reſpondiſſe in favorem Animarum, teſtatur Rodericus noſter, *de Jubilæo, c.* 3. *n.* 4. Et Urbanum pariter P. VIII. teſtatur Bonacina, *de Sacr. diſp.* 6. *p.* 8. *n.* 2. Multiſque Doctoribus citatis, & rationibus adductis ſolemniter probat Diana Coord. *tom.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 71. §. 3.

APOLOGIA

Indulgentiæ Portiunculæ toties, quoties lucrabilis.

Poſt ſcripta rogatus ab amico, ut deciderem ſequentem Caſum, libenti, etſi inſufficienti animo laborem ſuſcepi pro defenſione prædictæ Indulgentiæ in favorem Animarum Fidelium Defunctorum.

C A S U S.

1 In quodam Conventu noſtræ Religionis die 2. Auguſti 1715. dum ſoliti tranſitus per Eccleſiam fiebant, venerunt in Sacrarium quidam viri cæteris illius loci præſtantiores, animoſioreſque, & lecto Decreto impreſſo Sacræ Congregationis Concilii de anno 1700. die 17. Julii, in quo eadem Sacra Congregatio ſupra præfatam Indulgentiam *cenſuit, ſervandum eſſe ſolitum*, ſuſcitarunt non modicam contentionem circa intelligentiam illius Decreti, conatique ſunt interpretari, & mordicùs, & apertè ſuſtinere ſenſum illius eſſe hujuſmodi: *Servandum eſſe ſolitum, non quoad Indulgentiam toties, quoties lucrandam, ſed tantùm quoad augendum meritum per plures Eccleſiæ viſitationes.*

Quæritur, *an hæc interpretatio ſit rationabilis, & pia?*

Pro lucida, fundata reſolutione hujus Quæſiti conſideranda ſunt duo Memorialia exhibita Sacræ Congregationi Concilii ab infra nominatis ductis, & conſpicuis litigantibus. Ecce Memorialia.

Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

Epiſcopus Labacenſis à parte Imperii Orator devotus E. E. V. V. humiliter exponit, quòd: non obſtante Decreto Innocentii XI. de apocryphis Indulgentiis ſua die 7. Martii 1668. quo declaravit, *ſemel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam lucrifieri*: pergunt Fratres Ordinis S. Franciſci Reformatorum Provinciæ Carniolæ populo perſuadere; Indulgentiam pro die 2. Auguſti *de Portiuncula nuncupatam* eorum Eccleſiam viſitantibus conceſſam *toties, quoties* eadem die lucrifieri poſſe. Cùm autem hujuſmodi abuſus ad Summum Pontificem ab Ordinariis deferri jubeat Concilium Trid. *ſeſſ.* 25. *poſt c.* 21. *de Ref. in Decreto de Indulgentiis*; idcircò Orator quærit, & declarari petit. 2

An præfata Indulgentia Portiunculæ nuncupata comprehendatur ſub Decreto ſ. m. Innocentii XI. ſupradicto?

Pro qua gratia, &c.

Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

Frater Antonius Lazari Ordinis Minorum Reformatorum Provinciæ Carniolæ Miniſter Provincialis ſuper inſtantia Illuſtriſſimi D. Epiſcopi Labacenſis à parte Imperii informare juſſus E. E. V. V. humillimè exponit, Indulgentiam Portiunculæ pro 2. die Auguſti in Provincia Carniolæ per Fratres Minores non aliter exponi, promulgari, populoque perſuaderi, quàm in ipſa Portiunculæ, ſeu S. Mariæ Angelorum Eccleſia extra Aſſiſium ſita, imò in Urbe ipſa, & Orbe exponi, promulgari, practicarique conſuevit; ita ut pro die illa naturali, ſicut in Portiuncula quolibet anni die, Chriſti-Fidelibus præſtanda præſtantibus præſtetur Indulgentia plenaria, & remiſſio omnium peccatorum. 3

Nec ly *toties, quoties* alium obtinet ſenſum, quàm qui illis verbis, ſignificatam indicet Conſuetudinem, qua Chriſti-Fideles; ſicut in S. Mariæ Angelorum Eccleſia, quilibet pro ſua devotione ſæpiùs Æediculam illam tranſeundo, *gratia augmentum lucrifacere, & Fidelium Defunctorum.* 4

Ani-

Animabus ſe ſe ſuffragari ex praxi, & traditione jam in quintum ſæculum producta piè, & indiſſuaſibiliter credunt.

Pottò ſic explicatam Indulgentiam Portiunculæ f. m. Innocentii XI. 7. Martii 1678. de apocr. Indulg. editum Decretum nec quoad ſubſtantiam, nec quoad modum complecti, patulum, & manifeſtum eſſe videtur.

Non quoad ſubſtantiam; nam idem Sum. Pontifex 21. Januarii 1687. eamdem Indulgentiam Portiunculæ perpetuam, atque plenariam (Bullæ Gregorii XV. die 4. Julii 1622. inhærendo) ad omnes Ordinis Minorum per univerſum Orbem Eccleſias non ſolùm ampliavit, extenditque; verùm etiam *per modum Suffragii* Animabus Purgatorii applicari poſſe benignè declaravit.

Sed *nec quoad modum*: nam, Decreto illo de apocr. Indulgentiis non obſtante, adhuc in S. Mariæ Angelorum, aliiſque Urbis, & Orbis Eccleſiis noſtris ſingulari Fidelium devotione tranſitus frequentiores per diem, ſeu, ut vulgò, *le paſſate, e girate* juxta antiquiſſimam traditionem practicantur: ita ut cum Auguſtino epiſt. 118. quærenti, an liceant hujuſmodi tranſitus? reſponderi poſſit: *Superfluum eſt diſputare, an faciendum ſit, quod tota* Minorum *per Orbem frequentat Eccleſia.*

Unde ſicut ipſa ſubſtantia Indulgentiarum Portiunculæ pluribus ſæculis ſola vivæ vocis oraculo tam inviſibilis, quàm viſibilis *Capitis Eccleſiæ* (ita ut S. P. Franciſcus conceſſionis hujuſmodi evidentia contentus eamdem Scripto nec petierit, nec admiſerit exarandam) innixa ſubſiſtit; ita quoad modum *pluries* in die tranſitus per Eccleſiam repetendi, ſeu *con far le paſſate, e girate* in quintum ſæculum durante traditione pacificè practicatur; quamvis Indulta Pontificia tam quoad ipſam Eccleſiam San. Mariæ Angelorum, quàm alias Ordinis noſtri Eccleſias *de toties, quoties* nullam faciant mentionem; ſatis tamen providentes ubique, dum praxi, & conſuetudini immemorabili in traditione ſua curſum relinquunt.

Sic Paulus III. & Martinus III. Summi Pontifices Ortui Indulgentiæ Portiunculæ ſe ſe conformantes ſolo vivæ vocis oraculo illam confirmarunt; ut videre eſt in Annal. Minorum P. Lucæ Vvaddingi ad archivium Conventus S. Mariæ Angelorum ſe referentis.

Hinc patet, Indulgentiam Portiunculæ ex traditione non interrupta, & praxi tolerata non minùs ſubſiſtere, & certam eſſe *quoad modum, quàm quoad ſubſtantiam.*

Refulget præterea, Fratres Minores Provinciæ Carniolæ nihil novi circa expoſitionem, & promulgationem Indulgentiæ Portiunculæ practicare; ſed illud dumtaxat, & non aliud, quàm quod in ipſa S. Mariæ Angelorum, Urbis quoque, & Orbis Eccleſiis omnibus Ordinis noſtri fieri conſuevit.

Etenim cùm Indulgentia Portiunculæ pluries fuerit ad omnes Ordinis noſtri Eccleſias ſimpliciter extenſa, nulla ipſius nec quoad ſubſtantiam, nec quoad modum facta, vel inſinuata reſtrictione; cur non licet die 2. Auguſti in omnibus Ordinis noſtri Eccleſiis illum modum obſervare, qui in S. Mariæ Angelorum Eccleſia quotidie practicatur, cum ſavores aliunde deceat ampliari?

Quare humillimè ſupplico E. E. V. V. ut, cùm repetitio tranſitus præfati, *ò delle paſſate, &c.* per diem naturalem nec Sacramenti ullius valorem dubium reddat, nec Tertio ulli præjudicet, minùs irreligioſum quid, aut morum bonorum depravativum ſecum trahat, benè quidem pietati Fidelium, ad admirationem, augendæ deſerviat, Animabuſque Fidelium Defunctorum charitativè ſuffragetur, in hactenus tolerata Conſuetudine illos relinqüere, (*& Indulgentiam Portiunculæ ſub Decreto, & Declaratione f. m. Innocentii XI. nullatenùs contineri, benignè declarare dignentur.* Pro qua gratia, &c. Quam Deus &c.

Concordat cum ſuo Originali
de verbo ab verbum.

Fr. Carolus Franciſcus de Arimino
Secret. General. Curiæ.

Die decima ſeptima Julii anno milleſimo ſeptingenteſimo, Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, audita relatione Procuratoris Generalis, & Miniſtri Provincialis,

C E N S U I T,
ſervandum eſſe ſolitum.

J. Card. Sacripantes Præfectus.
Loco ✠ Sigilli
J. D. Thomatus Epiſc. Cireneus
S. C. C. Secretarius.

Finit Memorialium.

Intelligendum etiam quid ſignificet *Indulgentiam Portiunculæ contineri, aut non contineri ſub Decreto Innocentii XI. de apocryphis Indulgentiis*. Pro quo ſciendum, quòd Sacra alia Congregatio præpoſita Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis die 7. Martii 1678. approbante Innocentio Papa Undecimo, declaravit, in calce unius Decreti, de apocryphis Indulgentiis, *ſemel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri*.

5 Ex qua declaratione ſequitur, quòd, ſi Indulgentia Portiunculæ contineatur ſub tali Decreto, aut Declaratione, ſemel tantùm die ſecunda Auguſti à viſitantibus noſtram Eccleſiam poſſit lucrifieri ad modum aliarum Indulgentiarum plenariarum. — Si verò non contineatur ſub tali Decreto, poterit pluries tali die lucrari; & tunc erit Indulgentia quædam *Privilegiata, & ſingularis*; ergo & *toties, quoties*. Quod ſano modo eſt intelligendum; nempe vel pro ſe, vel pro aliis; quando enim quis non ampliùs indiget Indulgentia pluries lucrabili tali die, non poteſt iterum pro ſe illam lucrari, debet quidem pro aliis, nempe pro Defunctis, ſi *per modum Suffragii* talis Indulgentia ſit applicabilis, &c. Ex Filliuc. *tr.* 8. *n.* 162. *in fine*.

6 Præſupponendum etiam eſt, quòd Indulgentia Portiunculæ eſt applicabilis *per modum Suffragii* Animabus Purgatorii: ut dicit P. Lazari in ſuo Memoriali, §. *Non quoad ſubſtantiam*: & per extenſum Breve probat Matthæucci *in Officiali pag.* 75. *num.* 16. *De Indulgentiis*. Quare nec Anno Sancto ſuſpenditur: prout in alio Brevi comprobatur apud cit. Matthæucci, *nu.* 15.

7 *His prænotatis, reſpondeo ad Quæſitum*, & dico, prædictam interpretationem in Caſu expoſitam, nempe, *ſervandum eſſe ſolitum, non quoad Indulgentiam toties, quoties lucrandam, ſed tantùm quoad meritum augendum per plures Eccleſiæ viſitationes*: non eſſe interpretationem rationabilem, nec piam.

8 Probo hanc concluſionem ſic. Intelligenti vim rationum, & petitionum in præinſertis Memorialibus partium litigantium nequit occurrere illa interpretatio in Caſu poſita: ergo illa interpretatio nequit dici rationabilis. *Probatur antecedens*, — Si benè perpendantur Memorialia exhibita, apparebit, quòd Epiſcopus Labacenſis prætendebat, Indulgentiam Portiunculæ comprehenſam eſſe ſub Decreto Innocentii XI. de apocr. Indulg. & P. Provincialis Lazari intendebat, eam Indulgentiam nullatenùs contineri ſub Decreto prædicto. Utraque litigantium pars petebat reſolutionem propriæ opinionis, & conſequenter flagitabat authenticam deciſionem ſuprà punctum de ly *toties, quoties*, reſpectu ejuſdem Indulgentiæ. Sacra autem Congregatio, auditis rationibus utriuſque partis, acceptatis tamen ſolis rationibus P. Lazari, in hujus favorem ſententiam definitivam protulit hoc Reſcripto, *ſervandum eſſe ſolitum*. Quale ſolitum? Utique illud, quod expreſſum eſt in Memorialibus. Atqui *ſolitum expreſſum in memorialibus* nequit rationabiliter interpretari *de toties, quoties* quoad ſolum augmentum meriti. *Probo*.

9 Neutra pars Doctorum Litigantium unquam dubitavit, nec ſcrupulum habuit, an frequentes, & ſimul devotæ viſitationes alicujus Sacri Templi poſſent fieri ad augendum meritum; notum enim eſt etiam apud homines infimæ plebis Catholicæ, quòd frequentare Eccleſias devotionis cauſa, eſt opus bonum, & meritorium; ergo *ſolitum expreſſum in memorialibus* nequit rationabiliter interpretari *de toties, quoties* ad ſolum meritum augendum. *Confirmo*.

10 Verba Reſcripti, *ſervandum eſſe ſolitum*, ad hoc, ut habeant verum ſenſum reſponſivum petionibus Litigantium, neceſſariò reducenda ſunt vel ad *ſenſum affirmativum*, vel *ad negativum*; quandoquidem Litigantes contradictoriè petebant reſponſum authenthicum, & deciſivum ſupra hoc ingens dubium, *An Indulgentia Portiunculæ contineretur, aut non contineretur ſub Decreto de Indulgentiis apocryphis Innocentii XI.* ut patet in fine Memorialium. Ad quem ergo ſenſum reducenda erunt verba illius Reſcripti? *Ad ſenſum negativum*. Ratiò eſt evidens; quia Sacra Congregatio tali Reſcripto diremit controverſiam in favorem Fratrum Minorum. Patet ex effectibus; nam Epiſcopus Labacenſis, & quilibet alius Prælatus Eccleſiaſticus ſiluerunt, non proclamarunt, &c. Fratres verò Minores adhuc pergunt populo perſuadere id, quod

quod priùs circa hanc Indulgentiam ; & die 2. Auguſti in ſingulos annos per omnes Eccleſias Ordinis Minorum, in Urbe, & in Orbe adhuc practicantur *ſoliti tranſitus* non ſolùm ad augendum meritum, ſed etiam ad Suffragandum Animabus Purgatorii virtute Indulgentiarum. Igitur conſtat ex effectibus, quòd magna lis, vel controverſia ſuprà ly *toties, quoties* ſunt deciſa in favorem Indulgentiæ Portiunculæ multoties lucrabilis tali die per *ſolitas* viſitationes devotas, &c. & quòd illud Reſcriptum *de ſervando ſolito* non eſt præciſivum *de ſolito ad augmentum tantùm meriti*, ſed deciſivum de Indulgentia Portiunculæ, quæ non continetur in Decreto Innocentii XI. de apocr. Indulgentiis, & conſequenter eſt *privilegiata, ſingularis*; ideòque pluties poteſt lucrifieri eodem die.

11 Quòd autem hæc famoſa Indulgentia Portiunculæ ſit *privilegiata, & ſingularis quoad modum* manifeſtè patet ex hoc, quòd Bonifacius Papa IX. anno 1392. cupiens ſingularem impertiri Indulgentiam Baſilicæ S. Mariæ Majoris Romæ, non jam communem, & ſolitam Indulgentiam plenariam, *ſed hanc eamdem Portiunculæ* lucrandam conceſſit viſitantibus prædictam Baſilicam die Feſto S. Hieronymi Doct. Maximi 30. Septembris, & die Tranſlationis corporis ejuſdem S. Doctoris in Vigilia Aſcenſionis Domini; hoc facto præfatus Summus Pontifex demonſtravit, *hanc Indulgentiam Portiunculæ* aliquid Specialis dignitatis, & præeminentiæ habere ſupra omnem aliam communem plenariam Indulgentiam, non quoad ſubſtantiam, ſed *quoad modum*, ut ſcilicet poſſit lucrifieri *toties, quoties* Eccleſia viſitabitur.

12 Unde ſequitur, & manifeſtè deducitur, quòd, quotieſcumque à Romano Pontifice alicui Eccleſiæ conceditur hæc ipſa Indulgentia Portiunculæ, intelligitur ſemper conceſſa, vel communicata *quoad modum, ut toties acquiſibilis, quoties illa Eccleſia viſitabitur*. Hoc patet experientia; nam Gregorius Papa XV. ſuo Brevi incipiente, *Cœleſtes Eccleſiæ theſauros*, dato 2. Junii 1622. conceſſit Eccleſiæ *S. Mariæ de Galeria Bononiæ* omnes, & ſingulas Indulgentias per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos quibuſvis annis feſtivitatibus, ac diebus quomodolibet jam conceſſas Baſilicæ S. Mariæ Majoris de Urbe, inter quas multiplices reperitur hæc ſingularis *Indulgentia Portiunculæ*, conceſſa ut ſuprà à Bonifacio Papa IX. prædictis in feſtivitatibus S. Hieronymi Doctoris Maximi: (ut videre eſt in Archivio RR. PP. Congregationis Oratorii *Sancti Philippi Nerii Bononiæ*) ex cujus Indulgentiæ Portiunculæ communicatione applicatâ præfatæ Eccleſiæ S. Mariæ de Galeria prædictis in Feſtis fiunt à populo devoto ſimiles tranſitus per eam Eccleſiam, ſicuti practicantur per noſtras Eccleſias die 2. Auguſti; & hucuſque abſque ulla contradictione perſeverat memorata Eccleſia Bononiæ in pacifica poſſeſſione Indulgentiæ Portiunculæ *quoad modum de toties, quoties*. Quare igitur nobis, vel noſtris Eccleſiis negabitur hoc Privilegium, dum ſumus condecorati originaria quaſi poſſeſſione hujus privilegiatiſſimæ Indulgentiæ: & dum ſemper *fortior eſt regula regulato*? Nonne plures Romani Pontifices ad omnes Ordinis noſtri Eccleſias eam ipſam Indulgentiam Portiunculæ non ſolùm ampliarunt, & extenderunt, verum etiam *per modum Suffragii* Animabus Purgatorii applicabilem expreſsè, ac benignè declararunt? Patet in Memoriali P. Lazari.

Ex dictis igitur evidenter conſtat, præfatam Interpretationem in Caſu expoſitam eſſe irrationabilem, & impiam; id eſt, non piam: quia & repugnat rectæ intelligentiæ Cauſæ tractatæ coram Sacra Congregatione Concilii per Epiſcopum Labacenſem, & P. Provincialem Carniolæ litigantes, ut patet in Memorialibus; & nullo pacto favet devotioni, ac pietati Fidelium Vivorum; & negat, indirectè ſaltem, Suffragium ex his Indulgentiis lucrabile pro Animabus Fidelium Defunctorum; & tamdem quia adverſatur praxi, conſuetudini, & pacificæ poſſeſſioni hujus Indulgentiæ ſpecialiſſimæ *quoad modum de toties, quoties* noſtris in Eccleſiis. 13

Objicies. I. Sacra Congregatio Concilii quando *cenſuit, ſervandum eſſe ſolitum*, videtur approbaſſe tantummodò ſolitos tranſitus tamquam licitos, & meritorios, non autem Indulgentiam pluries lucrabilem. Patet, eò quia, per vos, approbavit, quod petiit P. Provincialis Lazari; iſte petiit, ut relinquerentur Fideles in tolerata conſuetudine faciendi, illos tranſitus 14

ſitus ad augendam pietatem Fidelium; ergo Sacra Congregatio per illud Reſcriptum non declaravit punctum de Indulgentia lucrabili *toties*, *quoties*, *&c.*

℟. Si attentè legatur Memoriale P. Lazari, apparebunt in fine duæ petitiones; prima jam tacta in argumento, altera eſt iſta, *ut Sacra Congregatio dignaretur benignè declarare, Indulgentiam Portiunculæ ſub Decreto de Indulgentiis apocryphis nullatenùs contineri*. Sacra autem Congregatio auditis, & admiſſis rationibus Patris Lazari reſcribendo dixit, *ſervandum eſſe ſolitum*; ergo eminenter declaravit punctum prætenſum à P. Provinciali. Hoc autem punctum eſt, ut non ſolùm permittantur ſoliti tranſitus ad augendam pietatem Fidelium Vivorum, ſed etiam ad charitativè ſuffragandum Animabus Defunctorum ex praxi, conſuetudine, & traditione, hoc eſt, virtute Indulgentiarum; hoc enim eſt *ſolitum ſervandum*, quod cenſuit, & declaravit eadem Sacra Congregatio: quia eſt illud *ſolitum* antiquiſſimum *expreſſum in Memoriali*.

15 *Objicies*. II. P. Lazari Provincialis explicando ſenſum horum adverbiorum *toties*, *quoties* nullam omninò fecit mentionem de Indulgentia *toties* lucrabili, *quoties* viſitabitur Eccleſia tali die; ergo etiam apud vos remanebit adhuc difficultas de vera intelligentia illius Decreti *de ſolito ſervando*; nam tale Reſcriptum patitur aliquam difficultatem, an intelligi debeat *de ſolito* quoad meritum tantùm augendum, an *de ſolito* quoad Indulgentiam multoties per diem lucrabilem.

℟. ſi ſubtiliter examinentur verba P. Lazari, ſtatim apparebunt duo motiva habita à Fidelibus multoties tali die Eccleſiam Franciſcanam viſitantibus. Dicit enim, quòd Chriſti Fideles ſic viſitantes piè, & indiſſuaſibiliter credunt, *lucrifacere ſibi augmentum gratiæ*. Ecce primum motivum. Et ſimul credunt *Suffragari Animabus Purgatorii ex praxi, & traditione jam in quintum ſæculum producta*. Ecce ſecundum motivum. *Subſumo*: Atqui modus iſte Suffragandi Animabus Purgatorii non petitur *ex opere operantis*; benè quidem *ex opere operato*, ideſt, ex vi Indulgentiarum. *Probo ſic*.

16 Suffragium petitum, vel intentum *ex praxi, & traditione jam quinque ſæculorum* nequit eſſe ordinarium reſultans ex quovis bono, ac meritorio *opere operantis*; quia ſi tali modo vellent Chriſti Fideles Suffragari Defunctis die 2. Auguſti, non gyrarent, nec toties tranſirent per Eccleſiam, ſed potiùs, & meliùs quieti permanerent in Eccleſia orantes; cùm ergo pluties viſitent Eccleſiam tranſeuntes, ac breviter orantes, ſignum evidens eſt, quòd modo ſingulari, & extraordinario intendunt ſuffragari Defunctis, nempe virtute Indulgentiarum, &c.

17 Dicito mihi, quæſo, cur occaſione Indulgentiæ plenariæ ordinariæ, & communis non videntur fieri tot viſitationes, & tranſitus? Alia mihi non videtur aſſignabilis cauſa rationabilis, niſi hæc; quia cæteræ Indulgentiæ communes non ſunt lucrabiles *toties*, *quoties* viſitatur Eccleſia; ergo Indulgentia Portiunculæ erit *privilegiata*, *& ſingularis*.

18 Tum quia: modus Suffragandi Animabus Fidelium Defunctorum *ex ſolo opere operantis* habetur ex illo Articulo Symboli Apoſtolici *Credo Sanctorum Communionem*: ut docent paſſim T. T. apud Maſtrium, *Moral. diſp. 23. q. 5. art. 1. num. 72.* igitur Suffragium illud petitum *ex praxi, & traditione jam quinque ſæculorum* erit aliud. Et quale? *Ex opere operato*, ſeu ex vi Indulgentiarum.

19 *Objicies*. III. Nulla Indulgentia poteſt verè lucrari, niſi priùs ſit verè conceſſa per Diploma Pontificium; ſed hæc veſtra *de toties*, *quoties* in die Portiunculæ uſque modò verè non reperitur conceſſa per Diploma Pontificium; ergo non erit verè lucrabilis.

℟. Nego majorem. Scimus enim, hanc miram Indulgentiam Portiunculæ per plura ſæcula ſubſtitiſſe ſine adminiculo Pontificii Diplomatis, quod ab Honorio Papa III. exhibitum accipere recuſavit S. Patriarcha Franciſcus his verbis: *Sufficit mihi, Domine Papa, verbum tuum. Si enim Dei opus eſt, ipſe Deus opus ſuum innoteſcere faciet. Ego aliud non requiro Inſtrumentum, aut Diploma, quia charta hujus Brevis erit Beatiſſima Virgo, Notarius ipſe Chriſtus, Teſtes Angeli ejus*. Lege Chronicas Minorum, *part. 1. libro 2. capitulo 1.* Notum eſt etiam, quòd Papa ſola voce, vel etiam ſolo Crucis Signo multas concedit Indulgentias; ergo ad certitudinem Indulgentiæ non erit neceſſarium Diploma. Quare plures Pontifices admirabili principio Indulgentiæ Portiunculæ ſe ſe conformantes, illam ſolo vivæ vo-

Digitized by Google

vocis oraculo, (ad ſcrupolos quorumdam tollendos) confirmarunt abſque ulla reſtrictione; nam Chriſtus Dominus, & ejus in terris Vicarius Honorius Tertius, ſine reſtrictione eam conceſſerunt; reliqui verò Pontifices praxi, & conſuetudini immemorabili in ſua traditione curſum reliquerunt.

20 *Objicies IV.* Modus eſt lucrandi hanc Indulgentiam *toties, quoties* eſt in ſola pia fide, credulitate, & opinione vulgi; ergo hæc Indulgentia ut pluries lucrabilis, erit tantùm in imaginatione, non in realitate.

℞. Experientia annualis Urbis, & Orbis demonſtat, etiam viros prudentes, ſapientes Prælatos, & Cardinales multoties viſitare Eccleſias noſtri Ordinis in die Portiunculæ; quod autem practicatur à pluribus ſapientibus, & piis nequit dici imaginarium, vel in ſola opinione vulgi; ergo hæc Indulgentia erit vera, & realis.

21 *Inſtabis*. Praxi iſta etiam virorum nominatorum non probat ſubſiſtentiam Indulgentiæ pluries conſequibilis; poſſunt enim facere eas viſitationes ex mera devotione, & ad augendam gratiam *ex opere operantis*; ergo, &c.

℞. Et quare iidem viri non multiplicant viſitationes occaſione aliarum Indulgentiarum? *Si omne agens agit propter finem*, certè viri iſti pluries Eccleſiam viſitantes die Portiunculæ habebunt finem acquirendi aliquid plus extra ſolitum; ergo hoc erit lucrum Indulgentiarum pro Defunctis ſubſiſtentium.

22 *Replicabis*. Bona fides, vel opinio virorum excellentium nequit dare Indulgentiam non exiſtentem; ergo illa praxis frequentandi tranſitus, & viſitationes non dabit Indulgentiam *toties, quoties*, ſi hæc ita non ſubſiſtit. Quod autem ſubſiſtat, eſt incertum; ergo & ipſa Indulgentia erit incerta.

℞. I. Si hæc Indulgentia Portiunculæ noſtris in Eccleſiis non exiſteret, Summus Pontifex eam concederet tolerando, & permittendo hujus conſuetudinem, & praxim. Ratio eſt: quia *Ratihabitio de præſenti æquivalet mandato*: juxta reg. 10. jur. in 6. Atqui Papa videns, & ſciens hanc piam praxim, & non prohibens cenſetur eam ratam habere, ac mandare; ergo eam concedit ſaltem per tacitum conſenſum; nam *tacens conſentire videtur*: reg. 43. jur. in 6. — Tum quia Conſuetudo laudabiliter introducta ex tacito, vel expreſſo conſenſu Pontificis habet vim non ſolùm interpretandi, ſed & condendi Legem: ex communiſſima Sententia Canoniſtarum, & Theologorum apud Dianam Coord. *tom. 6. tr. 2. reſ.* 10. ergo multò magis conſuetudo immemorabilis acquirendi hanc Indulgentiam *toties, quoties* habebit vim ſic eam interpretandi, eamque conſtituendi. Tum quia error communis cum titulo putativo dat Juriſdictionem in utroque Jure, & Foro: ex communi doctrina apud Cardenas, *diſſer. 2. à n.* 143. *ad* 149. ergo, ſi hæc Indulgentia eſſet ex ſolo errore communi ferè totius Orbis Catholici, iſte error cum titulo putativo daret hoc Privilegium, hanc eamdem Indulgentiam; nam, in hac hypoteſi, ipſe PAPA ſuppleret defectum, dando, quod datum reverà non erat.

℞. II. Quid, ſi ipſemet Pontifex Romanus die Portiunculæ aliquando feciſſet eoſdem tranſitus per Eccleſias *S. Franciſci ad Ripam, & S. Mariæ de Aracœli in Urbe Romana*? Nonne factò, & exemplo ſuo eam Indulgentiam *de toties, quoties* comprobaſſet? Hoc factum fuiſſe à pluribus Summis Pontificibus, & à Regnante CLEMENTE XI. relatum mihi fuit per Teſtes fide dignos Romæ commorantes, & videntes: (*ſcribebam hæc anno* 1715.) 23

℞. III. Fingamus, hanc Indulgentiam adhuc eſt incertam, dubiam, probabilem. Dic mihi, nonne dubia in meliorem partem ſunt reſolvenda? Nonne opinio nulli præjudicialis, & mihi favorabilis licitè poteſt amplecti? Certiſſimè. Scias ergo, non deeſſe Doctores magni nominis tenentes, Indulgentias etiam plenarias, pro Defunctis applicabiles ex ſpeciali Indulto, non comprehendi *ſub Decreto illo de apocryphis Indulgentiis*; ideòque poſſe multoties in die lucrifieri. Ratio eſt: quia illud Decretum non facit expreſſam mentionem de iſtis Indulgentiis. Tum quia, ſicut in conceſſione Indulgentiarum non intelligitur applicabilitas pro Defunctis, niſi hæc conditio exprimatur, ut *poſſint applicari per modum ſuffragii Animabus Purgatorii*; Ita (imò à fortiori) in revocatione, ſuſpenſione, aut moderatione Indulgentiarum, non intelliguntur revocatæ, ſuſpenſæ, moderatæ ipſæ Indul- 24

Indulgentiæ pro Defunctis, niſi exprimantur. Odioſa enim Decreta non debent ampliari, ſed potiùs reſtringi: juxta reg. 15. jur. in 6. V. Dianam, *coord. tom.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 152. & 153. & *tr.* 3. *reſ.* 71. – & *tr.* 5. *reſ.* 37. Examen Eccleſiaſticum Felicis Poteſtatis, *tom.* 1. *p.* 3. *cap.* 8. *de Indulgentii*, *nu.* 3795. – 3800. – 3818. – 3835. ſed clariùs *Appendicem Indulg.* §. 1. n.8. Dom. Viva, *in ejus Trutina Theol.*

25 ℟. IV. Certum, & evidens eſt, die 2. Auguſti in ſingulos annos in perpetuum ſubſiſtere Indulgentiam plenariam Portiunculæ *quoad ſubſtantiam* omnibus in Eccleſiis Ordinis noſtri, eamque eſſe applicabilem *per modum ſuffragii*: ut conſtat ex Memoriali P. Lazari, & ex Brevibus per extenſum viſibilibus apud Officialem Curiæ Regularis Matthæucci; videtur etiam certum, eamdem Indulgentiam ſubſiſtere *quoad modum de toties*, *quoties*, ut patet ex eodem Memoriali, & ex hucuſque probatis; ergo quid aliud exigitur?

26 Noſtri autem adverſarii mordicùs, & obſirmatè tenentes oppoſitum, non acquieſcunt rationis, non praxi, non conſuetudini immemorabili, non traditioni, dicentes: *Volumus videre aliquod Breve Pontificium in quo hac veſtra Indulgentia exprimatur toties lucrabilis, quoties tali die viſitatur Eccleſia veſtra.* Quid faciam? Si aliquod profero *Breve* conceſſum alicui ex noſtris Eccleſiis, timeo, ne mecum cavillentur dicendo: *Hoc Diploma eſt ſingulare pro tali Eccleſia, non univerſale pro omnibus Eccleſiis Ordinis veſtri; ergo, &c.*

Oportebit igitur in primis, ut enervem, & eradicem hoc præviſum cavillum. Et quomodo? Paucis verbis, dicendo eis: Legite Rubricas particulares noſtri Breviarii numero centeſimo octuageſimo ſecundo, ubi invenietis *Litteras in forma Brevis datas ab Innocentio Papa XI.*, & *XII.* in quibus confirmata reperitur Communicatio Privilegiorum, & Indulgentiarum, etiam Plenariarum uſque tunc non revocatarum inter Eccleſias, Ordines, & Perſonas Obedientiæ, vel directioni noſtri Miniſtri Generalis Fratrum Minorum ſubjectas. Igitur ſi adduxero aliquod *Breve*, ut ſuprà, non ampliùs inficiabimini Indulgentiam *de toties*, *quoties* noſtris in Eccleſiis? Adducam; ſicque *Colophonem* addam huic reſolutioni.

27 In quodam libro Hiſpano, compoſito à P. Fr. Martino à S. Joſeph Diſcalceato Ordis S. Franciſci impreſſo *Zaragoſa de anno* 1638. cui titulus eſt, *Expoſicion de los Preceptes, que en la Regla de los Frayles Menores*: pag. 509. n.25. (Ubi loquitur de hac Indulgentia de toties, quoties, &c.) reperitur ſubſtantia Brevis Pontificii tenoris ſequentis videlicèt:

Pius Papa V., &c. Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii, ſeu Domus S. Mariæ de Angelis Oppidi, ſeu loci de Cerralvo Ordinis Fratrum Minorum Excalceatorum de Obſervantia S. Franciſci Civitatenſis Diœceſis in veneratione debita habeatur, ac ipſi Chriſti Fideles ad ipſam Eccleſiam eò libentiùs devotionis cauſa confluant, quò ex hoc dono cœleſtis gratiæ uberiùs ſe refectos eſſe cognoverint. De omnipotentis DEI miſericordia, ac B.B. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti-Fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui dictam Eccleſiam in die Feſtivitatis Portiunculæ ejuſdem S. Franciſci nuncupata de menſe Auguſti annis ſinguli celebrari ſolita à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis ejuſdem diei incluſivè devotè viſitaverint, & inibi pro Fidei Catholicæ exaltatione, & hæreſum extirpatione pias ad DEUM preces fuderint, QUOTIES *id fecerint,* TOTIES *Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur; ipſiſque Chriſti Fidelibus ſuffragari debere perpetua duratione, &c.*

Originale hujus Diplomatis S. Pii V. conſervatur in Archivio præfati Monaſterii *de Cerralvo*, ut teſtatur Auctor citatus, qui ibi etiam probat (quantum capere potui ex lingua Hiſpana) eamdemmet Indulgentiam poſſe lucrifieri in omnibus Eccleſiis noſtri Ordinis, & citat pro ſe, & nobis Emanuelem Rodriquez, *tom.* 1. *QQ.* *q.* 55. *art.* 9. & 18. & Bullarium ejuſdem Emanuelis in diverſis Bullis, ſpecialiter la 19. 20. & 22. Clementis Octavi. – Adde Bullam Pii IV. *Ex Clementi.*

Copia verò prædicti paragraphi ex libro Hiſpano citato, mihi traſmiſſa fuit à R. P. Joan. Preti à Coſentia Conſeſſario, & Theologo Eminentiſſimi D. Cardinalis PIAZZA Legati à Latere tunc Civitatis Ferrariæ, cum authentica recognitione tranſumpti facti per D. Joan. Maſſarium Vice-Cancellarium Curiæ Epiſcopalis Ferrarienſis. *Hæc ſatis quoad Caſum.*

Poſt

28 Poſt ſcripta rogatus, & interrogatus de hoc Quæſito: *An Indulgentia ordinario modo conceſſa poſſint à Fidelibus illa lucrantibus applicari alicui Fideli Viventi, & capaci?*

℞. I. Videtur, quòd ſic. Quia ſicut Fideles viatores communicant adinvicem opera ſua bona nedum per modum impetrationis, verùm etiam ſatisfactionis; (ut cum D. Thoma, D. Bonaventura, Alex. Alenſi, Scoto, Fabro Faventino, & Catechiſmo Rom. probat Maſtrius, *in Moral. diſp.* 23. *n.*73. *&* 74.) quare non poterunt ſibi mutuò applicare etiam Indulgentias?

Præterea. Nullum Jus Divinum, aut Eccleſiaſticum id vetat in praxim redigi; quinimò *intelliguntur conceſſa, quæ non ſunt expreſsè prohibita*: Gloſ. in c. 2. de tranſact. Epiſc. verſ. *Non invenitur*. — Præterea. *Lucrari*, V. G. Indulgentiam plenariam eſt, conſequi à Theſauro Eccleſiæ aperto eam portionem, quæ neceſſaria eſt mihi ad delendum omnem reatum pœnarum temporalium; *applicare* autem eamdem Indulgentiam alteri, eſt offerre dictam portionem ad eumdem effectum ante conſpectum Divinæ Juſtitiæ pro alio indigente, & capace; ſi igitur mihi poteſt prodeſſe, quare non alteri?

Præterea. Quando Papa in ſuis Bullis, aut Brevibus concedit expreſsè, ut talis Indulgentia poſſit applicari Fidelibus Defunctis, addit: *per modum Suffragii*; ſed iſte modus eſt ſimilis Caſui noſtro; nam videtur præſupponere Divinam acceptationem, & quòd priùs talis Indulgentia acquiratur à Viatore opera bona injuncta exercente, poſtea applicetur Defunctis; ergo, &c.

℞. II. Dicendum tamen cum D. Thoma Doctore ſemper Angelico, *in* 4. *ſent. diſt.* 20. *q.*1. *art.* 5. *ad* 2. quòd *Indulgentia non poteſt (validè) applicari ad aliquem, niſi ex intentione Ejus, qui dat Indulgentiam*. Igitur in caſu noſtro non poterunt validè Fideles Vivi, ſeu Viatores applicare Indulgentias ordinario modo conceſſas alteri vivo, imò neque Defuncto, niſi expreſsè hoc concedatur à Rom. Pontifice in ſuis Litteris. Ratio inconcuſſa, & fundamentalis in hac materia eſt: quia Indulgentiæ tantùm valent, quantùm ſonant, nec operantur ultra intentionem Dantis; nam ſunt effectus *ex opere operato*; hujuſmodi autem effectus non poſſunt ex propria voluntate applicari alteri, niſi hoc ipſum in conceſſione exprimatur. Tum quia Indulgentia eſt quaſi Privilegium perſonale in favorem agentis, & perficientis opus injunctum à Papa; ergo ſoli agenti prodeſt. Ita Suarez, *in* 3. *par. tom.* 4. *diſp.* 52. *ſect.* 7. *n* 6.

Tum quia non poteſt quis Fidelis applicare V. G. Jubilæum, niſi priùs illud faciat ſuum; eo ipſo autem, quòd ſuum facit per opera appoſita, non eſt ampliùs applicabile alteri; quia per modum abſolutionis Papalis jam obtinuit totum ſuum effectum, nimirùm remiſſionem omnium pœnarum temporalium ſibi jam debitarum; ergo à ſimili de Indulgentia diſcurrendum eſt: ipſa lucrata, non poteſt lucrator eam ampliùs applicare tertio nec per modum abſolutionis, nec per modum Suffragii. Tum quia indulgentia non cenſetur opus ſatisfactorium proprium, ſeu ex opere operantis, benè quidem eſt opus ex opere operato, ſeu ex meritis infinitis Chriſti Domini, B. V. Mariæ, & omnium Sanctorum; ſed ſic eſt, quòd hoc opus ſatisfactorium diſpenſatur juxta intentionem expreſſam VICARII ipſius Chriſti, qui eſt ſolus *Diſpenſator Theſauri Eccleſiæ*; ergo juxta ejus voluntatem in litteris declaratam debet applicari; & nullus Fidelis habet auctoritatem offerendi aliquid de hoc theſauro DEO PATRI pro liberandis Animabus tam Vivorum, quàm Mortuorum à pœnis ſibi debitis, niſi ille expreſsè hoc obtinuerit à Chriſto Vicario; igitur non eſt in poteſtate noſtra applicare Indulgentias (aliàs inapplicabiles) cuilibet viventi, aut defuncto Fideli, ſed tantùm nobiſmetipſis lucrando ipſas debitis modis, & formis. Ita cum aliis DD. Diana, *part.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 12. *& in ipſo* Coordinato, *tom.* 4. *tr.* 5. *reſ.* 37. quibus addo P. Magiſtrum Petrum Bianchi ex Illuſtriſſima Religione Prædicatorum: *in ſuo Tract. de Indulgentiis, & Jubilæo, part.* 1. *cap.* 8.

Nemo tamen Catholicorum DD. negat, Chriſti-Fideles licitè, & fructuoſè poſſe pro aliis vivis, & Defunctis capacibus applicare opera ſua impetratoria, & ſatisfactoria etiam ex illis, quæ fiunt in lucrandis ſolitis Indulgentiis, ut puta Orationes, Eleemoſynas, jejunia, &c. quia omnes credimus *Sanctorum Communionem, & Suffragia*: ut explicat Maſtrius, *loc. cit. à princ. hujus Quæſ.* — Et ex dictis benè ponderatis patebit reſponſio ad rationes in oppoſitum. Hæc ſufficiant.

TRA-

ſeu in peccato mortali abſolveret, ſucceſſivè centum pœnitens, quot Sacrilegia committeret?

10 ℞. Centum. Ratio eſt clariſſima; quia tot adminiſtrationes Sacramenti numero diverſas feciſſet; unum enim Sacramentum malè adminiſtratum conſtituit Miniſtrum reum unius peccati Sacrilegii; ergo centum adminiſtrationes indignè factæ centum conſtituent Sacrilegia.

Objicies. Tales ſucceſſivæ adminiſtrationes ſe habent ad modum unius indignæ adminiſtrationis totalis; ergo unum tantùm peccatum, licèt gravius, conſtituent.

11 ℞. Nego antecedens; quia una non dependet ab alia ullo morali modo; ſunt enim totaliter diſtinctæ abſolutiones: & tot numero Sacramento indignè collata; ſicut V.G. Si quis plures ſucceſſivè occideret homines; una occiſio non dependet ab alia.

Quæro XI. *Bonitas iſta accidentalis, (quæ eſt ſtatus Gratiæ) eſtne neceſſaria ad valorem Sacramenti?*

12 ℞. Nequaquam: quia Concilium Trid. ſeſſ. 7. Can. 12. de Sacram. in genere ſtatuit: ibi, *Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem (modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit) non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit.*

Et ſeſſ. 14. Can. 10. de Sacram. Pœnit. decrevit: ibi: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & ſolvendi non habere anathema ſit.* -- Ergo eſt de fide certum.

De Scientia requiſita in Confeſſario.

Quæro XII. *Quænam ſcientia requiritur in Confeſſario, ut ſaltem validè abſolvat?*

13 *Nota*. Scientia hæc vix meretur nomen ſcientiæ, ideò eam non poſui in qualitatibus requiſitis ad validam abſolutionem.

℞. Igitur ut Confeſſarius validè abſolvat pœnitentem de ſe benè diſpoſitum, ſatis eſt, quòd ſciat materiam in confuſo, & formam eſſentialem hujus Sacramenti, ideſt, ſciat, hunc pœnitentem eſſe peccatorem, & ſciat proferre hæc verba: *Ego te abſolvo, &c.*

Quæro XIII. *Pœnitens, qui confiteretur tali Confeſſario ſic parum docto, peccaretne?*

14 ℞. I. Si confiteretur ex neceſſitate non peccaret; dummodò ipſe eſſet benè diſpoſitus; quia tunc utitur Jure ſuo.

15 ℞. II. Si confiteretur extra caſum neceſſitatis; utique peccaret; quia ſuppoſita cognitione de minima ſcientia illius Confeſſarii, nemo regulariter licitè poteſt confiteri apud ipſum, ne inducat, ſaltem indirectè, ipſummet Confeſſarium ad peccatum mortale propter ejus inſufficientem Scientiam, quòd eſt peccatum ſcandali contra Charitatem, quod tenemur vitare, quoties commodè poſſumus.

16 ℞. III. Si autem pœnitens bona fide, vel ſine malitia confiteatur tali ignoranti Confeſſario, non peccat; quia ſuamet bona fides, aut ſimplicitas eum excuſat: dummodò ſit aliàs benè diſpoſitus, ut ſupponitur.

Quæro XIV. *Qui Confitetur Confeſſario ignoranti, nempe non ſcienti ea omnia, quæ communiter ſcire tenentur omnes Confeſſarii, validène confitetur?*

17 ℞. I. Aliqui DD. probabiliter docent, quod talis Confeſſio ſit invalida, quia, dicunt, ad actum Judicialem, qualis eſt Confeſſio, requiritur cognitio cauſæ; Confeſſarius autem ignorans, ut ſuprà, nequit cognoſcere cauſam pœnitentis, ergo nequit pœnitentem validè abſolvere. Ita Ricardus, Cajetanus, Vaſquez, & alii apud Summam Dianam Antonii Cotonii, V. *Confeſſarius quoad Scientiam*, *n.* 25.

18 ℞. II. Alii autem DD. probabiliùs tenent, quòd talis Confeſſio ſit validiſſima, niſi aliud obſtet; Ratio eſt: quia ad validitatem Sacramenti ſufficiunt Materia, Forma, Intentio Miniſtri, & ſubjectum capax: quæ omnia hic ſupponuntur. Ita Henriquez, Præpoſitus, Suarez, Diana, & alii apud Cotonium, *l. c. n.* 25.

Petes. *An ignorantia Confeſſarii poſſit ſuppleri à docto pœnitente?*

℞. Affirmativè: attamen in tali caſu debet pœnitens admonere Confeſſarium, eique declarare gravitatem, & alias circumſtantias ſuorum peccatorum quaſi eum inſtruendo in actu practico de tali judicio; aliàs eſſet cauſa, (ut ſuprà) de peccato malæ adminiſtrationis ex defectu ſcientiæ. Ita P. Marchant. *tom.* 1. *Tribunal. ſil. mihi* 43.

19 Addo, cum Valerio Reginaldo *in ſua magna Praxi fori Pœnitentialis, lib.* 1. *cap.* 12. Sicut lumen materiale neceſſarium eſt

eſt Clavigero ad uſum Clavis materialis (prout expreſſis verbis traditur *in Extravag. Joan.* 22. *cap. Quia quorumdam. De verb. ſignific.* §. *Quod autem* 1. apertaque ratione probatur in c. 1. de Pœnit. diſt. 6. §. Caveat: ibi: *Oportet, quod Confeſſarius ſciat cognoſcere quidquid debet judicare; judiciaria enim Poteſtas hoc poſtulat, ut quod debeat judicare, diſcernat:*) ita Scientia neceſſaria eſt Confeſſario.

20 Et Navarrus eximius Doctor, & Canoniſta in eumdem locum ultimò cit. ait: Qui vult confiteri peccata ſua, ut inveniat Gratiam, quærat Sacerdotem ſcientem ligare, & ſolvere; ne cùm negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, (Chriſto) qui eum miſericorditer monet: *Ne ambo in foveam cadant*, quam ſtultus evitare, dum potuit, noluit.

Quæro XV. *Confeſſarius eſtne Judex?*

21 ℞. Maximè in foro interno: ut habetur ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi Sacerdotes vocat *Chriſti Vicarios, Præſides, & Judices.*

Quæro XVI. *Confeſſarius eſtne Medicus Spiritualis?*

22 ℞. Utique: ut habetur *ex Conc. Lateran. cap. Omnis utriuſque*: ubi dicit: *Sacerdos ſit diſcretus, & cautus: ac more Periti Medici infundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, &c.*

Quæro XVII. *Confeſſarius debetne eſſe Doctor?*

23 ℞. Ad ſufficientiam Doctor eſſe debet in re morali; nam ſi eſt Judex, & Medicus Animarum, utique tenetur ſcire omnia, quæ ſibi neceſſaria ſunt ad proprium Officium debitè exercendum. Nam proprium eſt Confeſſarii Animas dirigere per viam ſalutis æternæ cum fundamento bonæ Theologiæ.

Quæro XVIII. *Confeſſarius eſtne Pater Spiritualis?*

24 ℞. Sine dubio: omnis enim Confeſſarius vel eſt Parochus, vel vices gerit Parochi; at Parochus eſt Paſtor, & Pater Spiritualis, ac ut talis à pœnitentibus appellatur; ergo, &c.

Quæro XIX. *Sacra Scriptura condemnatne ignorantiam Sacerdotum?*

25 ℞. Pluribus in locis condemnatur hæc ignorantia. Malachiæ c. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam: & legem requirent ex ore ejus.* Ubi Cornel. à Lapide gloſſat; quia Sacerdotes debent cuſtodire, idest, cognoſcere, ſcire Legem Domini, eamque alios docere. — Oſeæ c. 5. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*: quia ignorantia Sacerdotis non aufert ejus poteſtatem ſed ſolùm impedit ejus exercitium.

Quæro XX. *Sacri Canones exclamantne contra ignorantiam Sacerdotum?*

℞. Certè. *In Decr. Grat. p.* 1. *diſt.* 37. 26
cap. 15. Legitur: Imperitia debet ſemper eſſe adverſa Sacerdotibus: quia dum per ignorantiam cæci aliis ducatum præſtare cœperint, ambo in foveam cadunt... Elaborandum itaque eſt Sacerdotibus, ut ignorantiam, quæ Mater cunctorum errorum eſt, à ſe, quaſi quamdam peſtem abjiciant; ait enim Apoſtolus 1. *Cor.* 14. *Qui ignorat, ignorabitur*: quòd de eo intelligendum eſt, qui noluit intelligere, & ſcire, ut benè ageret. — Et alibi, *diſt.* 38. *cap.* 1. *& diſt.* 6. *cap* 1.

Quæro XXI. *Qua, & quanta Scientia in Confeſſario requiritur ad licitè, ac tutò audiendas Confeſſiones?*

℞. I. Talis, & tanta requiritur neceſſa- 27
riò, ut ſufficiat qualitatibus pœnitentium, quorum quis audire vult confeſſiones.

℞. II. Sufficit autem ſcientia Juris, & 28
Facti *mediocris*: quæ commodè terminari nequit, ratione diverſitatis tum locorum, tum perſonarum. Sine dubio enim major Scientia requiritur in Confeſſarii civitatum, quàm in Confeſſarii oppidorum, vicorum, villarum, &c. *Item* eminentior ſcientia exigitur in Confeſſoribus Magnatum; Mercatorum, Curialium, &c. quàm in Confeſſoribus ſimplicis populi, ruſticorum, &c. *Item* diverſa ſcientia requiritur in Sacerdotibus, qui volunt audire Confeſſiones Monialium Clauſtralium, quàm in cæteris volentibus excipere Confeſſiones ſæcularium: Ipſa ratio dictat diſcretionem pœnitentium, & Confeſſariorum, ſicut infirmorum, & Medicorum.

Quæro XXII. *Quænam eſt differentia inter ſcientiam Juris, & ſcientiam Facti?*

℞. Differentia eſt, quòd *ſcientia Juris* 29
reſpicit univerſalia; *ſcientia* autem *Facti* conſiderat particularia. Prima notitia eſt mera ſcientia, ſeu cognitio ſpeculativa Legum, &c. ſecundà autem eſt ſcientia mixta cum prudentia, ſeu cognitio practica Caſuum conſcientiæ.

Quæro XXIII. *Quænam ſunt principaliora puncta univerſalia, quorum notitia eſt omninò neceſſaria ad ſcientiam mediocrem, ac ſufficientem Confeſſarii ordinarii?*

℞. I. Sunt

Digitized by Google

30 ℞. *I.* Sunt ſpecialiter iſta quatuor. I. Scire extenſionem ſuæ Juriſdictionis, ne Confeſſarius ſe immiſceat in abſolvendis Caſibus, & Cenſuris Reſervatis. II. Scire materiam remotam neceſſariam, & ſufficientem Sacramenti Pœnitentiæ: hoc eſt, ſcire ſpeciem, numerum, circumſtantias ſpeciem mutantes, & diſtinctiones peccatorum. III. Scire materiam proximam Sacramenti, ideſt, diſpoſitionem requiſitam in pœnitentibus. IV. Scire conſequentias quorumdam peccatorum, nempe, quænam ſint illa peccata, quæ conſequenter habent annexam obligationem reſtituendi, vel reſarciendi damnum illatum. Ita M. Bertaù cum Filliucio. *In Inſtruct. Confeſſariorum pro Confeſſionibus excipiendis, quæ eſt in fine Tr. 7. in primo Tomo.*

31 ℞. *II.* Alii DD. addunt duo alia puncta ſcitu neceſſaria, ideò V. Scire id, quod conſtituit occaſionem proximam peccandi, & quando teneatur pœnitens eam deſerere. Et VI. Scire remedia communia applicanda peccatis communioribus ad præcavendum, & ſanandum. Ita Suarez, Cajetanus, Sylveſter, & Henriquez apud Segnerum *in Confeſſ. Inſtructo, cap. 1.*

Quæro XXIV. *Sub quanam obligatione, quove Jure tenetur Confeſſarius prædicta puncta ſcire?*

32 ℞. Sub gravi obligatione, & hæc oritur ex omni Jure, Naturali, Divino, & Eccleſiaſtico. *De Jure naturali* patet: quia quilibet Ordinem aliquem, aut gradum, aut officium commune recipiens, ipſomet lumine naturæ, & ratione ipſa recta dictante, obligatur ſcire, quæ neceſſaria ſunt ad ritè, juſtè, prudenterque exercendos actus talis Officii, gradus, & Ordinis. Sed Confeſſarius habet hoc officium, hunc gradum, hanc Juriſdictionem pro bono communi; ergo tenetur de Jure naturæ acquirere prædictam ſcientiam, &c. Quòd autem ad hoc obligetur ex Jure Divino, patet ex dictis ſuperiùs, *n. 25.* Et ex Jure Eccleſiaſtico, *n. 26.* Lege libros citatos: & ſignanter Reginaldum, *l. 1. cap. 13. per totum.*

Quæro XXV. *Qualiter, ſeu quonam gradu, vel modo prædicta puncta ſcire tenetur quilibet Confeſſarius?*

33 ℞. Non tenetur ea omnia ſcire eminenter, exactè, & magiſtraliter, ſed ſufficit, ſcire mediocriter, ſcientia quadam media inter ſummam, & infimam; ita ut, quando proponitur ſibi caſus facilis, & ordinarius, ſciat illum reſolvere in praxi; & ſaltem de caſu non communi, nec quotidiano prudenter dubitare. Dixi *prudenter* ad excludendum dubium negativum, quo quiſque ignarus de unaquaque re ſolet dubitare, cùm nullam habeat rationem pro alterutra parte; nam ab indocto per verbum *neſcio* ſolvitur omnis quæſtio. Oportet ergo ſtudere bonis libris, ex quibus hauriantur reſolutiones morales. Ita ex communi noſter P. Sporer, *Tom. 3. p. 3. c. 6. ſect. 3. q. 2.* Et deducitur *ex Conc. Lateran. c. 21. Et ex Decretal. Greg. lib. 5. de Pœnit. & Remiſſ. c. 12.* & alibi.

Quæro XXVI. *Confeſſarius prædictam ſcientiam non poſſidens, & tamen volens audire paſſim Confeſſiones, peccabitne?*

34 ℞. Patet ex dictis, quòd graviter peccat, & contra conſcientiam, & contra Sacramentum, & contra proximum, atque exponit ſe periculo multos incurrendi errores, ut experientia nimis probat.

35 *Objicies.* Ego ſum approbatus à meo Prælato, habeo litteras Patentes optimè ſignatas; ergo non peccabo.

℞. Approbatio non dat tibi ſcientiam neceſſariam, litteræ Patentes non faciunt te litteratum in morali; ergo non eſt juſta excuſatio.

36 *Quapropter* docent TT. Confeſſarios imperitos, indoctos, ignorantes, & adhuc volentes ſedere pro Tribunali, & alios abſolvere, (niſi vel deſiſtant, vel habilitentur per ſtudium) fore incapaces recipiendi abſolutionem ab alio Confeſſario. Lege Graffium, *de Arbitrariis Confeſſ. l. 1. cap. 7.*

Quæro XXVII. *Quid facere debet Confeſſarius mediocriter doctus, quando in actu audiendi Confeſſiones, difficilis oritur caſus, quem ſtatim nequit reſolvere?*

37 ℞. *I.* Poteſt remittere ſuum pœnitentem ad alium doctiorem ſe.

℞. *II.* Poteſt etiam petere dilationem: & interim vel libros perluſtrare, vel caſum conferre (nòn nominando in æternum perſonam, nec detegendo circumſtantiam aliquam, ex qua quis venire poſſit in cognitionem pœnitentis) cum Caſiſta, cujus conſilium ſequens reſolvat poſtea Caſum.

℞. *III.* Poteſt etiam (ſi difficultas tota ſe teneat ex parte conſilii dandi pro valore V. G. alicujus Contractus, vel pro reſtitutione facienda, vel pro qua-

vis

vis alia obligatione conſequente, &c.) poteſt, inquam, abſolvere pœnitentem à peccato illo, & ab aliis ſimul confeſſis, obligando ipſummet pœnitentem, ut quamprimùm conſulat Caſiſtam, ejuſque conſilium non minùs ſequatur, quàm ſi ore proprio illud conſilium hìc, & nunc ipſe Confeſſarius præberet. Nam *quoad valorem* Confeſſionis nil refert hoc negotium, dum pœnitens eſt diſpoſitus, ac parere paratus, &c. Ita Angelus, Sylveſter, Navarrus, Bonacina, Laymannus, & alii apud Bertaùm, *Tract.* 2. *cap.* 1. *de ſcientia Confeſſarii*.

Quæro XXVIII. *Scientia Confeſſarii debetne ſe extendere ad judicanda, & diſtinguenda omnia peccata dum actualiter ea audit in Confeſſione?*

38 ℞. Sufficit; ut ſciat in genere, & ſpecie quænam peccata ſint ex natura ſua mortalia, & quænam venialia: abſque eo quòd obligetur ad illa diſcernenda, diſtinguenda, & judicanda individualiter in actuali Confeſſione; nam unum ab altero peccato in individuo rectè diſtinguere, nimis eſt difficile ob varias circumſtantias, quarum una poteſt transferre actum humanum de mortali peccato ex genere ſuo in veniale per accidens, & è contra. Ut vidimus, *tract.* 39. *de peccatis*. — Suarez *de pœnit. diſ.* 28. *ſect.* 2. — Tamburinus, *lib.* 5. *de Pœnit. cap.* 6. *n.* 12. P. Marchant. noſter, *tom.* 1. *fol. mihi* 45.

39 Et licèt Confeſſarius erraret in judicando unum pro alio, ideſt, reputando veniale id, quod reverà eſt mortale: aut è contra; non per hoc Confeſſio, vel Abſolutio deſinit eſſe bona, & valida; niſi aliud obſtet. Sufficit enim, quòd intendat abſolvere pœnitentem ab omnibus peccati, utcumque illa ſint.

Quæro XXIX. *Si Confeſſarius ob diſtractionem, vel ſomnum aliqua non attendat peccata, quid ſibi poſtea agendum erit?*

40 ℞. Si talis pœnitens bona fide proſequatur ſuam Confeſſionem, tàlis Confeſſio foret valida; deberet tamen Confeſſarius admonere pœnitentem in fine, ut repeteret non audita, & ſi ipſe pœnitens (terminato jam Sacramento) hoc advertat, tenetur item ea repetere in alia Confeſſione. Ita Laymann; *libr.* 5. *tract.* 6. *cap.* 9. *num.* 5. cum Suarez, & Henriquez. Ita etiam Tambur. *in Meth. Conf. lib.* 2. *cap.* 10. §. 3. — Ita Summa Diana, Cotonii. *V. Confeſſarius, num.* 26.) Quia Confeſſarius debet attendere, ut poſſit judicare. Et quamvis Confeſſio fuerit valida, debet tamen ſuppleri defectus integritatis.

Si autem Confeſſarius ſciat conſcientiam ſui pœnitentis non eſſe ſolitam gravari niſi venialibus peccatis; tunc non apparet obligatio repetitionis pro neutra parte, dummodò aliquod peccatum attenderit, & ratio patet ex dictis de Confeſſione venialium. 41

Quæro XXX. *Quid ſenſerunt antiquiſſimi Summiſtæ de qualitatibus, conditionibus, & requiſitis in Miniſtro hujus Sacramenti?*

℞. I. Ut huic curioſitati virtuoſæ ſatisfacerem, legi tres Summas ex antiquiſſimis, quas invenire potui in noſtris Bibliothecis Provinciæ Bononienſis, ut in ore duorum, vel trium virorum ſtet omne verbum antiquum. Non enim potui omnes antiquiſſimas Summas videre in ſonte. 42

P. Aſteſanus ab Aſt, Ordinis Minorum fuit primus Summiſta ex eodem ordine, qui compoſuit Summam de Caſibus Conſcientiæ de anno 1300. ibi ergo, libr. 5. tit. 16. Quærit: *Qualis eſſe debet Confeſſor.* 43

℞. Confeſſor debet eſſe *Juſtus*: ut habetur de pœnit. diſt. 6. cap. 1. ibi; *Sacerdos in nullo ſit judicandus, qui in alio eſt judicare promptus*. Unde exiſtens in mortali, mortaliter peccat, niſi priùs pœniteat.

Debet etiam eſſe *diſcretus*: ut habetur item ibi diſtin. 6. cap. Qui vult: *Caveat ſpiritualis Judex, ut ſicut non commiſit crimen nequitiæ, ita non careat munere ſcientiæ; oportet enim, ut ſciat cognoſcere quidquid debet judicare*. Sed quæ, qualis, & quanta Diſcretio eſt neceſſaria Confeſſori? 44

℞. Neceſſaria eſt tanta ſcientia Confeſſori, ut ſciat diſcernere in peccatis, quod eſt veniale, & quod eſt mortale; pro eo; quòd alia pœnitentia debetur pro veniali, & alia pro mortali. Et quòd ſciat, ad quæ peccata poteſtas ſua extendere ſe poteſt; alioquin in periculo Animæ ſuæ, & Confitentium audiret Confeſſiones. Et ſi ſubditi ejus pœnitentes agnoſcant ſimplicitatem ejus, tenentur conſulere peritos; alioquin uterque graviter peccaret. Debet etiam Confeſſor cautam habere inquiſitionem de peccatis pœnitentium: & diſcretam injunctionem ſatisfactionis: ſine quibus conditionibus non poteſt aliquis eſſe Confeſſor ſine peccato. 45

Requi-

46 Requiruntur autem plures aliæ conditiones in Confeſſore, quæ ponuntur ibi diſt. 6. cap. Qui vult: nempe: *Habeat Confeſſor dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, diſcretionem in varietate pœnitentium; adjuvet confitentem liniendo, conſolando, ſpem promittendo*. Sit dulcis Confeſſor, affabilis, atque benignus, prudens, diſcretus, mitis, pius, atque ſuavis. -- *Hæc, & alia P. Aſteſanus.*

47 Alter P. Angelus à Clavaſio Ordinis Minorum de Regulari Obſervantia, qui circa annum 1460. dedit in lucem ſuam *Summam Angelicam*: ibique Vedi *Confeſſio IV.* quærit. *Qualis debet eſſe Confeſſor.*

℞. Quòd debet habere quinque qualitates. I. Bonitatem vitæ. II. Scientiam, III. Charitatem erga pœnitentes, ut interroget, & inſtruat. IV. Pietatem in compatiendo peccatori, benignè eum Conſolando, &c. V. Poteſtatem abſolvendi. -- *Et V. Interrogationes*: dicit, quòd Confeſſor tenetur ſub pœna peccati mortalis eas interrogationes facere pœnitenti, quas cognoſcit neceſſarias confitenti pro validitate Confeſſionis. *Hæc, & alia P. Angelus.*

48 Tertius eſt S. Antoninus Ordinis Prædicatorum Doctor admirabilis, Archiepiſcopus Florentinus, qui inter ejus varia opera, unum libercul um compoſuit, cui titulus, *Summula Confeſſionalis* impreſſa Venetiis anno 1499. ibique, p.3. §.1. de Bonitate Confeſſoris in ſe, & in exercitio ſui Officii, dicit, & docet: Debet Confeſſor præcipuè habere duo; ſcilicet *Timorem*, unde fiat circumſpectus: & *Zelum* animarum; unde ſit ſollicitus circa ea, quæ neceſſaria ſunt.

49 Quantùm ad primum, conſiderare debet, quòd ipſe eſt velut Mare æneum in Templo Domini, ubi lavabant Sacerdotes animalia offerenda in Sacrificium; ideòque cum timore, & tremore debet poni in tali Miniſterio, & non ſe ingerere: nec cum levitate ibi ſtare, nempe in Confeſſionali.

50 Quantùm verò ad ſecundum, debet conſiderare, quòd nullum Sacrificium ita DEO acceptum eſt, quàm *Zelus Animarum*: & non minùs trahuntur ad Deum Animæ per *Confeſſionem*, quando diligenter fit, quàm per *Prædicationem*: ut experientia docet.

51 §. 2. Non ſufficit autem àudire, quæ ſibi dicuntur à peccatore: ſed Confeſſarius debet eum interrogare; niſi tamen eſſe perſona in his benè perita, conſcientiata; nam cùm perſonæ communiter ſint groſſæ in iſtis, etiam illæ, quæ in aliis negotiis mundi ſunt acutæ; ideò interrogandæ, & inſtruendæ ſunt, quantum eſt neceſſarium.....

§. 4. Viros tamen graves, & ſapientes dulciùs, & urbaniùs oportet reprehendere; ruſticos verò, ac idiotas duriùs, ne peccata ſua parvipendant ex levitate reprehenſionis. Expedit verò confortare, & animare ſtimulatos ex dolore, vel tentatos diſperatione; quantumcumque peccata commiſſa ſint gravia. Induratos tandem, vel ſe excuſantes, expedit, reprehendere, & aggravare, ſeu exaggerare peccata eorum. 52

Priùs, & libentiùs audiendæ ſunt Confeſſiones illorum, qui magis indigere putantur, & de quorum Confeſſione ſperatur major ſpiritualis utilitas. 53

In audiendis Confeſſionibus mulierum caveant Confeſſarii, ne multùm immorentur, niſi quantùm neceſſitas Confeſſionis requirat. Et eis, quæ nimis frequenter confiteri volunt, aſſignent certum tempus, extra quod non audiant ipſas. Nec aliis colloquiis ſe eis exponant: & ſemper duris verbis, & rigidis utantur circa illas potiùs, quàm mollibus: (*Nota benè*:) Quare malè ſe gerunt illi Confeſſarii, qui quotidie audiunt mulierculas, & faciunt eis longas prædicationes; unde amittunt multùm temporis, & ſcandalum ſequitur communiter & in ipſis, & in populis. *Hæc, & alia* S. Antoninus Doctor Mirabilis. 54

Addo. Ut Confeſſario novellus côncipere valeat aliquem ſaltem gradum Zeli ſalutis Animarum, legat, quæſo, Vitas Sanctorum, præſertim Sancti Caroli Borromæi Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolani, & in libro octavo, capit. 13. ejuſdem Vitæ, deſcriptæ à Doctore Joanne Petro Juſſano, inveniet hanc ipſius Sancti Sententiam Divinam, videlicèt:

« Nil DEO gratius reperitur, quàm Coadiutor Filii ejus JESU Chriſti Domini Noſtri; nec quidquam eſt ipſi Chriſto jucundius, quàm invenire bonum Confeſſarium ſecum portantem onus curæ, & ſalutis Animarum; nihil ampliùs Sancta Mater Eccleſia deſiderare poteſt,

» quàm videre Sacerdotes veluti Matres » concipere, parere, & alere filios Spiri- » tuales.

» Iſti enim ſpoliant infernum, dejiciunt » dæmonium, exterminat peccatum, ape- » riunt januas Cœlorum, implent Sedes » Empyræi vacantes, lætificant Angelos, glorificant SS. TRINITATEM, ſibique « præparant æternas, ac immarceſcibiles « Coronas. – *Hæc S. Carolus*. «

De Confeſſario Regulari inter Fratres Ordinis Minorum de corpore Obſervantiæ S. P. Franciſci: Vide *Tract. 68. per totum*.

TRACTATUS LXVII.

DE JURISDICTIONE, & Approbatione Confeſſarii.

QUæro I. *Quænam eſt differentia inter Juriſdictionem, & Approbationem Confeſſarii?*

1 *Reſpondeo*. Magna eſt differentia; nam *Approbatio* eſt actus Intellectus Approbantis, & declarantis de capacitate, & ſufficientia Confeſſarii examinati. *Juriſdictio* verò eſt poteſtas ad certas perſonas in foro conſcientiæ dijudicandas per voluntatem Concedentis acquiſita: *Seu* eſt facultas validè abſolvendi pœnitentes in Tribunali Confeſſionis. Unde patet, quòd Approbatio eſt ſeparabilis à Juriſdictione delegata.

Quæro II. *Approbatio eſtne neceſſaria Confeſſario ad excipiendas Confeſſiones?*

2 ℞. Affirmativè: prout decernit Tridentinum, ſeſſ. 23. cap. 15. ibi: » Quamvis Præsbyteri in ſua Ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant: decernit tamen S. Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe Confeſſiones, ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, (ſi illis videbitur eſſe neceſſarium) aut aliàs idoneus judicetur, & Approbationem, quæ gratis detur, obtineat. *Hæc Concilium*.

Quæro III. *Quiſnam approbare debet Confeſſarium?*

3 ℞. *I.* Patet ex verbis Concilii, quòd, quoad excipiendas Confeſſiones Sæcularium, approbatio debet fieri *ab Epiſcopis*; vel de Epiſcopi licentia à Vicario Generali, aut ab alio ad hoc munus (ſede Vacante) à Capitulo deputato: ſive per ſe, ſive per Examinatores ad hunc finem electos à ſupradictis.

4 ℞. *II.* Confeſſarius verò Regularis ad audiendas Confeſſiones Religioſorum ſui Ordinis non indiget approbatione Epiſcopalis, ſed tantùm Provinciali, aut Generali propriæ Religionis; quia hoc Privilegium eſt de Jure antiquo communi, quod non eſt revocatum à Concil. Trid. ut patet ex verbis citatis; ubi ſolùm mentionem facit de *Confeſſionibus Sæcularium*. (Vide Lezanam, *part. 1. cap. 18. num. 27. & part. 3. V. Confeſſor Regularis, num.* Thom. Tamburinum, *lib. 5. de Pœnitent. cap. 5. §. 2. nu. 3.* –) Ratio etiam eſt: quia Regulares ferè omnes à Juriſdictione Epiſcopi exempti ſunt. Vide Summam Diana *Coronii, V. Regularium Privilegia, n. 11.*

Quæro IV. *Epiſcopus approbans aliquem Confeſſarium, dicendo*: Tu es idoneus: *datne ſimul Juriſdictionem?*

5 ℞. Quòd non; quia, ut vidimus, Approbatio eſt ſeparabilis à Juriſdictione: debet ergo Epiſcopus adere aliquod expreſſivum facultatis ei Conceſſæ, ad Juriſdictionem delegatam exprimendam. Vide Felicem Panormitanum, *Tom. 1. nu. 3285.*

6 Tum quia, Epiſcopus approbando Regularem pro ſæcularibus, non confert ei Juriſ-

Juriſdictionem; ſed, ſuppoſita approbatione Epiſcopali, talis Confeſſarius ſtatim accipit Juriſdictionem à Sede Apoſtolica: prout deſumitur *ex Clem. Dudum*, §. *ſtatuimus, de ſepulturis*, & ex Fagnano, *in cap. Omnis de Pœnit. & Remiſſ. n.* 79. Lege Anacletum noſtrum, *Moral. tr.* 14. *diſp.* 8. *n.*15. – & Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *cap.* 10. *n.* 19.

Quæro V. *Si quis Confeſſarius Regularis approbatus fuiſſet ab Epiſcopo pro ſæcularibus, at non approbatus à ſuo Prælato, audiret Confeſſiones ſæcularium, eſſetne valida iſta Confeſſiones?*

7 ℞. Licèt nonnulli DD. dicant, & probent, quòd non eſſent validæ, multi tamen alii DD. tenent probabiliùs, & probant, quòd ſic, nempe, quòd eſſent validæ. Lege Laymannum, *loco mox citato*. – Tamburinum, *ſuperiùs cit.* §. *à num.* 27. & *ſeq.* – Lezanam, *cit. part.* 1. *cap.* 19. *n.* 12. Maſtrium, *Moral. diſp.* 21. *nu.* 208. qui ibi alios citat; at certè modò non piget tot volvere, & citare libros, quos vidi.

Quæro VI. *Si quis Confeſſarius Regularis fuiſſet approbatus pro ſæcularibus à ſuo Superiore, at reprobatus ab Epiſcopo, poſſetne validè abſolvere ſæculares?*

8 ℞. Nequaquam; quia Concilium expreſſis verbis requirit approbationem Epiſcopalem, etiam in Regularibus. Unde damnata fuit hæc propoſitio la 13. ab Alex. VII. *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.* – Quare non ſatisfacit? quia Confeſſio fuit invalida; ergo. &c.

Quæro VII. *Quotuplex eſt Juriſdictio Confeſſarii?*

℞. Poteſt eſſe duplex; Ordinaria, vel Delegata. *Juriſdictio Ordinaria* eſt, quæ tali Confeſſori competit de Jure communi, ratione Officii. Ut V. G. Parochus ad abſolvendos ſuos Parochianos habet ordinariam Juriſdictionem: ex Concilio Trident. cit. ſeſſ. 23. cap. 15. *Delegata* verò eſt, quæ habetur ex Delegatione Superioris habentis Jus delegandi in hac materia. Ut V.G. Capellanus, & quilibet alius Confeſſor, qui non eſt Parochus, nec Prælatus.

Quæro VIII. *Poteſtne Parochus delegare ſuam Juriſdictionem Capellano non approbato ab Epiſcopo?*

9 ℞. Non poteſt: quia Parochi ex Jure novo Concilii citati nequeunt ſubdelegare, &c. Unde damnata fuit hæc propoſitio la 16. ab eodem Alex. VII. *Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

Objicies. Parochus habet Juriſdictionem Ordinariam; ſed qui habet hanc, poteſt delegare eam alteri; ergo Parochus poterit eligere & ſibi, & ſuis Parochianis Sacerdotem ſimplicem in Confeſſarium.

℞. Diſtinguo minorem: Qui habet Juriſdictionem Ordinariam cum omnibus requiſitis de Jure novo, hoc eſt, ex vi Concilii Tridentini: *concedo*. Atqui Parochus ex vi Juris Tridentini non habet facultatem delegandi Poteſtatem ſuam (in hac materia) ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo; ergo argumentum non valet, ſpectato Jure novo Concilii. 10

Quæro IX. *In quibuſdam Curiis Epiſcopalibus ſolet concedi facultas audiendi Confeſſiones ſub hac formula verborum*: De licentia tamen Parochi: *ſeu* Conſentiente Rectore: *dubitatur an ſi quis Confeſſarius, non petita hac licentia, audiret Confeſſiones, validè faceret?*

℞. Probabilior, & communior ſententia eſt, quòd validè faceret; quia illa formula non reddit propriè conditionatam talem facultatem generalem; ſed tantùm indicat, quid ex quadam æquitate faciendum ſit, ad evitandas lites, &c. tum quia ibi non additur pœna nullitatis, vel ſuſpenſionis; ergo, &c. *V. Bordonum Deciſ. Miſcell. deciſ.* 472. 11

Quæro X. *Facultas, quam habent omnes Sacerdotes ad abſolvendos quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis in periculo, vel articulo mortis conſtitutos, eſtne ordinaria, an delegata?*

℞. Si ſubtiliter conſiderentur verba Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 7. videtur appellanda potiùs Ordinaria, quàm delegata facultas; quia omnis facultas, quæ de jure habetur, dici poteſt *Ordinaria*; atqui facultas prædicta habetur ex jure communi, & novo Concilii; & à nullo Superiore, Papa inferiore, auferri poteſt; ergo potiùs Ordinaria pro illo inſtanti dicenda videtur. Tum quia hæc facultas videtur eſſe de Jure Divino. Lege Concilium: ibi: *In Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuit, ut nulla ſit reſer-* 12

O 2 *vatio*

vatio in articulo mortis. Non dicit inſtitutum, ſed *cuſtoditum*; ergo de Jure Divino eſſe videtur facultas illa pleniſſima abſolvendi à peccatis. Tum tandem quia, reſervatio eſt de Jure Eccleſiaſtico, quamvis *conſona Divinæ Auctoritati*; ex Chriſti enim Inſtitutione non habetur reſtrictio, nec reſervatio; quamvis dederit poteſtatem Eccleſiæ faciendi reſervationem ad ædificationem, & non ad deſtructionem Animarum. Vide P. Marchant. *Tom. 1. tractat. 2. tit. 1. q. 3. concl. 5.*

Quæro XI. *In illo caſu articuli, vel periculi mortis poteritne licitè, & validè ſimplex Sacerdos, etiam præſente (ſed non æquè benè, neque ita citò) Confeſſario approbato, vel Parocho, abſolvere moribundum?*

13 R. Magna lis ſuſcitata modò invenitur à nonnullis DD. in re tam clara, & neceſſaria. Major pars DD. TT. & Canoniſtarum tenet, *quòd ſic*, propter verba clara Concilii loco citato: *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt*. Ita Conc.

14 *Si omnes poſſunt*, quid litigandum eſt, ac vertendum in dubium, *An præſente approbato? an præſente Parocho? Omnes poſſunt*; omnes ſunt in tali caſu pares; omnes eamdem habet poteſtatem, auctoritatem, Juriſdictionem ordinariam à Jure Divino, & Eccleſiaſtico, ab univerſali Eccleſia congregata in tali Concilio Tridentino. Ergo ad quid opinari in re non diſtincta, non conditionata, non reſtricta? *Ubi Lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.*

15 *Inter duos litigantes Tertius gaudet*: dici ſolet per Proverbium; at hic mihi videtur dicendum: *Inter plures litigantes Tertius luget*. Luget moribundus, petit Confeſſionem, perit, dum adſtantes Sacerdotes litigant de Juriſdictione, & primatu. Ne igitur *hac occaſione aliquis pereat* Omnes accurant; & prior, velocior pedibus, ardentior Charitate, audiat, & abſolvat. Vide doctiſſimum P. Petrum Marchant. *tom. 1. Trib. tr. 2. tit. 1. q. 3. concl. 5.*

16 *Objicies*. Quidam libri recentiores dicunt: adeſſe Decretum Sacræ Congregationis, quo prohibetur reſolutio prædicta; ergo magis ſtandum eſt Decreto, quàm doctrinæ tuæ.

R. Quæſivi hoc Decretum, & inveni in liberculo, cui titulus: *Interrogationes, breveſque Reſponſiones ad Caſus Conſcientiæ pertinentes, in unum collecta* à R. P. Octavio Maria à S. Joſeph, &c. Nona editio: &c. Venetiis 1706. apud Antonium Bortoli. Interrogatio 329. ibi: *Ad quod conducit eruditio inſignis, quam affert Nicolius in Lucubrationibus, p. 2. l. 5. tit. 39. n. 43. §. Verumtamen. Et per Decr. S. Congreg. quod ſe vidiſſe teſtatur in li. Annotationum b. m. Card. Caraffæ*. Decretum verò eſt tenoris ſequentis, videlicet,

Cuſtoditum ſemper fuit, &c. Congre- 17
gatio cenſuit, Sacerdotem alioquin idoneum, non tamen ad audiendas Confeſſiones approbatum juxta cap. 15. ſeſſ. 23. Concilii, non poſſe validè à peccatis mortalibus abſolvere pœnitentem in articulo mortis conſtitutum, *UBI CITRA MORTIS PERICULUM* haberi poteſt copia Sacerdotis approbati: & longè id minùs, ſi ipſe Parochus præſens idem prohibeat, paratuſque ſit infirmi Confeſſionem audire, illumque abſolvere, nec ulla ſubſit cauſa Parochum ipſum recuſandi. — *Hac ibi in citato liberculo.*

Item, Inveni in alio libro parvo, cui 18
titulus: *Apparatus Univerſæ Theologiæ Moralis* Auctore P. D. Thoma Franciſco Rotario: impreſſ. Venetiis, 1703. apud Bortoli, ibi *par. 1. cap. 1. n. 5.* ubi lego. Aliqui DD. apud Dianam, part. 1. Tr. 5. de Abſolutione ab hæreſi, quibus ipſe videtur adhærere, *cenſuerunt, ad præſentiam Sacerdotis approbati, Sacerdotem non approbatum poſſe abſolvere, &c. Verùm contrarium ſentio cum Nicolio, Lucubrat. Utriuſque Juris, part. 2. lib. 5. art. 39. num. 43. qui citat Decretum Congregationis repertum in lib. Annotationum bonæ memoriæ Cardinalis Caraffæ: in quo habentur hæc verba*: ponit ut ſuprà ad litteram Decretum illud.

R. Ego, & dico I. Prædictum Decre- 19
tum non eſſe in forma authentica nobis exhibitum, ſed tantùm repertum in manuſcriptis, & annotationibus prædicti Card. Caraffæ. II. Decretum abſconditum non habere vim obligandi. III. Decretum prædictum, etiamſi eſſet omninò authenticum: nihil dicere contra noſtram reſolutionem, ac doctrinam, hoc autem patet attentè legenti verba illa: *UBI CITRA MORTIS PERICULUM HABERI POTEST COPIA SACERDOTIS APPROBATI*: ergo non ſumus ampliùs in Caſu articuli, vel periculi mortis: & ſic.

Digitized by Google

ſic nullus Saecerdos ſimplex habet tunc Juriſdictionem, quæ datur, vel inſinuatur à Sacroſancta Synodo Tridentina, *loc. cit.* Ergo ad nihil valet Decretum contrà nos. Vide, quæ dixi de his Decretis (quæ non benè percepta, nec attentè conſiderata ſolent terrere tyrones) *tract. 5. num. 67. & 68. primæ Partis*: & meliùs intelliges veritatem. Proteſtor hic cum Apoſtolo 2. ad Cor. c. 13. v. 8. *Non poſſumus aliquid adverſùs Veritatem; ſed pro Veritate.*

Quæro XII. *Confeſſarius jam approbatus, ac Juriſdictione ordinaria, aut delegata dotatus reſpectu quorum pœnitentium poteſt eam exercere?*

20 ℞. Poteſt tantùm eam exercere in ſibi ſubditos: ex doctrina infallibili Tridentini, ſeſſ. 14. cap. 7. ibi: Quoniam igitur „ natura, & ratio Judicis illud expoſcit, „ ut ſententia in *Subditos* dumtaxat feratur: „ perſuaſum ſemper in Eccleſia DEI fuit, & „ veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat „ nullius momenti Abſolutionem eam eſſe „ debere, quam Saecerdos in eum profert, „ in quem *Ordinariam*, aut *Subdelegatam* „ non habet *Juriſdictionem*. Hæc Concilium.

Quæro XIII. *Quot modis quis poteſt evadere ſubditus Confeſſario in hoc Judicio Sacramentali?*

21 ℞. Præſertim his quatuor modis. I Ratione domicilii, vel quaſi domicilii. II. Ratione Privilegii. III. Jurisdiſpoſitione: & IV. Juris interpretatione communi. *Explico.*

22 I. *Ratione domicilii, vel quaſi.* Illi evadunt tibi Confeſſario ſubditi, qui inter limites tuæ Parochiæ (eùm ſis Parochus) habent domicilium vel perpetuum, vel ad tempus.

23 II. *Ratione Privilegii*, vel reſpectu pœnitentis, vel reſpectu Saecerdotis abſolventis. *Primo modo*, V. G. *Privilegio ſtatus*, Novitii tempore Novitiatus evadunt ſubditi Superioris illius Monaſterii: Item qui habent Privilegium perſonale eligendi ſibi Confeſſarium. *Secundo modo* V.G. *Privilegio Regularium*, qui quoſcumque Chriſti Fideles ad ſe accedentes ex quacumque mundi parte poſſunt abſolvere.

24 III. *Juris diſpoſitione*, quo inter agentes, peregrinantes volentes confiteri ſive ex obligatione, ſive ex devotione evadunt per accidens ſubditi illius Confeſſarii aliàs approbati pro tali loco, aut Diœceſi. Sicuti declaravit Eugenius Papa IV. & communiter DD. docent.

IV. *Juris interpretatione communi*: vel *etiam ex conſuetudine*: ſicque vagabundi 25 confiteri poſſunt ubique locorum; quia pro illo tunc evadunt ſubditi cujuſvis Confeſſarii.

Quæro XIV. *Confluentes ex aliena Diœceſi, aut Parochia ad hanc Eccleſiam ſæcularem, aut Regularem, quæ titulo evadunt ſubditi illius Confeſſarii ſæcularis, aut Regularis, qui ſedet pro Tribunali in tali Eccleſia?*

℞. Vel titulo Juris diſpoſitionis, vel in- 26 terpretationis communis, vel conſuetudinis, vel Privilegii; dummodò iſte acceſſus, vel confluentia iſta non fiat in fraudem.

Quæro XV. *Quid hic ſignificat*, fieri in fraudem?

℞. Tunc fit *in fraudem*, quando quis di- 27 recta intentione diſcedit à propria, & vadit in alteram Diœceſim, ut evitet, & deludat proprium Epiſcopum in Reſervatione Caſuum, ut habetur *ex Clement. cap. Dum*. Et *ex Conſtit. Superna Clementi P. X.*

Quæro XVI. *Parochus pergens cum aliquibus ſuis Parochianis ad Sacram Domum Lauretanam, aut Aſſiſium, poteritne licitè, & validè in tali peregrinatione audire eos, & abſolvere in foro Sacramentali?*

℞. I. P. Octavius Maria à S. Joſeph 28 in operibus ſuis coordinatis, *tom. 1. tit. 42. n. 363.* dicit, quòd ſic; ibique probat ſuum affirmativum dictum ex Fagnano, *in cap. Ne pro dilatione. De Pœnit. & Remiſ. n. 65.* Et ego ejus opinioni addo authoritatem Barboſæ, *tomo de Officio, & poteſtate Parochi, cap. 19. n. 5.* ubi citantur pro hac aſſertione ferè viginti Authores. Addo Poſſevinum *de Officio Curati, cap. 7. de Pœnit. n. 47.* ubi citat tres tantùm DD. Sylveſtrum, ſcilicet, Toletum, & Armillam.

℞. II. P. autem Auguſtinus Matthæuc- 29 cius *in ſuo Officiali Curiæ Eccleſiaſticæ*: impreſſione Veneta de anno 1710. *cap. 6. n. 16.* dicit, quòd non: Ecce ejus verba: Nec Parochus poteſt in aliena Diœceſi proprium parochianum abſolvere; quia in aliena Diœceſi non habilitatur ad Confeſſiones audiendas per Parochiale Beneficium obtentum in propria. -- *Vide infrà n. 37. dicenda.*

Quæro XVII. *Quid de Capellano Parochi in caſu prædicto dicendum?*

Digitized by Google

39 ℞. Valeret; quia nullo Jure, ſaltem communi, invalidatur hujuſmodi facultas; peccaret tamen mortaliter, qui hoc malitiosè perpetraret.

Quæro XXI. *Qualem certitudinem de ſua Juriſdictione delegata debet habere Confeſſor?*

40 ℞. Moralem; nam moralia moraliter tractanda ſunt; debet ergo Confeſſarius eſſe certus moraliter de ſua facultate ad abſolvendum. Ita communiter DD.

Quæro XXII. *Titius amicus meus certò audivit, & retulit, Epiſcopum me approbaſſe, ac dediſſe mihi facultatem audiendi Confeſſiones annon potero moraliter eſſe tunc certus?*

41 ℞. Quod non. Ratio eſt; quia niſi de mandato ipſius Epiſcopi hoc tibi referat, non poteſt eſſe moraliter certus de tali licentia.

Quæro XXIII. *Cajus obtinuit facultatem à Prælato, vel Epiſcopo eligendi ſibi Confeſſarium pro abſolutione ab aliquo peccato reſervato, acceditq; ad pedes D. Sempronii Confeſſarii ſimplicis, & confitetur omnia ſua peccata, inter quæ eſt illud reſervatum at non manifeſtat facultatem ſibi datam ad habendam directam abſolutionem etiam ab illo peccato reſervato, Sempronius non advertit illud reſervatum; ſed audita Confeſſione abſolvit Cajum more ſolito*. Quæritur, an Cajus reverà fuerit abſolutus directè etiam ab illo reſervato?

42 ℞. Negativè. Ratio eſt: quia Juriſdictio debet eſſe nota, vel notificata Confeſſario, nam (ut dicunt Juriſtæ) *Ignoranti non acquiritur Juriſdictio*: ideſt; qui ignorat facultatem ſibi datam, vel communicatam, non poteſt ea uti, quia illam non acquiſivit; nam donatio, ut valeat, debet acceptari; ergo ſimiliter etiam Juriſdictio, quæ eſt quædam gratuita donatio facultatis. Tum quia, ut vidimus, Confeſſarius debet eſſe certus moraliter de ſua poteſtate Juriſdictionis; iſte autem non eſt ita certus.

Quæro XXIV. *Quamdiù durat iſta Juriſdictio delegata?*

43 ℞. Durat per illud temporis ſpatium, per quod fuit tibi conceſſa à Superiore, Prælato, Epiſcopo, &c. per annum V. G. per ſex menſes, juxta mentem Concedentis expreſſam. Ratio eſt: quia Approbatio, vel Juriſdictio delegata eſt quædam Gratia; ſed Gratia tantum durat, pro quanto conceditur; ergo, &c.

Quæro XXV. *Facultas delegata expiratne morte Concedentis?*

℞. Non; Ratio eſt; quia Gratiæ, & favores non expirant per mortem Concedentis, neque per expirationem moralem ipſius Dignitatis; V. G. habeo facultatem à P. Provinciali audiendi Confeſſiones, & abſolvendi etiam à Reſervatis; ſi moriatur P. Provinciali, vel expiret ejus dignitas, non per hoc amitto facultatem mihi conceſſam; ergo talis facultas durat uſque ad expreſſam revocationem vel Concedentis, vel ſui ſucceſſoris in eadem Dignitate. Idem intelligendum de Epiſcopi licentia ut habetur *ex c. ſi ſuper gratia, de Offic. Deleg. in 6. & c. ſi gratioſè 5. de Reſc.* 44

Quæro XXVI. *Hodie V. G. expiravit facultas Titii ſive in voce, ſive in ſcriptis illi conceſſa ab Epiſcopo: poteſtne per aliquos dies, donec veniat confirmatio audire Confeſſiones?*

℞. Aliqui dicunt, quòd ſic: quia jam fuit approbatus, & cenſetur quaſi in Jure poſſeſſionis, (prorogationis ſolitæ) quæ veluti moraliter certa ſibi eſt; tum quia tunc videtur adeſſe ratihabitio de præſenti, ſeu licentia præſumpta Epiſcopi, - Alii tamen tenent, quòd non: quia Licentia hæc eſt veluti Gratia, quæ eſt revocabilis; tum quia non eſt certus moraliter de voluntate Concedentis, vel Prorogantis; ergo. 45

Quæro XXVII. *Quid eſt Ratihabitio de præſenti in propoſita materia?*

℞. *Ratihabitio de præſenti eſt iſta*: Scio, quòd meus Prælatus eſt contentus, ut ego nunc abſolvam hunc pœnitentem mihi ſubditum in hoc Tribunali à Reſervatis, propter ea ſigna, quæ ex ipſius mente alias cognovi. Et hanc ſufficere ad licitè, & validè abſolvendum; docent Sylveſter, Rodericus, Henriquez, & Graſſius cum Peyrino; *tom. 1. de Subdito, qu. 1. cap. 21. §. 1. verſ. Dico Octavo in fine*. Poſſevinus *de Pœnit. cap. 7. num. 11.* Ubi dicit; Ut Ratihabitio ſit valida, debet habere duas conditiones. I. Quòd ſit de præſenti, ideſt, quod proprius Sacerdos (vel Superior) tunc contentetur, hoc autem ſit per conjecturas rationabiles. II. Quòd ſit aliqua neceſſitas abſolvendi, quando certioris Juriſdictionis non ſit copia. Ex Sylveſtro, *V. Confeſſor. 1. quaſt. 6. not. 8.* Suarez, *de Pœnit. diſp. 26. ſect. 2. n. 13. & ſeq. & ſect. 6.* - *Item* Filliucius, 46

O 4 tract.

tract. 7. cap. 9. num. 241. Ubi dicit. Si præſumptio fundetur in aliquibus ſignis, quæ ſufficienter indicent præſentem voluntatem Superioris concedendi facultatem: valet facultas eo modo præſumpta: *ibique probat.*

Quæro XXVIII. *D. Titius Confeſſarius habebat facultatem in ſcriptis* ad ſex menſes *audiendi Confeſſiones: at per unum menſem (tranſacto jam ſemeſtri) quotidie audivit, & abſolvit multos.* Quæritur quid Juris?

47 ℞. *I.* Juxta communiſſimam DD. & TT. ſententiam, D. Titius validè abſolvit. Ratio eſt: quia ad utilitatem publicam Fidelium, ad evitanda ſcandala, ruinam Animarum, turbationes, ſcrupolos, aliaque inconvenientia; Sancta Mater Eccleſia, ſeu Summus Pontifex, omnes Epiſcopi, & Superiores dignitatem quaſi Epiſcopalem habentes in utroque foro, ſupplent defectum procedentem ex errore communi, concedendo Juriſdictionem neceſſariam. Ut etiam habetur, *arg. 95. diſt. cap. Ecce ego quaſi in fin. -- Et cap. infamis, 3. q.7. Et ex Leg. Barbarius, ff. de Off. Prætor.*

Atqui D. Titius ex errore, & quidem communi (quia ab omnibus habebatur, ut Confeſſarius approbatus, ac legitimus) abſolvit, &c. ergo Confeſſiones validæ omninò fuerunt. Ita cum multis DD. tenet, certòque probat Joan. de Cardenas, *diſert. 2. n. 143. & ſeqq.*

48 ℞. *II.* Si hoc fecit ſine malitia; ſed ex mera oblivione non peccavit; quia ignorantia invincibilis, vel inadvertentia inculpabilis excuſat. Si verò malitioſè: utique peccavit mortaliter toties, quoties; validè tamen abſolvit ex communi opinione DD.

49 Ex ignorantia hujus doctrinæ quidam Parochus perquirens curioſiùs, quàm oporteret, an Concionator, qui per totam Quadrageſimam, excepit Confeſſiones in ſua Eccleſia, haberet facultatem Epiſcopi, ac comperta veritate non obtentæ facultatis, quid fecit? Errorem pejorem priore. Publicavit coram populo, quòd omnes illi, qui confeſſi fuere apud Concionatorem, tenebantur iterùm confiteri: quia (inquit) non fuerunt benè, nec validè abſoluti ob carentiam facultatis. Certè Parochus, ille parùm revolvit libros Moralis Theologiæ.

Quæro XXIX. *D. Titius Confeſſarius opinione verè, & practicè probabili motus, & ductus ex morali certitudine, judicat, ſe habere Juriſdictionem ſufficientem ad abſolvendum Cajum pœnitentem aliàs benè diſpoſitum ab omnibus peccatis, vel àb uno reſervato, ſicque abſolvit.* Quæritur, an licitè, & validè?

℞. Quòd ſic. Ratio eſt: quia certum 50
moraliter eſt apud Theologos, quòd ſicut Pia Mater Eccleſia (quæ in ædificationem, & non in deſtructionem Fidelium facit Reſervationem) ſupplet, vel confert Juriſdictionem Confeſſario *ob errorem communem*, ut ſuperiùs vidimus, n.47. ita etiam ſupplet *ob opinionem verè probabilem*; nam eadem eſt ratio, imò fortior hic eſſe videtur. Tum quia:

Univerſalis Eccleſiæ conſuetudo eſt ſi- 51
gnum moraliter certum ratihabitionis de præſenti, ſeu Juriſdictionis collatæ: *ex c. Cùm contingat, de foro competenti*; atqui omnes Confeſſarii verſati in Theologia morali abſolvunt (quibuſdam in caſibus) cum Juriſdictione probabili, tamquam moraliter certi de hac conſuetudine in Eccleſia Dei; ergo, &c.

Ita ſentiunt DD. iſti omnes à me in 52
fonte viſi, & hic fideliter notati. Magnus Suarez, *tom. de Pœnit. diſt. 26 ſect. 6 n.7.* -- Card. de Lugo, *tom. de Pœnit. diſp. 19. n. 35.* -- Cardenas cum aliis DD. *par. 4. Criſis ſuper damnatas propoſitiones, diſer. 2. cap. 6. art. 6. à n. 165.* -- Dom. Viva, *part. 2. Trutina Theol. damnatarum Theſium: propoſit. 1. ex damnatis* ab Innoc. XI. *n. 20.* -- Patritius Sporer, *tom. 3. cap. 6. ſect. 1. n.717.* -- Bonacina, *de Sacram. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 5. §. 4. nu. 5.* -- Reginaldus, *tom. 1. lib. 1. n. 103.* -- Diana Coordinatus, *tom. 1. tract. 5. reſ. 56. & tom. 3. tract. 1. reſ. 4.* Lezana, *tom. vel p. 3. V. Confeſſio, n. 3. & part. 4. V. Opinio Regularibus tenenda, n.8. versùs finem.* Leſſius, *de Juſt. l. 2. c. 29. dub. 8. n. 68.* -- Felix Poteſtatis Panormit. *in Examine Conf. tom. 1. p. 4. c. 5. n.3279. & ſeqq.* P. Marchant *tom. 1. tr. 2. tit. 3. q. 2. & 5.* & alii, quos vidi, ſed brevitatis gratia non cito.

Quæro XXX. *Confeſſarius Monialium à quo debet approbari, ac Juriſdictionem obtinere?*

℞. *I.* Debet approbari ab Ordinario, 53
ſeu Epiſcopo loci illius, ubi degunt ipſæ Moniales; etiamſi ſubditæ eſſent gubernationi Regularium; prout habetur ex Conſti-

tutione

tutione Gregorii XV. incipien. *Inſcrutabili*; præſentandus, ac proponendus tamen eſt per proprium Prælatum Regularem ipſi Ordinario, ut approbetur, &c.

℟. *II.* Confeſſarius Regularis approbatus pro Sæcularibus, non per hoc intelligitur approbatus pro Monialibus: ex Conſtit. *Superna*, Clem. X

54 ℟. *III.* Confeſſarius approbatus pro uno Monaſterio Monialium, non per hoc cenſetur approbatus pro alio Monaſterio: *ex eadem, Superna*.

55 ℟. *IV.* Confeſſarius extraordinarius ſemel deputatus ad Confeſſiones unius Monaſterii Monialium, expleta deputatione, non poteſt ex vi illius prioris deputationis Confeſſiones earumdem Monialium iterùm audire; ſed toties eſt approbandus, quoties deputandus, *ex eadem Conſtitutione*.

56 Si cupias plura videre de his Confeſſariis Monialium, lege Officialem Curiæ Regularis P. Matthæucci, ſi habeas priores impreſſiones factas Romæ, & Venetiis, vide *tom.* 1. *c.* 15. Si habeas verò poſteriorem de anno 1710. editam Venetiis, vide *c.* 13. quia in hac ultima mutati fuere numeri capitum meliùs ordinatorum in uno tomo, & Felicem a Poteſtate Panormitanum, *in ſuo examine Confeſſ. tom.* 1. *à n.* 1421. *& ſeq.*

Nonnulla breviter de Caſibus Reſervatis ob connexionem materiæ.

Quæro XXXI. *Quid eſt Caſus reſervatus?*

℟. Eſt peccatum, cujus abſolutio non permittitur, imò prohibetur ſimplici Confeſſario.

Quæro XXXII. *Quid eſt Reſervatio?*

57 ℟. Eſt negatio Juriſdictionis quoad aliqua delicta. *Seu* eſt reſtrictio Juriſdictionis in ordine ad abſolvendum pœnitentem.

Quæro XXXIII. *Quinam habet poteſtatem hanc magnam reſervandi ſibi Caſus?*

58 ℟. *I.* Papa in tota Eccleſia. *II.* Epiſcopus in ſua Diœceſi. *III.* Capitulum Generale in Religione approbata quoad ſuos ſubditos.

Quæro XXXIV. *Quare ſit Reſervatio?*

59 ℟. Ad diſciplinam, & correctionem: in ædificationem, & non in deſtructionem: ut nempe ſubditi abſtineant ab atrocioribus, gravioribuſque criminibus. *Ut habetur ex Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 7.

Quæro XXXV. *Quænam peccata poſſunt reſervari?*

℟. Sola peccata mortalia, externa, 60
& opere conſummata, & certa: quæ ſunt pernicioſa Communitati Fidelium, reſervari ſolent. Ita communiſſimè DD. cum P. Marchantio noſtro, *tom.* 1. *Tribunal. tr.* 2. *tit.* 4. *q.* 6. *concl.* 4.

Unde ſequitur. I. Cùm reſervatio ſit 61
odioſa, niſi expreſsè declaretur in Reſervatione ſpecificativa, peccatum non intelligitur reſervatum, quando non eſt opere conſummatum in ſua malitia ſpecifica. II. Reſervatio non eſt extendenda, ſed reſtringenda juxta Regulam 15. Juris in 6. *Odia reſtringi, favores convenit ampliari*. Reſervatio autem eſt odioſa: quia adimit, & reſtringit facultatem, & favorem Confeſſarii; ergo reſtringenda eſt ad ſolos actus perfectos, & conſummatos in illa ſpecie, ac malitia peccati, non autem ampliari ad imperfectos actus, & attentatos. III. Peccatum dubium, (ſive Juris, ſive facti ſit dubium) non intelligitur reſervatum: Etiam in Reſervatis Caſibus Bullæ Cœnæ: ut docet P. Felix Panormitanus, *tom.* 1. *n.* 3313. *ex Decreto novo, ibi.*

Quæro XXXVI. *Reſervatio caditne ſuper pœnitentem, an ſupra Confeſſarium?*

℟. Principaliter, & directè afficit, ſeu 62
tangit Perſonam Confeſſarii; quia arctat ejus facultatem, indirectè autem perſonam pœnitentis; quia à tali peccato reſervato non poteſt abſolvi à Confeſſario ſimplici, & ordinario.

Hinc ſequitur, quòd Confeſſarius hujus 63
Diœceſis, in qua non eſt reſervatum peccatum B. poteſt abſolvere pœnitentes confluentes ex alia Diœceſi, in qua peccatum B. eſt reſervatum; & è contra.

Item ſequitur, quòd Titius commit- 64
tens peccatum, quod neſcit eſſe reſervatum, non ideò poteſt abſolvi à Confeſſario ſimplici; quia *Caſus* reſervatus non eſt *Cenſura*.

Quæro XXXVII. *Quiſnam licitè, & validè poteſt abſolvere à Caſibus reſervatis?*

℟. *I.* Ipſemet Superior Eccleſiaſticus 65
Reſervans. II. Delegatus ab eodem. III. Omnes, qui de Jure, aut Privilegio habent talem facultatem. IV. In articulo mortis

tis

Digitized by Google

tis omnes Sacerdotes. V. In neceſſitate gravi poteſt Confeſſarius abſolvere indirectè, vel directè, ſed cum onere ut tale peccatum poſtea confiteatur iterum habenti abſolutam facultatem ordinariam, aut delegatam.

Quæro XXXVIII. *Eſtne differentia aliqua inter articulum, & periculum mortis?*

66 ℞. In propoſita materia idem ſignificant *articulus, & periculum mortis*; ut paſſim tradunt Moraliſtæ, & Canoniſtæ.

Quæro XXXIX. *Quinam cenſentur eſſe in periculo mortis?*

℞. I. Damnati ad mortem. II. Periculoſo morbo laborantes. III. Aggredientes

67 navigationem periculoſam. IV. Pugnantes in bello. V. Mulieres partui vicinæ. VI. Banniti capitales. Aliique, quos videre poteris in Summa Dianæ Cotonii, *V. Abſolvere à Reſervatis, à num. 23. & ſeqq.* — Suarez, *de pœnit. diſput. 26. ſect. 4. nu. 3.* — Barboſa, *in Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. n. 11.* & in aliis libris.

Quæro XL. *Qui habent impedimentum perpetuum adeundi Superiorem Reſervantem, aut ejus Delegatum, aut Pœnitentiarium, poterunt ne abſolvi à Reſervatis per ſimplicem Confeſſarium?*

68 ℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia Reſervatio tam peccati, quàm Cenſuræ non eſt, nec eſſe poteſt in ruinam Animarum.

Quæro XLI. *Quinam cenſentur ſic impediti perpetuo?*

69 ℞. *I.* Habentes infirmitatem incurabilem. *II.* Pauperes miſerabiles. *III.* Senes decrepiti. *IV.* Filii, filiæque familias. *V.* Servi, ſervæque adſtrictæ dominis ſuis. *VI.* Et omnes, qui prudenti judicio Confeſſarii pii, & docti putantur quaſi perpetuò impediti; (Vide plura apud Tamburinum, *de Pœnit. libro 5. capitulo 12. §. 2. per totum.*) Ratio eſt, quia ceſſat Reſervatio: & mens Tridentini, ſeſſ. 14. cap. 7. expreſſa: ubi dicit: *Extra quem articulum, Sacerdotes, cùm nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant.* — Vide P. Felicem Panorm. *tom. 1. à n. 3348.*

70 At quomodo Sacerdotes poterunt perſuadere prædictis Pœnitentibus, ut accedant ad Superiores, aut legitimos Judices, ſi non valent (vel phyſicè, vel moraliter) accedere? Tum quia Concilium loc. cit. loquens de Abſolutione Caſuum facit hanc præfationem miſericordiæ plenam: *Verumtamen, inquit, piè admodum: ne hac ipſa occaſione aliquis pereat.* Vide Summam Dianam Cotonii. *V. Abſolvere à Caſibus. n. 23. & ſeqq.*

Tum quia, Eccleſia Dei nullum in 71 deſperatione relinquit, nulli viam certam ſalutis claudit, nam quidquid facit Eccleſia, totum eſt Miſericordia, & Veritas: ac ubi Juſtitia obſervatur, miſericordia etiam adhibetur: ut dicit Gloſſa, *in capitulo Exhibita nobis, lib. 5. Decretal. tit. 12.* igitur ubi adeſt impoſſibilitas phyſica, vel moralis quaſi perpetua, ibi ceſſat Reſervatio.

Neque prædictus pœnitens, ut abſol- 72 vatur à peccatis ſuis occultis, tenetur vel per litteras, vel per internuncium, vel per Confeſſarium mittere ad Superiorem pro impetranda ſibi facultate Reſervatorum; quia hoc nullo Jure cavetur. Vide Summam Dianam Cotonii. *V. Abſolvere à Caſibus.*

Quæro XLII. *Quando adeſt impedimentum grave, ad tempus breve, accedendi ad Superiorem pro beneficio abſolutionis Sacramentalis ab aliquo reſervato, poteritne pœnitens ſaltem indirectè abſolvi?*

℞. Utique; quia in tali caſu nulla fit 73 injuria Reſervanti, & ſimul providetur de remedio certo ſaluti proximi. Tunc igitur Confeſſarius ſimplex audiens omnia peccata non reſervata, & reſervata ab omnibus abſolvat pœnitentem, cum onere quamprimùm ſe præſentandi Pœnitentiario; & hoc licebit ex Juris interpretatione. Vide Summam Dianam, *l. cit. n. 38.* & P. Marchantium noſtrum, *tom. 1. fol. mihi, 29. 30.*

Quæro XLIII. *In dicto Caſu quomodo Confeſſarius abſolvit pœnitentem à reſervatis?*

℞. Secundùm communiorem locutio- 74 nem dicitur, quòd Confeſſarius *directè* abſolvit à non reſervatis, *indirectè* autem à *reſervatis.* Aliqui tamen dicunt, quòd Abſolutio *directè* datur etiam quoad *reſervata*, ſed cum onere prædicto; unde vocant hanc Abſolutionem *directam* quidem, ſed *oneroſam.*

Inde volunt nonnulli DD. graves, quòd 75 hoc idem dicendum, & faciendum ſit de Cenſuris reſervatis in prædicto caſu. Lege Laymannum de Pœnitentia, *lib. 5. tr. 6. c. 12. n. 10.* cum Ricardo, Navarro, Soto,

eo, Suarez, Coniachio, Roderico, & vide P. Marchantium noſtrum, *tom. 1. tr. 3. tit. 3. qu. 8. per totam*.

Quæro XLIV. *Titius eſt in neceſſitate gravi celebrandi, aut communicandi ad evitandum ſcandalum, nec habet hic, & nunc copiam Pœnitentiarii, ſed ſolùm ſimplicis Confeſſarii, cùmque habeat conſcientiam gravatam duobus peccatis mortalibus, quorum unum non eſt reſervatum, alterum reſervatum eſt*: Quærit à te, an teneatur confiteri utrumque peccatum huic ſimplici Confeſſariò?

76 ℞. Quòd ſic. Quia in concurſu duorum præceptorum, quorum unum neceſſario eſt omittendum, illud ſemper debet omitti, quod eſt *Minus*. Atqui in caſu iſto *Minus* eſt præceptum de Confeſſione facienda Pœnitentiario: *Majus* autem de præmittenda Confeſſione Sacramentali ante ſumptionem SS. Euchariſtiæ; quia hoc eſt de Jure Divino, illud autem de Jure dumtaxat Eccleſiaſtico; Adde, quòd in *Majori* hoc præcepto Divino præmittendi Confeſſionem, includitur aliud Divinum præceptum de integritate materiali ipſius Confeſſionis; ergo utrumque erit confitendum ex vi duplicis præcepti majoris, &c.

Dicam clariùs. Reſervatio eſt de Jure Eccleſiaſtico, ut patet; ergo quòd Titius teneatur adire Superiorem, aut Delegatum, vel Pœnitentiarium, ut ab eo abſolvatur, eſt pariter de Jure Canonico, ſeu Eccleſiaſtico. Quòd autem hic, & nunc Titius, ſi vult communicare, vel celebrare, debeat confiteri ſacramentaliter omnia mortalia ſecundùm numerum, & ſpeciem, eſt de Jure Divino, ut vidimus ſuo loco, ergo evidenter patet, quòd concurrentibus his duobus præceptis, quæ ſimul non poſſunt obſervari, *ubi majus ceſſat minus*; & conſequenter tenetur confiteri utrumque peccatum ſimplici Sacerdoti, cum onere, &c.

Quæro XLV. *Obligatio prædicta quamprimùm comparendi, ac iterùm confitendi peccatum reſervatum alicui Pœnitentiario, eſtne gravis, & ſub culpa mortali?*

77 ℞. Affirmativè; nam ex gravitate materiæ colligitur gravitas præcepti; & obligationis. Unde ſi omittat præſentationem; peccat mortaliter, peccato inobedientiæ; hoc tamen novum peccatum inobedientiæ non remanet ex ſua natura reſervatum.

78 Quòd ſi autem peccatum illud reſervatum habuiſſe annexam Cenſuram Excommunicationis, negligendo præſentationem ut ſuprà, innodaretur talis pœnitens inobediens nova Excommunicatione; ut paſſim dicunt DD. quia ſic à Jure ſtatuitur: *c. Eos, qui, de ſent. excom. in 6*.

79 Quod etiam habet locum in eo, qui abſolvitur à Cenſuris in mortis articulo, vel periculo: *ex communi, & cap. cit. Eos, qui*.

80 Et tunc (in hoc ultimo caſu) abſolutus debet comparere coram Legitimo Superiore, non ut iterùm abſolvatur à vinculo Cenſuræ; (cùm fuerit jam directè abſolutus) ſed ut obediat, & mandatum ejus accipiat in Foro externo, & condignè ſatisfaciat. Vide P. Marchantium, *tom. 1. fol. 28. concl. 3*.

Quæro XLVI. *Titius bona fide confeſſus eſt omnia ſua peccata (inter quæ erat unum reſervatum) ſimplici Confeſſario, & uterque ignoravit, vel non advertit reſervationem*; quid Juris?

81 ℞. Validè fuit abſolutus, etiam à reſervato; comperto autem errore, tenetur Confeſſarius admonere Titium, ut confiteatur iterùm illud reſervatum alicui Pœnitentiario; quod Titius tenetur adimplere, aliàs peccaret; ut vidimus. Fuit autem abſolutus ab omnibus, ſicuti diximus ſuperiùs, à non reſervatis directè, à reſervato verò indirectè, & cum onere, &c. quia non remittitur unum mortale ſine alio; ut alibi dictum eſt.

Quæro XLVII. *Poteſtne Superior Reſervans abſolvere pœnitentem à reſervato, & poſtea remittere eum ad ſimplicem Sacerdotem, ut abſolvat à reliquis non reſervatis?*

82 ℞. 1. Si loquamur de abſolutione Sacramentali, & pœnitentiali, dico abſolutè, quòd non poteſt. Ratio fundamentalis eſt: quia Superior non poteſt dimidiare Confeſſionem, & abſolutionem; nam integritas materialis, quando eſt poſſibilis, debet procurari de Jure Divino; tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte Sacerdotis: ut vidimus: tum quia peccata mortalia vel omnia remittuntur, vel nullum remittitur, cum ſint (ut vidimus) materia neceſſaria indiviſibilis.

83 Neque occupatio magna Prælati poteſt eum excuſare à Sacrilegio; quia adeſt propoſitio damnata ab Innoc. XI. quæ eſt iſta, *la 59. Licet Sacramentaliter abſolvere dimi-*

dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis V.G. poteſt contingere in die magna alicujus feſtivitatis, aut Indulgentiæ. Ergo magnus concurſus (dico ego) negotiorum Prælati nequit eſſe cauſa juſta dimidiandi ſacramentalem confeſſionem ſuorum Subditorum; quia (ut vidimus) ſola impoſſibilitas naturalis, vel moralis eſt cauſa juſta non integrandi materialiter Confeſſionem.

84 ℟. *II.* Poterit ergo Prælatus (ſive ſæcularis, ſive Regularis) ſine periculo, & ſine labore auferre Reſervationem tali peccato annexam, concedendo licentiam ſubdito, ut poſſit confiteri omnia ſua peccata etiam reſervata ſimplici Confeſſario: Lege Ferdinandum de Caſtropalao, *de pœnit. tr. 23. diſp. un. punct. 15. §. 5.* & P. Marchantium noſtrum, *tom. 1. tract. 2. tit. 4. q. 10. dub. 6.*

Quæro XLVIII. *Regulares Confeſſarii, præſertim Mendicantes, à quibuſnam caſibus reſervatis licitè, & validè poſſunt abſolvere ſæculares pœnitentes?*

85 ℟. Exceptis Caſibus viginti contentis in Bulla Cœnæ Domini: item ſex aliis (poſitis jam in *Tract. 57. de Cenſuris, numero* 83. reſervatis Summo Pontifici extra Urbem, & intra Italiam: *item* exceptis Caſibus, quos Epiſcopi ſpecialiter ſibi reſervant in ſuis reſpectivè Diœceſibus, & in tabella publicè affixis; Regulares Confeſſarii licitè, & validè in Foro interno Conſcientiæ abſolvere poſſunt pœnitentes ſæculares ab omnibus Cenſuris, & Caſibus aliàs quomodolibet reſervatis. Ita non ex meo, ſed ex judicio Doctorum, quos citavi fideliter *in Tract. 57. de Cenſuris, à numero* 78. & ſunt Lezana, Laymannus, Summa Diana Cotonii; ipſe Diana Coordinatus, Tamburinus, Antonius à Spirituſancto, Candelaria, & Felix Panormitanus à me lecti in fonte; quibus nunc addo Caſtropalaum, *tract. 23. diſp. unic. punct. 14. num. 6.* & Quintanadvenam *ſing. 19. & 20. tractat. 3.* Et licèt loquatur de ſuis Privilegiis, omnes tamen Mendicantes ea communicant adinvicem; quia (ut docet Lezana, *par. 2. num. 1. & 52.*) Mendicantes gaudent Communicatione Privilegiorum; ita, ut Privilegia uni ipſorum Religioni conceſſa, etiam aliis communia ſint.

86 *Mendicantes* autem alii ſunt tales à Jure, ut *Dominicani, Franciſcani, Auguſtiniani, & Carmelitæ*; alii ſunt tales ex Conſtitutione Pontificia, ut *Servitæ, Minimi, Jeſuitæ, &c.*

Quæro XLIX. *Habens facultatem abſolvendi ab omnibus Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, poteritne ideò etiam abſolvere à Caſibus Epiſcopo reſervatis?*

87 ℟. Nego; quia hoc eſt prohibitum à Clemente X. in ſua Conſtitutione toties citata, quæ incipit, *Superna.*

Dices. Majori conceſſo, intelligitur quoque conceſſum, quod minus eſt; ergo habens majorem facultatem abſolvendi ab omnibus Caſibus Papalibus, cenſetur habere etiam minorem.

88 ℟. Etiam illud dictum negandum eſt; quotieſcumque illud, quod eſt *minus* eſt ſeparabile *à Majori*: & ſic eſt in propoſito. Quare Jure merito damnata eſt hæc propoſitio la 12. ab Alex. VII. quæ dicebat: *Mendicantes poſſunt abſolvere à Caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.*

Et Clem. X. *in citat. Conſt.* declarando authenticè dicit: Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave Privilegia Regularibus cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam JESU, conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in Caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Hæc Papa.

Quæro L. *Si quis præſumeret abſolvere aliquem à Caſibus, & Cenſuris prædictis reſervatis, quid incurreret?*

89 ℟. Incurreret Excommunicationem, privationem officiorum, dignitatum, aut Beneficiorum, & inhabilitatem audiendi Confeſſiones, &c. ut habetur in Decreto quodam Sacr. Congr. approbato ab Urbano P. VIII. dato die 18. Decembris anno 1628. & citato *ab Officiali Curiæ* Pat. Matthæucci, *c. 2. n. 12. & 13.*

Adverto tamen hic, ne confundaris, mi Lector, quòd ille dicitur *præſumere abſolvere, &c.* qui malitioſè, temerariè, ac ſcienter abſolvit à Caſibus, & Cenſuris in Bulla Cœnæ contentis, vel à Caſibus Epiſcopo reſervatis: quia de cæteris nulla fit mentio in dicto Decreto.

90 *Petes inſtanter.* Incurreretne tales, tantaſque pœnas, qui abſolveret pœnitentem à Caſu Bullæ Cœnæ, eo quòd vel peccatum eſt dubium, vel non incurrit Excommunicationem propter ignorantiam Cenſuræ, aut ob aliam rationabilem cauſam excuſantem ab ipſamet Cenſura Papali.

℟. Ne-

Digitized by Google

91 ℟. Negativè; quia eſt Doctrina communis, quòd quis non incurrit in Caſum Papalem, quando non incurrit etiam in Excommunicationem. Et quòd peccatum dubium non manet reſervatum; ſive illud fuerit dubium Juris, ſive facti. Neque obſtat Decretum Clem. VIII. de anno 1601. quod comprehendit in reſervatione Caſus Bullæ Cœnæ etiam dubios quia fuit poſtea moderatum per aliud Decretum ejuſdem Papæ anno ſequenti 1602. ubi omiſit illas particulas; *Clarè, vel dubiè contentis*. Ut teſtatur P. Felix Panorm. *tom.* 1. *n.* 3313.

92 *Petes iterùm*. Incurreretne in prædictas pœnas Confeſſarius Regularis, qui ſcienter abſolveret ab aliqua Excommunicatione lata vel à Synodo Diœceſana, vel ab Epiſcopo?

℟. Videtur quòd non; Ratio eſt; quia in dicto Decreto nulla fit mentio de Cenſuris Epiſcopalibus, ſed tantùm de *Caſibus reſervatis ab Epiſcopo*. Ratio etiam eſt: quia Odioſa non ſunt amplianda, ſed potiùs reſtringenda; ergo à *Caſibus* non debet fieri illatio *ad Cenſuras*, præſertim illæ Epiſcopales, quæ ſunt ſeparabiles à Caſibus; tum quia (ut docet Navarrus *in Manual. capitulo* 27. *numero* 261. *verſ. Decimò, dico*,) aliud eſt peccatum reſervatum Epiſcopo, aliud cenſura illi reſervata, à diverſis autem non fit illatio ſpecialiter in pœnis.

93 Præterea; In foro conſcientiæ Regulares (præſertim Mendicantes) videntur habiles ad abſolvendum ab his Cenſuris Epiſcopalibus, quando iſtæ ſunt ſeparatæ à Caſibus ordinariis; ut deducitur ab uno §. Conſtitutionis Clem. X. multoties citatæ, quæ incipit, *Superna? Vide hanc Bullam in fine hujus Tractatus*. Ecce verba §. 4. versûs fi :em: ibi.

94 *Vigore ſupradictorum Privilegiorum* (per Mare Magnum) *nequaquam licere Regularibus, etiam ſatisfacta parte, abſolvere pœnitentes à Cenſuris, quoad externum, & judiciale Forum: & abſolutos ab eis in Foro Pœnitentiali, utique non cenſeri abſolutos in exteriori Judicio, & contentioſo; quinimò Cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis, cogi poſſe, gerere ſe pro talibus, etiam à Regularibus fuerint abſoluti, ut ſuprà*. Hæc Bulla.

95 Ex dictis verbis attentè conſideratis habetur, quòd Regulares poſſunt abſolvere pœnitentes in Foro interno etiam à Cenſuris Epiſcopalibus; quia Bulla illa, *Superna*, ſolummodò adimit facultatem Regularibus abſolvendi à Cenſuris Eccleſiaſticis: etiam Epiſcopalibus *in Foro exteriori; & contentioſo*: ergo reliquit intactam antiquiſſimam facultatem abſolvendi *in Foro interno, & Sacramentali*; quinimò hanc facultatem confirmaſſe videtur; nam *exceptio regula firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis*: ut dicunt Juriſtæ, & habetur *l. Nam quòd liquida, ff. de penu legata*. Et *leg. Quaſitum* 22. *& alibi*. Vide Arborem Opinionum Caſſiani, *V. Abſolutio, numero* 61. -- Summam Dianam Cotonii, *V. Confeſſ. Regul. numero* 2. Et Quintanadvenam, *Tractar.* 3. *ſingulare* 10. *numero* 3. ubi dicit: Confeſſarius Regularis poteſt abſolvere quoſcumque ſæculares ligatos Excommunicationibus, quas in Statutis, Decretis, Synodis, & aliis legibus, Epiſcopi, Inquiſitores, Nuntii Apoſtolici, & Summi Pontifices promulgarunt. Huic reſolutioni addo ſequentia pro clariori notitia præcedentium. Certum eſt quòd

Regulares virtute ſuorum Privilegiorum nequeunt ampliùs abſolvere pœnitentes ſæculares à Caſibus & Cenſuris annexis, Epiſcopo reſervatis; quia extant Jura nova derogativa prioribus: ut conſtat ex Decretis Greg. XIII. Pauli V. Clem. VIII. Urbani VIII. Alex. VII. & Clem. X. in Bulla, *Superna*

An autem Regulares poſſint in foro tantùm conſcientia abſolvere ſæculares à quibuſdam Cenſuris Synodalibus non promulgatis? Videtur, quòd ſic; quia Regulares, utpotè exempti à Juriſdictione Epiſcoporum, non alligantur Statutis Synodalibus, niſi in iis, quæ ſunt expreſſa, & eo modo, quo exprimuntur in Jure Canonico, Conciliis Generalibus, & Bullis Pontificiis. Regulares enim ſæcularibus Prælatis non ſunt ſubjecti, niſi in quantum eos ſubjicit illis Summus Pontifex, cui tantùm, & immediatè ſubjiciuntur; unde ipſimet Regulares cenſentur veluti Delegati Papæ in virtute, & uſu ſuorum Privilegiorum, & quoties Summus Pontifex, Concilia, Canones volunt Regularium limitare Juriſdictionem, id exprimunt; ut notum eſt apud Moronum, *Reſponſ.* 12. *num* 18. *& Reſponſ.* 99. *numero* 62. 69. *& ſeqq.* Matthæucci

in

in Officiali, part. 1. cap. 16. Rome Impreſſo, anno 1700. alioſque DD. paſſim. – Atqui iſte caſus ſingularis non exprimitur in ultima Bulla, *Superna*, edita anno 1670. declarativa Privilegiorum ad Regulares ſpectantium in hac materia; ut patebit eam conſideranti; ergo, &c. Ita etiam tenent DD. non pauci, ut Homobonus, *tom. de Caſ. Reſerv. pag.* 53. Comitolus, *Reſp. Moral. lib.* 1. *q.* 25. – Ceſpedes, *tract. de Exempt. Regul. cap.* 6. *diſt.* 142. – Pellizzarius, *tractat.* 6. *capitulo* 2. *num.* 59. & *tract.* 8. *capit.* 3. *num.* 80. – Diana Coord. *tom.* 7. *tr.* 1. *reſol.* 269. §. 5. & 7. & *Reſol.* 270. §. 2. – Summa Diana, *V. Lex num.* 8. – & *V. Abſolvere à Cenſuris, num.* 62. – Layman, *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 1. *cap.* 7. Suarez *de Cenſuris, diſp.* 7. *ſect.* 5. *nu.* 14. Comp. Roderici, *reſol.* 3. *n.* 35.

His non obſtantibus, ſtandum erit praxi cujuslibet Diœceſis, ne ſuſcitentur lites odioſæ inter Epiſcopos, & Regulares, & ne ipſimet Epiſcopi, loco SS. Apoſtolorum ſubrogati, congruo honore, & convenienti veneratione, ac obſervantia priventur. Et in dubio hujuſmodi conſulenda eſſet Sacra Congretatio.

Quæro LI. *Peccatne Superior, Epiſcopus, Prælatus, qui ſe oſtendit in praxi difficilem, auſterum, rigidum, rarum, avarumque in concedenda facultate cum ſubditis, tum Confeſſariis petentibus eam, pro abſolutione à Reſervatis?*

96 ℞. Sine dubio peccat. Ne credas mihi, crede potiùs Angelico Doctori Div. Thomæ, qui opuſc. 19. & libr. 4. ſent. diſt. 12. qu. 3. art. 3. quæſtiunc. 4. dicit: *Peccat Superior, qui præſtat ſe in hoc difficilem; quia multi ſunt adeo infirmi, quòd potiùs ſine Confeſſione mori vellent, quàm tale peccatum tali Sacerdoti confiteri.* – Hanc ſanam Doctrinam ſequuntur Soto, Victoria, Sylveſter, Armilla, Navarrus, Suarez, & alii cum Filliucio, *tr.* 7. *cap.* 10. *n.* 193.

97 Ratio etiam eſt; quia Confeſſio Sacramentalis eſt inſtituta à Chriſto Domino in bonum pœnitentis; & quando acceſſus ad illam redditur difficilis, redditur etiam ipſum Sacramentum odioſum. Semper mihi fuit cordi illud Doctoris ſubtilis dictatum in 3. quæſt. ultima in fine: ubi ait; *Difficilius, quod eſt in Eccleſia, videtur eſſe Confeſſio*, Si hoc perciperent quidam Epiſcopi, certè promptiores redderentur, ac faciliores in hac tam gravi cauſa benignè, & miſericorditer agitanda, in qua agitur *De Summa rerum*, ſalute, ſcilicet, Animarum; cooperandum eſt ergo Deo ad ſalvandas pœnitentium Animas.

Quapropter S. Pius Quintus *in Bulla* 98
12. præcipit Prælatis, ut exhibeant ſe faciles, & benignos ſuis ſubditis petentibus licentiam abſolvendi à Reſervatis; unde negantes ſine gravi cauſa mortalis peccati Rei videntur. Vide Compendium Roderici. *Reſol.* 3. *n* 18 Vide etiam doctiſſimum Petrum Marchantium, *tom.* 1. *Tribunalis Sacramentalis, tract.* 2. *tit.* 4. *quæſt.* 10. *dub.* 5. *Reſol.* 2. ubi dicit: “Non poteſt Superior, etiam Sæcularis; negare auctoritatem ſuam aut ſubdito poſtulanti, ut alteri Sacerdoti confiteatur, aut Confeſſario, ut aliquem abſolvat, niſi ex multùm rationabili, & juſta cauſa. Ratio eſt: quia poteſtas hæc (ut ajunt Pontifices, & Concilia) data eſt in ædificationem, non in deſtructionem. Unde Superior aliquando ex juſtitia, quandoque ex charitate tenetur illam auctoritatem concedere, & quidem, juxta materiæ gravitatem, ſub peccato mortali: *ibique optimè probat ſuam Reſolutionem*, quàm omitto, ut ſtudeam brevitati.

Cùm ſæpè citata, & citanda ſit Conſtitutio, *Superna*, pro Caſibus Regularibus ad majorem legentium utilitatem hic eam deſcribo ad litteram.

Sanctiſſimi. D. N. CLEMENTIS PAPÆ X. Bulla, ſeu Conſtitutio, in qua Regularium Privilegia quoad Prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem declarantur. 99

SUPERNA: &c.

Regulares, qui in Eccleſiis ſui Or- §. 1.
dinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere; prædicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint. – Quòd ſi Epiſcopus benedictionem nedum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſiis licere Regularibus prædicare, eoſque contravenientes ab illo tamquam à Sedis Apoſtolicæ Delegato, Cenſuris, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis fel. rec. Gregorii XV. prædeceſſoris noſtri inci-

pien.

Digitized by Google

pien. *Inſcrutabili Dei Providentia*, coerceri, & puniri poſſe. – Epiſcoporum tamen abſque juſta, atque rationabili cauſa contradicere non debere. – Et hujuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, ſi in quibuſcumque Oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram populo, vel in Eccleſiis, vel ad crates Monaſteriorum Sanctimonialium eorum Juriſdictioni ſubjectarum, licèt januis clauſis, & nullus ſæcularium ibi interſit, habere, voluerint. – Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſam Regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab Univerſitatibus, aut à Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quoad doctrinam examinare, ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit, & licentiam prædicandi ſemel iiſdem conceſſam ob rationabiles cauſas, licèt occultas, prædicationem tamen concernentes, ſuſpendere. – Non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicent.

§. 2. Ad hæc Regulares ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerunt approbati. Et generaliter ab Epiſcopo ad perſonarum ſæcularium Confeſſiones audiendas nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere, quoad hoc, ſpeciali Epiſcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis Confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. – Itidem Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe expleta deputatione in vim approbationis hujuſmodi illarum Confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. – Cæterùm in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia Inſtituta vivitur, poſſe tam Prælatos Regulares, quàm Confeſſores Regularium eorumdem Monaſteriorum, ſeu Collegiorum audire Confeſſiones illorum ſæcularium, qui inibi ſunt verè de familia, & continui commenſales; non autem illorum, qui tantùm ipſis deſerviunt. – Illos autem Religioſos, qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporum, certorumque locorum, aut generis Perſonarum in Diœceſi propria admittendos. – Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. – Semel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore etiam *Paſchali*, & quorumcumque etiam Infirmorum Confeſſiones audire, abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen Confeſſione teneri dictos Religioſos eorumdem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere: & hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pœna Suſpenſionis à facultate audiendi Confeſſiones præcipi. Sufficere tamen, ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam.

§. 3. Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis *Paſchali* tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit, *Omnis utriuſque ſexus*, quoad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos. – Regulares verò ad hujuſmodi Confeſſiones audiendas prævio examine ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfixione ab ipſomet Epiſcopo, ſecùs autem ſi ab ejus Vicario, aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterùm examinari, aut ab eiſdem Confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias ipſis conceſſas revocari, niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas Confeſſiones concernat; de qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in Actis conſtet; nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxar, ubi eam aperiri poſtulaverint. – Porrò ſi Regulares eum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi judicio videantur à Confeſſionibus ſuſpendi, in quo ipſius

ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cùm præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas, utique eam cauſam ad Confeſſionis miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quò minùs ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à Confeſſionibus audiendis. Attamen Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Confeſſoribus adimi, ab Epiſcopo inconſulta Sede Apoſtolica nullatenus poſſe. — Ex facultatibus per MARE MAGNUM, aliave Privilegia Regularibus cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam JESU, conceſſis factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in Caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. — Et per confirmationem dictorum Privilegiorum, quam Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concil. Trident. obtinuerunt, nequaquam reviviſſe Privilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi à Caſibus Epiſcopo reſervatis.

§. 4. Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideò à Caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere. — Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſervatis non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem Reſervationis ad aliam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe.

Vigore ſupradictorum Privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam ſatisfacta parte, abſolvere pœnitentes à Cenſuris quoad externum, & judiciale forum, & abſolutos ab eis in foro Pœnitentiali utique non cenſeri abſolutos in exteriori Judicio, & contentioſo. Quinimò Cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis cogi poſſe, gerere ſe pro talibus, etiamſi à Regularibus fuerint abſoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis Privilegiis coram Epiſcopo, ab eo judicetur, ipſa non ſuffragari Caſui, de quo agitur; ſi dictorum Privilegiorum verba obſcura ſint & ambigua, non eſſe ad Metropolitanum provocandum, ſed, cùm ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, dictorum Privilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicæ judicio, prout aliàs Conſtitutione Prædeceſſoris noſtri, &c. fel. rec. Clementis IV. ſtatutum fuit, eſſe exequendum.

Non obſtantibus quibuſcumque, &c. etiam inſolitis Caſibus.

Datum Romæ anno 1670. undecimo Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno primo.

TRACTATUS LXVIII.

DE CONFESSARIO noſtræ Religionis.

MEum non eſt inſtruere veteranos; ſed juvenes Confeſſarios noſtræ Religionis, eoſque aliqualiter reddere habiles ad Confeſſiones audiendas inter Fratres; quoniam verò dantur nonnulli Caſus magis practici, circa quos ſolet examen inſtitui pro tyronibus, ideò hos tantùm hic ponam, & reſolvam; remittendo reſolutiones longiores, & graviores Senioribus Confeſſariis, ut, beneficio librorum majoris molis, & ponderis, elucidentur. Præmittenda tamen duxi quædam velut *Præludia*, ex quibus illuſtrentur mentes ſtudentium, ac facilitentur Caſuum reſolutiones.

Primum Præludium.

Superiores Generales, & Provinciales habent in ſuos ſubditos Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; ut tradunt com- 1

communiter Canoniſtæ *in Clementina 1. de Rebus Eccleſ non alien. verbo, propriis*; & ſumitur *ex cap. Abbatis, de Privileg. in 6.* Et ratio optima eſt; quia cùm Regulares non ſubdantur Epiſcopis Diœceſanis, ſed immediatè Summo Pontifici, loco ipſorum ſuccedunt noſtri Superiores Generales, & Provinciales quoad regimen ſuorum ſubditorum; ac proinde habent quaſi Epiſcopalem Juriſdictionem in utroque Foro, interno, & externo.

2 Unde ſequitur, quòd approbatio Confeſſarii Regularis pro ſuis Religioſis ſpectat de Jure ad Prælatum ſuum; & nullus Sacerdos poteſt audire Confeſſiones Regularium, niſi à Superiore ipſorum approbatus ſit cum conceſſione Juriſdictionis; quia mens etiam Sacroſancti Tridentini Concilii fuit, circa Regulares in hoc puncto nil innovare, ſed eos curæ, & juriſdictioni ſuorum reſpectivè Prælatorum relinquere, ſicut ab antiquo jure proviſum erat; ut deducitur *ex ſeſſ. 23. capit. 15. de Reformat.* -- ex Barboſa, *in hunc locum numer. 9.* Lezana, *part. 1. capit.* 18. Bordono, *tom. Deciſion. Miſcellan. deciſ. 473. & tom. 2. Variarum reſolutionum, part. 1. reſolut. 34. num. 3.* cum multis DD.

Secundum Præludium.

3 Communis DD. ſententia eſt, quòd Confeſſarius Regularis, ut poſſit licitè audire Confeſſiones ſæcularium, ante approbationem Epiſcoporum, debet priùs examinari, & approbari à Prælato ſuæ Religionis, Generali, vel Provinciali: & habetur *in Clementina, cap. dudum, de ſepulturis.* Eſtque communis omnium Religionum praxis; ideòque Regularis, abſque tali approbatione ſui Superioris implicita, vel explicita, procurans approbationem pro ſæcularibus ab Epiſcopo, eaque utens, illicitè facit; quamvis validè abſolvat. *Illicitè facit*: quia operatur contra Canonem citatum, ac mentem Superioris. *Validè tamen abſolvit*: quia requiſita ad abſolvendos ſæculares pœnitentes ex Tridentino; *loc. citat.* ſunt duo tantùm, *Approbatio, & licentia Epiſcopi illius Diœceſis*. Ita Rodericus noſter, Brancatus, & alii DD. cum Maſtrio, *Moral. diſp. 21. num.* 208.

Tertium Præludium.

Item communis DD. ſententia eſt, Regulares poſſe de licentia ſuorum Superiorum confiteri Sacerdoti ſive Regulari, ſive Sæculari non approbato ab Epiſcopo; quia Concilium (loc. cit. cap. 15. ſeſſ. 23.) apertè tantùm excipit *Sæculares pœnitentes* quoad valorem abſolutionis; ſicque relinquit perſonas Religioſas diſpoſitioni ſuorum Superiorum, ſecundùm jus antiquum; atqui *ante Tridentinum* licebat Regularibus confiteri Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo; ergo, &c. -- Unde ſi alicui Religioſo concederetur licentia à ſuo Prælato eligendi ſibi Confeſſarium in communi: quemcumque videlicet Sacerdotem: ſequeretur, quòd, facta electione de uno, ſive Regulari, ſive Sæculari, talis Sacerdos electus ſtatim acciperet pro illo actu Juriſdictionem delegatam à Prælato ipſius Religioſi eligentis: ergo approbatio Epiſcopi in hoc non eſt omninò neceſſaria. Ex Barboſa, *ſupracit. num. 15.* & Bordono, *locis citatis, deciſ. 473. & reſol. 34.* 4

Quæ quidem licentia confitendi cuilibet Sacerdoti, ſive ſimplici, ſive Confeſſario extra ordinem, non ſemper debet neceſſariò eſſe expreſſa, ſed ſufficit aliquando tacita, & rationabiliter præſumpta; maximè quando adeſt vel neceſſitas, vel conſuetudo tolerata à Superioribus Majoribus: ex Bordono, *reſol. cit. num. 22.* & Sporerio noſtro, *tom. 3. part. 3. cap. 6. numer. 683.* Tum quia Superiores Regularium non debent eſſe nimis Zelotypi, vel ſeveri, erga ſuos ſubditos in danda hac facultate, & licentia confitendi extra Religionem, poſita aliqua neceſſitate; ut vidimus ſuperiùs, *tract. 67. num. 96. & 98.* & videbimus infrà, n. 20. & 29. igitur faciliores cùm ſint, rationabiliter etiam præſumuntur contenti de tacita eorum licentia, (ſaltem pro non reſervatis) quæ æquivalet expreſſæ; ex Faventino Fabro, *tom. de pœnit. diſp. 25. num. 89.* 5

Quartum Præludium.

Opinio aliqua verè probabilis de juriſdictione requiſita ad abſolvendum dat ipſammet juriſdictionem: ut probavimus, *tract. 67. à num. 50.* -- Et ſimiliter error communis; ut pariter probatum fuit ibi, *numer. 47. & ſeq.* Quæ omnia, & ſingula 6

majorem debent habere locum in caſibus Confeſſionum inter Religioſos, qui majori vinculo Charitatis, & fraternitatis conjuncti ſunt, quàm Confeſſarii ſæcularium cum ipſis ſuis pœnitentibus.

7 Hoc punctum eſt valdè notandum: utpotè neceſſarium ad ſequentes reſolutiones, de quibus (ferè omnibus) adeſt opinio pro utraque parte; ea tamen in praxi videtur ſequenda, quæ favorabilior eſt pœnitentibus: *ex l. Semper in dubiis, ff. de regul. Juris*, & Lezana, *p.* 4. *V. Opinio, num.* 11.

Quintum Præludium.

8 Noſtra Religio diſtincta eſt in duas Familias, *Obſervantium* videlicet, & *Reformatorum* cum diſtinctione Provinciarum, & Superiorum tam Provincialium, quàm localium, ſeu Guardianorum; hac diſtinctione non obſtante, remanet eadem Religio eſſentialiter *Una*, & indiviſa uſque adhuc propter unitatem *Capitis*: quia ambæ Familiæ reguntur ab uno, eodemque Miniſtro Generali totius Ordinis. Quapropter Provinciæ utriuſque Familiæ dici meritò poſſunt *Provinciæ ejuſdem Religionis de Corpore Obſervantiæ*. Ex Viridario Seraphico P. Petri Antonii Veneti, *tom.* 1. *parte* 1. *cap.* 4. & Orbe Seraphico, *tom.* 1. *l.* 3. *cap.* 10. *&c.*

9 Miniſter Generalis totius Ordinis noſtri accipit ſuam Juriſdictionem Regularem à Confirmatione, vel potiùs à legitima Electione, qua poſita, electus cenſetur ſtatim confirmatus ex Privilegio Clementis Papæ Quarti: unde à Summo Pontifice emanat iſta juriſdictio in totam Religionem noſtram. Miniſter Provincialis habet ſuam juriſdictionem à Generali. Superior Localis, ſeu Guardianus recipit ſuam Juriſdictionem à Provinciali. Confeſſarius Fratrum noſtrorum habet ſuam Juriſdictionem vel à Generali, ſi ab eo approbetur: vel à Provinciali, ſi ab iſto (ut regulariter fit) eligatur, & approbetur. Et quilibet ex ſupradictis vocatur, & eſt *proprius Sacerdos* quoad Juriſdictionem Fori interni, & Sacramentalis Confeſſionis Religioſorum: ex Fabro Faventin. *de pœnit. diſp.* 25. *num.* 89. — *His notatis*.

Quæro I. *Inter Fratres noſtræ Religionis quinam gaudent Privilegio eligendi ſibi Confeſſarium?*

10 ℞. Prælati omnes; & ſunt Generalis Miniſter, Commiſſarius Generalis, Provincialis, Commiſſarius Viſitator, Commiſſarius Curiæ, & Procurator Ordinis: Iſti enim ſunt Superiores Majores: *Item* Superiores locales Conventuum, qui *Guardiani* nuncupantur, & ſunt verè Prælati; prædicti omnes, & ſinguli non ſolùm in loco ſuæ Juriſdictionis, verùm etiam extrà, quocumque in loco reperiantur habent Privilegium eligendi ſibi in Confeſſarium aliquem Sacerdotem idoneum: & hoc Privilegium eſt perſonale, ratione tamen Officii, & Dignitatis, qua ceſſante, ceſſat & illud. *Ex Comp. Sanctorii. V. Confeſſarius, num.* 13. & Bordono, *tom.* 2. *reſolut.* 34. *num.* 28.

Quæro II. *Prædicti quemnam Sacerdotem poſſunt eligere?*

℞. Poſſunt eligere quemvis idoneum 11
ſui Ordinis, & in ejus defectu extraneum quemlibet; quia electus ab eis jam cenſetur approbatus per ipſam electionem. — Bord. *cit. & Sanct. cit. & ex dictis, n.* 4.

Quæro III. *Vicarii Conventuum habentne eamdem Auctoritatem eligendi ſibi Confeſſarium?*

℞. Quando Vicarius abſolutè, & in- 12
dependenter à Guardiano regit Conventum, eamdem habet auctoritatem, ac Guardianus: ut puta quando Guardianus per multos dies abeſt. *Ex Sanctor. cit.* At Peyrinus, & Diana tenent, quòd abſente Superiore Locali etiam per unum diem naturalem, Vicarius gaudet tali Privilegio; quia tunc cenſetur abſolutè Superior Domus Religioſæ. Vide Summam Dianam Cotonii. *V. Abſolvere à Reſervatis*, & licèt ibi loquatur de licentia danda alteri, valet tamen ad propoſitum, ſtante opinione *Sanctorii cit.*

Quæro IV. *Fratres ſubditi habentne aliquod Privilegium, aliquando eligendi ſibi Confeſſarium?*

℞. Semel in vita, & iterùm in pericu- 13
lo mortis, etiam replicato, magnum, amplumque habent Privilegium eligendi ſibi Confeſſarium, à quo abſolvantur ab omnibus peccatis, & cenſuris aliàs Reſervatis. Et quamvis probabile ſit, talem Confeſſarium debere eſſe unum ex approbatis; probabilius tamen eſt, ſufficere ſimplicem Sacerdotem; nam facta electione habetur pro approbato mihi eligenti. Portellus, *V. Confeſſor erga Fratres, numero* 15. Summa Diana, *cit. nu.* 19. Juniperus noſter, *part.* 1. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 1. *cap.* 1. *n.* 3. *& cap.*

& cap. 2. num. 1. & quæſt. 4. cap. un. num. 3.

Quæro V. *Guardiani, & alii Pœnitentiarii poſſuntne uti pro ſe ipſis facultate paſſiva abſolutionis à reſervatis?*

14 ℟. Affirmativè. Quia Delegatus ad univerſitatem cauſarum, & accipiens Juriſdictionem poteſt ſubdelegare; atqui Guardianus, & quilibet Pœnitentiarius eſt delegatus ad univerſitatem reſervatorum in Religione; ergo poteſt ſuam auctoritatem ſubdelegare Confeſſario ſimplici, ut iſte valeat illum abſolvere, &c. aliàs eſſet deterioris conditionis in ordine ad ſe. Ex P. Morono, *reſp. 76. numer. 153.* Bordono, *tom. dub. regul. reſolut. 39. num. 63.* — Hieronymo Roderico, *reſolut. 3. numer. 12.* & ex prædicto Bordono ampliùs, *Deciſ. Miſcell. deciſ. 75.*

Quæro VI. *Guardianus poteſtne inſtituere aliquem Sacerdotem in Confeſſarium ad abſolvendum ſibi ſubditum, etiam à reſervatis?*

15 ℟. Negativè; quia auctoritas Guardianorum in hoc fuit eis reſtricta, ſeu impedita per Statutum Generale. *Solùm autem poteſt* his temporibus *Guardianus noſter* concedere ſubdito Sacerdoti Confeſſario (jam approbato à Provinciali) licentiam, ut hic, & nunc (per modum tranſeuntis poteſtatis) abſolvat aliquem ex ſuis ſubditis à peccatis reſervatis. Et hoc poteſt toties, quoties petitur. Ita omnes Scriptores Moraliſtæ noſtræ Religionis: ut P. Emanuel Rodericus, Corduba, Miranda, Portellus, & alii cum P. Hieronymo Roder. *reſol. 3. num. 13.*

16 Hoc idem licebit Vicario in abſentia Guardiani; quia pro illo tempore cenſetur Superior, ac Viceguardianus; Ita etiam cum aliis docet Quintanadvenas, *tract. 3. ſingul. 13.*

Quæro VII. *Pœnitentiarius deſtinatus pro uno Conventu, durante ejus facultate, poteritne itinerando, vel extra illum Conventum per aliquot dies, vel menſes morando, abſolvere fratres noſtros à reſervatis?*

17 ℟. Affirmativè. Ratio eſt; quia facultas Pœnitentiarii videtur eſſe ordinaria, & perſonalis, utpote ei communicata à Religione *vigore Decreti*, ſeu *Conſtitutionis Clementis Papæ Octavi: de Caſibus Reſervatis Regularium. Dat. 26. Maji* 1593. & poſtea confirmati, & ampliati *ab Urbano P. VIII.* ut videre eſt apud P. Juniperum noſtrum: de hac materia ex profeſſo tractantem. Tum quia facultas iſta tamquam de materia favorabili, & quandoque neceſſaria pro ſalute Animarum potiùs amplianda, quàm reſtringenda. Tum quia juriſdictio inter Regulares, ſpecialiter noſtræ Religionis, non clauditur Territorio; *noſtrum enim Territorium in ſpirituali, ac interno Foro eſt Univerſus Orbis terrarum*; quia ex vi Regulæ ſumus *tamquam advenæ, & peregrini in hoc ſæculo*, V. Bordonum *Conſ. Regul. Reſol. 39. quæſt. 26. num. 65.*

Quæro VIII. *Quando aliquis Pœnitentiarius deſignatus pro hoc Conventu moritur, aut totaliter diſcedit, vel removetur, quiſnam de Jure ſuccedit loco ipſius?*

℟. Donec Provincialis non providerit de alio, ſtatim intelligitur ſubrogatus antiquior Confeſſarius illius Conventus. *Ita ex Statutis Generalibus noſtræ Reformatæ Religionis: & Comp. Sanctorii, V. Caſus, numer. 23.* Non ergo quælibet abſentia unius Pœnitentiarii dat alteri Jus ſubrogationis; ſed ſolùm totalis, vel ad plures dies, ne diutiùs Conventus privetur commodo pro futuris contingentibus. 18

Quæro IX. *Religioſus ſive per ſe ipſum, ſive per ſuum Confeſſarium petit facultatem à Superiore, Guardiano, aut Provinciali, aut Generali, pro aliquo caſu reſervato, & Superior negat: quid Juris?*

℟. Petita facultas negata à Superiore conceditur petenti à Papa, *ipſo facto.* Ita decrevit Urbanus Octavus, qui poſteaquàm retulit, ac confirmavit Decretum Clementis VIII. editum anno 1593. Maji 26. hanc addidit amplam facultatem, his verbis: *Sanctitas ſua deinceps declaravit, ut ſi hujuſmodi Regularium Confeſſariis Caſus alicujus reſervati facultatem petenſibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta facultate à Superiore, abſolvere.* — Lege Quintanadvenam, *tract. 3. ſingular. 11. numer. 4.* Thom. Tamburrinum, *libr. 5. de Pœnit. Tractat. de Caſ. Reſerv. capit. 7. §. 2. numer. 40.* Summam Dianam, Cotonii, *V. Abſolvere à Reſervatis, numer. 14.* — Naldum Faventinum *in Summa, V. Religioſus, numer. 44.* ubi ponit Decretum per extenſum, Bordonum, *tom. Dub. Regul. reſol. 39. num. 50.* & alios DD. 19

Quæro X. *Peccaretne mortaliter ille Superior, negando prædictam facultatem?*

℟. Utique. Ita tenent Panormitanus, Sylveſter, Enriquez, Fagundez, uterque 20

Digitized by Google

Rodericus noſter, Coninchius, Megala, Molfeſius, Soto, Angelus noſter, Armilla, Turrianus, Navarrus, & alli apud Quintanadvenam, *tract. 3. ad Pœnit. Sacram. Singulare 13. num. 5.* & etiam D. Thomas, *in 4 diſt. 17. quaſt. 3. art. 3. quaſtiunc. 4. ad 6.* ubi ait: Peccaret Sacer-
„ dos (Superior) ſi non eſſet facilis ad
„ præbendam licentiam alteri confitendi;
„ quia multi ſunt adeò infirmi, quòd po-
„ tiùs ſine Confeſſione morerentur, quàm
„ tali Sacerdoti confiterentur.
„ Unde illi Superiores, (qui ſunt nimis
„ ſolliciti, ut conſcientiam ſubditorum per
„ Confeſſionem ſciant) laqueum damnatio-
„ nis multis injiciunt, & per conſequens
„ ſibi ipſis. *Hac S. Doctor*, qui valet pro
„ centum.

21 Et ſapientiſſimus Suarez, *tom. de pœ-*
„ *nit. diſt. 47. num. 5.* dicit: Crudele, tyran-
„ nicum, & planè periculoſum eſt; velle,
„ ut ſubditi ſibi confiteantur, ut per eam
„ confeſſionem ipſi Superiores accipiant no-
„ titiam eorum, quos emendare volunt,
„ errorum, &c. quia non poteſt non hoc
„ reddere Confeſſionem odioſam ſubditis:
„ & quia Superior exponit moraliter ſuos
„ ſubditos periculo committendi Sacrilegia,
„ tacendique peccata graviora in Confeſſio-
„ ne.. Quibus Suarezii verbis conſonant verba Pontificia Clem. VIII. in dicto Decreto: confirmato ab Urbano pariter VIII.

Quæro XI. *Licebitne ſaltem Superiori, cùm ab eo facultas prædicta petitur, facere aliquam interrogationem, ex qua pœnitentem conjicere valeat?*

22 ℞. Minimè licet, Ut docent paſſim DD. omnes, quos mihi vedere licuit; ratio eſt manifeſta; quia retraherentur Subditi à petendo (etiam per Confeſſorem) hujuſmodi facultatem. Lege Valerium Reginaldum in ſua magna *Praxi Fori Pœnitentialis, lib. 8. num. 51.*

Quæro XII. *Licebitne Superioribus uti ad exteriorem gubernationem notitia, quam de ſubditorum peccatis in Confeſſione aliquando habuerunt?*

23 ℞. Etiam hoc eſt prohibitum in Decreto cit. Clementis Octavi: ubi habentur hæc præciſa verba: *Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarii, qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*. Ratio eſt eadem, quæ ſuprà adducta fuit, *numer. 20. & 21.*

Quæro XIII. *Eſtne licita, & valida Confeſſio mutua inter Fratres Obſervantes, & Reformatos ubique locorum?*

℞. Videtur, quòd ſic. Ratio eſt: quia 24
ambæ familiæ, (ut notavimus ſuprà, num. 8. & 9.) formant uſquemodò unam totalem Religionem *unitate Capitis*: & quilibet Confeſſarius approbatus in noſtra Religione cenſetur unicuique Fratri noſtro tamquam *proprius Sacerdos*. Tum quia: Sacerdos approbatus pro Fratribus ſiveab uno, ſive ab altero Provinciali videtur idoneus Confeſſor pro omnibus Fratribus totius Ordinis per univerſum Orbem terrarum Miniſtro noſtro Generali ſubjectis; ſi ergo ſumus uniti, quis nos ſeparabit in Juriſdictione Fori interni, & Sacramentalis; Solus Papa.

Tum quia Acta capitularia, (inter quæ utiquè ſunt electiones, & approbationes Confeſſorum utriuſque familiæ) confirmantur à Generali Miniſtro ſive immediatè, ſive mediante Commiſſario Viſitatore aſſiſtente Capitulis; ergo noſtri Confeſſarii cenſentur approbati pro Fratribus totius Ordinis. Tum quia conſuetudo habet vim legis, & juriſdictionis; atqui viget conſuetudo hujus laudabilis mutuæ Confeſſionis tam activæ, quàm paſſivæ ergo, &c.

Objicies. Duo Provinciales in ſuis reſ- 25
pectivè Provinciis, ſunt veluti duo Epiſcopi in ſuis Diœceſibus ſeparatis; atqui Confeſſarius approbatus ab uno tantùm Epiſcopo non valet (noſtris his temporibus) audire Confeſſiones in Diœceſi alterius, abſque hujus etiam approbatione; ergo à ſimili de Confeſſario noſtræ Religionis judicandum erit.

℞. Nego paritatem; & ratio diſparitatis eſt manifeſta; nam quòd his temporibus non poſſit Confeſſarius Regularis approbatus ab uno Epiſcopo audire Confeſſiones ſæcularium in altera Diœceſi, ubi non eſt approbatus, habemus manifeſtam declarationem Pontificiam, ut vidimus fundatam in textu Tridentini Concilii, *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reform.* Quòd autem Confeſſarius Regularis approbatus à ſuo Provinciali ad audiendas Confeſſiones ſuorum Religioſorum non valeat exercere tale Officium in aliena Diœceſi ejuſdem Religionis, *non habemus huċuſque ullam Declarationem Papalem, neque Generalem*; quinimò ex textu ipſiuſmet Concilii

cilii colligitur oppoſitum ; nam Concilium , *loc. cit.* dogmatizando, & univerſam docendo Eccleſiam dicit , ibi: De-
» cernit tamen Sancta Synodus , nullum et-
» iam Regularem (Sacerdotem) poſſe Con-
» feſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum au-
» dire , nec ad id idoneum reputari , niſi
» aut Parochiale Beneficium , aut ab Epiſ-
» copis per examen , ſi illis videbitur eſſe
» neceſſarium , aut aliàs idoneus judicetur,
» & approbationem , quæ gratis detur , ob-
» tineat ; privilegiis , & conſuetudine qua-
» cumque , etiam immemorabili , non ob-
» ſtantibus. Hæc Concilium , *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione*.

26 Ubi DD. paſſim obſervant , nullam mentionem hic feciſſe Concilium *de Confeſſionibus Regularium inter ſe*; ut notavi in *primo Præludio hujus Tractatus*. Cùm ergo Concilium non coarctaverit Juriſdictionem Confeſſariorum Regularium inter ſe , ſequitur à contrario ſenſu , poſſe iſtos audire Confeſſiones ſuorum Religioſorum in toto mundo; nam *exceptio firmat Regulam in contrarium*; ut alibi vidimus .

27 *Præterea* : patet diſparitas prædicta ab effectibus; nam Epiſcopi utique proclamarent , ſi ſcirent , aliquem Regularem audire Confeſſiones in ſua propria Diœceſi , ſine eorum approbatione ; At Miniſtri Provinciales noſtri ex utraque Familia ſciunt , vident, & non proclamant ; ergo approbant , &c. Ego teſtis : In Sacro Monte Alvernæ quidam advena Sacerdos noſtri Ordinis (qui in ſua Provincia erat Confeſſarius) requiſitus ab aliquibus fratribus illius Sacri Montis , ut dignaretur audire eos in Confeſſione , ipſe renuit , allegando , ſe non eſſe approbatum à Miniſtro Provinciali Tuſciæ ; ſcribunt excuſationem , & allegationem prædicti Patris advenæ , ac mittunt ad Reverendiſſimum P. Commiſſarium Generalem noſtrum , qui reſpondit , *Confeſſarium approbatum in ſua Provincia , ſine ſcrupulo poſſe audire Confeſſiones fratrum in toto mundo* ; ergo , &c.

Præterea: patet diſparitas allata ex alio manifeſto principio , nempe quia Miniſtri noſtri Provinciales non ampliùs validè poſſunt ſibi reſervare Caſus ; ergo à primo ad ultimum *Provincia noſtra* non ſunt velut *Epiſcopatus diverſi* in hac materia , &c. *Vide dicenda infrà , num. 39.*

Quæro XIV. *Fratres noſtri itinerantes , vel quæſtuantes , aut concionantes , vel quovis alio titulo de licentia Superiorum ad notabile tempus morantes extra Conventum , ubi non eſt copia Confeſſarii Religionis , poſſuntne licitè , & validè confiteri cuivis Confeſſario ſæculari , aut alterius Ordinis Regulari?*

℞. I. Quòd ſic ; proboque authoritate 28
viginti Doctorum Moraliſtarum , qui hoc tenent : omnes vidi in fonte cum patientia , ad convincendos quoſdam fratres , id credere recuſantes .

Ex noſtris : P. Juniperus à Drepano *de Caſibus reſervatis , part. 1. 2. diſput. 3. qu. 3. capit. 1. & 2.* -- P. Emanuel Rodericus *QQ. Regular. tom. 1. quæſt. 62. artic. 5. §. Advertendum etiam* . P. Hieronymus Rodericus , *in Comp. reſolut. 32. numer. 22.* -- P. Miranda , *tom. 2. quæſt. 33. artic. 6. concluſ. 1.* -- P. Portel , *dub. Regular. V. Confeſſor Regularis erga Fratres , numer. 11. & 12.* P. Sanctorius *Comment. ſtat. general. cap. 7. ſtat. 1.* -- P. Anton. à Candelaria , *in Brev. Scot. part. 4. quæſt. 5. fol. mihi 472.* -- P. Marchant , *in Tribunal. tom. 1. tractat. 2. titul. 1. quæſt. 3. concluſ. 6. §. 2.* -- P. Sporer , *tom. 3. part. 3. capit. 6. numer. 685.* Et P. Felix Poteſtatis Panormitanus , *tom. 1. num. 3448.*

Ex alienis P. Peyrinus , *tom. 1. de Subdito , quæſt. 1. capit. 21. §. Dico 7. & 8.* -- P. Lezana , *part. 1. capit. 18. numer. 27. & part. 5. in Mare Magno Minorum §. 32.* -- P. Bordonus , *tom. Conſil. Regul. reſol. 24. numer. 2. & reſolut. 34. numer. 22. & tom. 2. Operum , part. 1. Reſolut. 34.* -- P. Layman , *libr. 5. tractat. 6. capit. 10. numer. 20.* -- P. Buſembau , *libr. 6. tractat. 4. cap. 2. dub. 3. num. 9.* P. à Caſtropalao , *part. 4. tract. 23. punct. 14. numer. 12.* -- P. Homobonus *in Exam. Eccleſiaſtic. part. 1. tractat. 4. quæſt. 148.* -- P. Quintanadvenas , *tractat. 3. ſingulare 12.* P. Diana Coordinatus , *tom. 7. tractat. 1. reſolut. 94. ad 98.* -- Et P. Magnus Suarez , *tom. 4. de Relig. libr. 2. capite 17. num. 10.* ubi ait: Certum enim eſt , Religioſo peregrinanti nec debere , nec poſſe denegari facultatem , ut alicui Sacerdoti confiteri poſſit : quia hæc neceſſaria licentia , conſiderata hominis fragilitate , & ſecluſa etiam præciſa neceſſitate , ad majorem confert perfectionem , &c. Hæc Suarez .

℞. II. *Quòd autem poſſint* : probo ſic . 29
Religioſi de expreſſa licentia ſuorum Superiorum poſſunt extra Religionem cuilibet Sacerdoti confiteri : *ut notavimus ſuperiùs*

periùs num. 4. ergo hoc poſſunt etiam de licentia tacita, incluſa in ipſamet facultate morandi extra Conventum. *Probo conſequentiam*. Taciti, & expreſſi idem eſt judicium in favorabilibus, ut dicunt Juriſtæ; maximè quando ex mente concedentis, vel ex conjecturis neceſſariò colligitur; quia tunc *Tacitum æquipollet Expreſſo*. Atqui in licentia morandi extra Conventum includitur tacitè licentia Sacramenta frequentandi; ergo, &c. Tum quia, non eſt rationabile, nec credibile, quòd noſtri Superiores nolint ſubvenire neceſſitati, aut utilitati ſpirituali ſuorum Religioſorum; ſed magna quandoque eſt neceſſitas (ſemper autem magna utilitas) in frequentanda Confeſſione Sacramentali catholico modo; ergo, &c. Tum quia Religioſi itinerantes non debent eſſe deterioris conditionis in bonis ſpiritualibus, quàm ſæculares; ſed ſæculares omnes itinerantes de licentia expreſſa, vel tacita proprii Epiſcopi, vel Parochi, poſſunt confiteri cuilibet Confeſſario approbato ubique locorum; ergo à fortiori Religioſi, qui ex vi Regulæ, & Profeſſionis tenentur (magis, quàm ſæculares) tendere ad Perfectionem Chriſtianam, ad bonum exemplum, ad ædificationem populi. Certè apparet quid ſcandaloſum, vel ſaltem admirativum, videre V. G. Concionatorem, qui aliis ſuadet frequentiam Confeſſionis, remanere inconfeſſum per totam Quadrageſimam: aut videre Fratres laicos in villa commorantes ad quæſtuandum die ſolemni, quo ferè omnes ſæculares confitentur, & communicant, remanere inconfeſſos, & incommunicatos; & ſic de ſimilibus caſibus.

30 ℟. *III. Et quandoque tenentur confiteri*. Probo ſic. Tridentinum, ſeſſ. 13. cap. 7. docet, ibi: Eccleſiaſtica conſuetudo de-
,, clarat, eam probationem neceſſariam eſ-
,, ſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis pecca-
,, ti, quantumvis ſibi contritus videatur,
,, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſio-
,, ne ad Sacram Euchariſtiam accedere de-
,, beat. Quod à Chriſtianis omnibus, etiam
,, ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio in-
,, cubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus
,, perpetuò ſervandum eſſe, decrevit. *Hæc Concilium*. Subſumo:

At quandoque accidere poteſt, ut Religioſus Sacerdos ſit conſcius peccati mortalis, ac neceſſitatem habeat celebrandi, (dum extra Conventum commoratur) aut velit celebrare ad fugiendum ſcandalum; ergo in tali caſu tenetur præmittere Confeſſionem Sacramentalem; idem dicendum de Fratre Laico in ordine ad communionem.

Objicies I. Statuta noſtra generalia, capit. 9. num. 21. decernunt, quòd *non liceat Fratribus confiteri extra Ordinem, niſi in caſu neceſſitatis*. 31

℟. Patet ex dictis, quòd tale Statutum non loquitur de itinerantibus, nec de commorantibus extra Conventum per notabile tempus; ergo non urget; imò eſt ad propoſitum; nam Caſus noſter aliquam continet neceſſitatem vel communem, vel gravem; ergo ex vi ſtatutaria Fratres poſſunt confiteri extra Ordinem; nam *exceptio firmat regulam in contrarium*. Statutum dicit: *Niſi in caſu neceſſitatis*; atqui ſumus in caſu alicujus neceſſitatis, ergo ex vi hujus Statuti poſſumus in dicto caſu confiteri extra Religionem.

Objicies II. Honeſtati, ac decori Religioſi habitus congruit, ne peccata mortalia confiteantur Sacerdoti ſæculari, ne propalentur poſtea in circulis in contemptum Religionis; ergo, &c. 32

℟. Apud omnes Catholicos DD. & Confeſſarios notum eſt, *Confeſſionem Sacramentalem; etiam peccatorum maximorum, non infamare pœnitentes*; aliàs Confeſſio non eſſet medicina ſalutaris, ſed damnoſa. Abſit ergo à nobis iſte ſcrupulus, ne dicam, iſta temeraria ſuſpicio. *Ubinam eſt ſigillum Sacramentale? Ubi certitudo ſecreti?* Non minùs tenemur nos (Religioſi Confeſſarii) tacere peccata Sacerdotum ſæcularium, quàm ipſi noſtra.

Objicies III. Si Religioſus caderet in aliquod reſervatum, & neceſſitatem haberet celebrandi, tunc, etiamſi adeſſet Confeſſarius approbatus pro ſæcularibus, non cenſeretur tamen *idoneus pro Religioſo*; ergo tunc poſſet cum ſola contritione celebrare. 33

℟. Nego, quòd talis Confeſſarius non ſit idoneus; ratio patet ex dictis, *in tractat. 67. num. 76.* quia magis urget præceptum Divinum de præmittenda Confeſſione ante ſumptionem SS. Euchariſtiæ, quàm quodlibet præceptum merè humanum, vel Eccleſiaſticum. In tali igitur caſu Religioſus obligatus foret ad confitendum illud reſervatum ſimul cum aliquo ſaltem veniali, aut mortali aliàs confeſſo, cum onere iterùm confitendi illud reſervatum

tum

tum apud Pœnitentiarium Ordinis noſtri.

34 *Hoc dico*; quia ſuppono, quòd Religioſus ille non habeat facultatem ſpecialem à Superiore, ut abſolvatur extra Ordinem ab omnibus etiam reſervatis; & quòd non ſit Prælatus, nec Pœnitentiarius; quia, regulariter loquendo, illa facultas expreſſa, vel tacita confitendi extra Religionem, ſolùm videtur ſe extendere *ad peccata non reſervata* in Ordine noſtro. Dico in *Ordine noſtro*; quia circa peccata reſervata Epiſcopis, nulla eſt difficultas; omnes etenim ſciunt, Regulares non eſſe in hoc caſu obligatos legibus Epiſcoporum, ſtantibus Privilegiis; tunc enim (ut notavimus ſuprà, num. 4.) Juriſdictio, quam acquirit Confeſſarius extra Ordinem ad abſolvendum Religioſum, non datur ab Epiſcopo, ſed à Superiore Regulari, facta electione. Unde ſequitur, quòd, juxta menſuram facultatis, quam hic, & nunc habet Religioſus, (dum confitetur Sacerdoti ſive ſæculari, ſive Regulari alterius Inſtituti) communicatur ſtatim, ſeu delegatur ipſamet facultas Sacerdoti electo, ut valeat Religioſum illum abſolvere.

35 *Poteſt ergo*, & quandoque debet, Religioſus cum Obedientia extra Monaſterium morans in loco, ubi non eſt copia Sacerdotis Ordinis noſtri, confiteri Sacramentaliter apud quemcumque Confeſſarium ſive ſæcularem, ſive Regularem (etiamſi pro ſolis Religioſis proprii Inſtituti foret approbatus,) confiteri, inquam, omnia ſua peccata, etiam reſervata; cum onere (quoad reſervata tamùm) iterùm confitendi apud Pœnitentiarium Ordinis. Et hæc doctrina, ut patet, eſt fundata, & communis apud omnes, (qui libros noveſint ſcrutari) & in praxim ducta ab omnibus Religioſis cujuſvis Ordinis, & Inſtituti, cui cupiunt ſalutem, & perfectionem propriam, ac decorem Religionis.

Petes hìc conſequenter. An duo Religioſi Sacerdotes ſimplices ex meræ facultate Superioris (ſive Generalis, ſive Provincialis, ſive Localis) ſimul itinerandi, aut morandi notabili tempore extra Conventum, poſſint licitè, & validè ſe invicem audire in Confeſſione, & abſolvere ſaltem à non reſervatis pro illo tunc?

℟. I. Portell. *dub. regul. V. Confeſſor Regularis erga Fratres, num.* 14. aliique DD. tenent, quòd non; quia nulla adeſt conſuetudo ſic faciendi, neque præſupponitur licentia tacita Superiorum quoad abſolvendum activè, licèt præſupponatur ſemper, ut vidimus, quoad paſſivè abſolvendum, vel abſolvi ab aliquo Sacerdote aliàs approbato ſive pro ſæcularibus, ſive pro alterius Ordinis Regularibus; plus enim requiritur ad activam, quàm ad paſſivam abſolutionem.

℟. II. Bordonus autem *tom.* 2. *Operum, part.* 1. *Variarum Reſolutionum, reſolut.* 34. tenet, quòd ſic; quia, inquit, adſunt Privilegia Innoc. VII. & Sixti IV. à quibus Pontificibus conceſſa eſt talis facultas Dominicanis, & Franciſcanis itinerantibus eligendi ſibi in Confeſſarium *quemcumque idoneum Sacerdotem Religioſum, vel ſæcularem*; & non dicunt, quòd electus debeat eſſe jam Confeſſarius, vel approbatus, &c. atqui ubi Lex, vel Privilegium non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, ſecundùm vulgata Jura; igitur Religioſus Sacerdos, ſic electus ab altero, eo ipſo acquirit Juriſdictionem ſibi collatam à Summo Pontifice in caſu prædicto ex vi Privilegii.

Utinam aliquando Generale Capitulum noſtri Ordinis hanc, & alias auctoritativè reſolveret difficultates, quæ ſolent torquere judicium, & conſcientiam Confeſſariorum! Tunc enim opiniones tranſirent in manifeſtas Deciſiones.

Quæro XV. *Confeſſarius ſimplex noſtræ Religionis poteſtne audire Confeſſiones noſtrorum Tertiariorum, & hominum, qui morantur in Conventu die, noctuque pro ſervitio Fratrum?*

℟. P. Bordonus, *in Dubiis, vel Conſiliis Regularibus, reſol.* 34. *num.* 41. dicit, quòd ſic: & probat adducendo varia Decreta, & Privilegia; tum quia iſti acquirunt quaſi domicilium in Religione: & ſubjiciuntur Juriſdictioni Conventus. Item P. Marchant, *tom.* 4. *Caſ. reſolut.* 31. *dub.* 2. Item Lezana, *tom.* 5. *Mare magnum Minorum, num.* 25. Item Peyrinus, *tom.* 2. *in Conſtit.* 1. *Julii II.* §. 15. *num.* 14. 36

Quæro XVI. *Prædicti Tertiarii poſſuntne à ſimplici Confeſſario noſtro (idest, non habente facultatem circa reſervata) abſolvi directè à reſervatis in Ordine noſtro?*

℟. I. P. Bordonus, *cit. reſol.* 38. *num.* 5. 37
& P. Lezana, *tom.* 5. *in Mare magno Minorum, num.* 26. dicunt, quòd Tertiarii iſti tenentur ſtare etiam Statutis Ordinis, cui Jure quodam ſe commiſerunt, deferendo habitum ſemiperfectum, hoc eſt, ſine ca-

pucio, & gaudendo Privilegiis Religionis, Canonis, &c.

℞. *II. Alii tenent partem favorabilem*; quia Tertiarii non tenentur in conſcientia ad Regulam; ergo neque ad Statuta; tum quia æquiparantur Novitiis; ſed Novitii poſſunt abſolvi à caſibus Religionis etiam à ſimplici noſtro Confeſſario; ergo, &c. Lege P. Juniperum noſtrum, *part. 3. diſp 17. qu. 7. cap. unic. num.* 10.

38 Circa autem homines ſervientes tamquam perpetuos commenſales, & familiares, videtur idem judicium faciendum; imò magis favorabile, quia ſunt omninò ſæculares, nec gaudent Privilegiis omnibus, ſicut gaudent Tertiarii; licet, ut *familiares* excipiantur à ſubjectione, & juriſdictione Epiſcoporum, quoad receptionem Sacramentorum, ex Conc. Trident. *ſeſſ. 24. de Refor. cap.* 11. ergo cùm minùs ſpectent ad Religionem, minùs quoque adſtricti ſunt Statutis *de Caſibus reſervatis*; ſicque Confeſſarius ſimplex Regularis poterit hos abſolvere à caſibus tam Regularibus, quàm Epiſcopalibus, ſicut Tertiarios. Quòd ſi hoc tibi videtur nimis amplum Privilegium, quære Doctores tibi ſatisfacientes.. Lege Bordonum, *tom. Deciſionum Miſcellanearum: deciſ. ultima, numer.* 22. — vix enim ego invenire potui, quæ ſcripſi.

Quæro XVII. *P. Generalis noſter, vel Provincialis tempore Officii ſui impoſuit Cenſuram*, V. G. ludentibus aleis, aut taxillis; *moritur poſtea, vel ab Officio cadit*: quæritur, an ceſſet talis Cenſura?

39 ℞. *I.* Supponendum eſt, quòd nullus Prælatus Regularis Major, vel minor, poteſt ſibi ullos ad libitum reſervare caſus, ſine Capituli conſenſu expreſſo: ex Decreto SS. D. N. Clementis P. VIII. *anno* 1597. *die 26. Maji edito*, & poſtea confirmato, & promulgato ab Urbano VIII. ut cum aliis docet Quintanadvenas, *tractat. 3. ſingulare* 13. qui pariter ibi dicit (cum Cardinale de Lugo, *tom. de pœnit. diſput. 20. ſect. 4. numer.* 46.) neque poſſe Prælatos ſibi reſervare Cenſuras. Quinimò addo cum Peyrino, *tom. 2. de Prælato, quæſt. 1. cap. 8. numer.* 25. neque poſſe aliquid mandare ſub pœna Excommunicationis ipſo facto; quòd V. G. nullus Religioſus aleis ludat, & ſi ludit, incidat ſtatim in dictam Excommunicationem: quod fuiſſe etiam declaratum à S. Congregat. Regul. ann. 1617. probat Felix Panormit. *tom. 1. num.* 3602. At dato, vel ſuppoſito, quòd poſſit, & validè impoſuerit talem cenſuram.

℞. *II.* Mortuo tali Superiore, vel amoto ab Officio, ceſſat *ipſo facto* cenſura. 40
Ratio eſt: quia caſus, & cenſuræ, quæ vivæ vocis oraculo, ſeu *ab homine* conſtituuntur, tamdiù durant, quamdiù perſeverat Superior, & ejus auctoritas, quia ſicut habent ſuum eſſe à voluntate illius, ſic, ipſo decedente, ceſſant; nam per hoc caſus, & cenſuræ *ab homine* differunt ab illis, quæ ſunt *à Jure, Canone, S tatuto perpetuo*, quæ perpetuæ ſunt: donec expreſsè revocentur a Succeſſore. Tum quia juriſdictio deficit, remota poteſtate; ergo, &c Ita ex Bordono, *de dub. Regul. reſolut. 37. num.* 62.

Quæro XVIII. *Religioſus Confeſſarius noſter ſi temerè abſolveret aliquem Fratrem à caſu reſervato, cujus non haberet auctoritatem, quid incurreret?*

℞. Ultra peccatum mortale, & invali- 41
ditatem Sacramenti, incurreret in excommunicationem ſtatutariam; quæ tamen non eſt latæ ſententiæ formaliter, ſed ferendæ, ut notat P. Thomas à S. Severino, *in Comp. ſtatut. Sanctorii. V. Caſus, num.* 22.

Quæro XIX. *Quinam ſunt caſus reſervati in noſtra Familia Reformata?*

℞. Sunt tredecim, prout leguntur in 42
noſtris Statutis Generalibus factis in Congregatione Generali habita Romæ anno 1642. ſub Pontificatu, & cùm confirmatione Urbani Papæ Octavi: videlicet:

I. Venefizii, incanteſimi, e ſortilegii. “
II. Diſubbidienza contumace: quando “
fatta la terza monizione per un giorno “
naturale il ſuddito perſevera nella diſub- “
bidienza. “
III. Percuſſione grave d' un' altro Reli- “
gioſo, ò Chierico ſecolare. “
IV. Manifeſtazione di coſe, che infa- “
mino la Religione, ò qualche Frate par- “
ticolare. “
V. Peccato di carne volontario, com- “
pito. “
VI. Proprietà di peccato mortale. “
VII. Furto di coſe notabili, ò replicato. “
VIII. Falſa accuſa con infamia dell' ac- “
cuſato, ò dar memoriale falſo in qualche “
Tribunale. “
IX. Falſo teſtimonio in Giudizio. “
X. Falſificazione di mano, ò ſigillo di “
Superiori, ò di Perſona notabile, ò del “
Convento. “

XI. Ma-

„ XI. Malizioſo impedimento, ritardazio-
„ ne, ò apertura di Lettere de' Superiori à
„ Sudditi, de' Sudditi à Superiori.
„ XII. Fare libelli famoſi: conſigliar, ò
„ indurre, che ſi faccino, quando ſi gionge
„ à ſegno, che ſiano eſpoſti, buttati, e in
„ qualſivoglia modo publicati.
„ XIII. Procurare, agiutare, conſigliare
„ aborto animato, ancorchè non ſia ſegui-
„ to l'effetto.

Hi caſus inveniuntur ſic idiomate Italico impreſſi tum in Statutis noſtris; tum in Exam. Confeſſ. Felicis Poteſtatis Panormitani, *tom. 1. num. 3602.*

Breviſſimè proponam pauciſſima dubia circa aliquot iſtorum caſuum pro Examine Confeſſarii noſtri.

Quæro XX. *Quid eſt peccatum proprietatis?*

43 ℞. Eſt peccatum directè contrarium Voto paupertatis Religioſæ; & ſit, quando Religioſus profeſſus facit rem ſuam, cùm nullum in ea re habeat Jus civile.

Quæro XXI. *Quid eſt paupertas Minoritica?*

44 ℞. Paupertas noſtræ Religionis Minorum de corpore Regularis Obſervantiæ conſiſtit in abdicatione omnium rerum temporalium in communi, & in particulari, in quibus verus Frater Minor nullum Jus Dominii, poſſeſſionis, & proprietatis quomodocumque habere poteſt; ſed merum *uſum facti* in rebus ſibi licitis, & neceſſariis.

Quæro XXII. *Quot ſunt modi, vel caſus proprietatis?*

45 ℞. Sunt viginti quinque; videlicet,

I. Poſſidere aliquid, ut proprium.

II. Dicere ex corde aliquid ſuum, vel meum.

III. Manere in aliquo Conventu, vel cella contra voluntatem Superioris.

IV. Clavem cellæ, vel arcæ ſine Superioris licentia ſecum deferre.

V. Deponere aliquid ſine licentia apud ſæculares, tamquam quid proprium.

VI. Vendere res ſibi aſſignatas: item donare res vel ſibi aſſignatas, vel Monaſterii, vel alterius Religioſi: vel quocumque modo alienare.

VII. Locare prata, terras, viridaria, &c.

VIII. Seminare frumentum, vel aliud quodcumque genus tritici intra, vel extra ſepta Conventus, in magna quantitate.

IX. Depoſitum accipere cum obligatione reſtituendi.

X. Reddere, & petere rationes de Jure, vel Juris rigore.

XI. Eleemoſynas annuas, & perpetuas procurare, & acceptare.

XII. Publica Inſtrumenta facere alienationis alicujus rei, V.G. Capellæ, Sepulturæ, & ſimilium.

XIII. Nolle concedere Fratri ſuo uſum alicujus rei communis.

XIV. Recipere oblationes pecuniæ, vel denariorum.

XV. Impatienter conqueri de re ſibi à Superiore ablata.

XVI. Commutare unam rem in aliam ſine licentia.

XVII. Tenere res ſuperfluas, & curioſas.

XVIII. Vendere ligna ſylvæ, vel fructus horti, vel fœnum prati.

XIX. Uti rebus alienis incerti Domini.

XX. Convertere communia in uſus proprios.

XXI. Pactum facere, vel ſe civiliter obligare.

XXII. Reſervare eleemoſynas, & interim alias procurare ſine imminenti neceſſitate.

XXIII. Non ſtatim reſignare Prælato, quæ petuntur, animo retinendi.

XXIV. Contendere civiliter propter eleemoſynas Miſſarum, ſepulturæ mortuorum, &c.

XXV. Et tandem petere ſatisfactionem de damnis illatis Monaſterio ab extraneis.

Omnia hæc, quia Dominium ſapiunt, ſunt actus proprietatis, & contra Votum noſtræ paupertatis, ſi levem excedant materiam. Ut probat P. Sanctorius de Meliſ, *in Commentarios morales Statutorum, & Conſtitutionum generalium Ordinis, &c. cap. 6. ſtat. 1. fol. mihi 475.*

Religioſus igitur noſtri Ordinis, qui in 46
aliquo ex dictis Caſibus proprietatis delinquit in materia notabili, & gravi, ex qua oriatur mortale peccatum, cadit *in Sextum Caſum Reſervatum.*

Quæro XXIII. *Religioſus, qui reciperet pecuniam, vel denarios, quot peccata committeret?*

℞. Duo in ſpecie; unum contra votum 47
Paupertatis, alterum contra præceptum eminens 4 *capit. Regula noſtra.* Vel poteſt dici, quòd eſſet unum peccatum duplicis mali-

Digitized by Google

malitiæ; prima malitia eſt *Proprietas*, altera eſt *receptio pecuniæ, vel denariorum* contra Regulam.

Quæro XXIV. *Quænam eſt differentia inter denarios, & pecuniam?*

48 ℞. Inter nos eſt iſta differentia, quòd *denarii* ſunt ipſæ monetæ aureæ, argenteæ, æreæ. *Pecunia* verò quælibet res, quæ accipitur, ut vendatur. *Ita Patres in Expoſitione Regulæ noſtræ.*

Quæro XXV. *Quid intelligitur per Furtum rei notabilis?*

49 ℞. *I.* Intelligi debet de Furto notabili rerum Monaſterii, ſeu Conventus noſtri; ut colligitur expreſsè ex Decreto Clem. VIII. de Caſ. reſ. Regul. ubi dicitur: *Furtum de rebus Monaſterii, quod ſit peccatum mortale.* Unde furtum rerum extra Conventum non cenſetur reſervatum ex hoc puncto, vel caſu; ſed erit reſervatum ex capite *proprietatis mortalis*; ſi materia fuerit gravis.

50 ℞. *II.* Res autem notabilis in materia furti menſuranda eſt ex dictis *de Furto in Prima parte hujus Lucis Moralis*; breviſſimè hic dicam, quòd probabilior opinio eſt, ad peccatum mortale furti de bonis Conventus requiri materiam excedentem valorem *trium Juliorum Romanorum*. Nulla melior regula prudentiæ æſtimatur à P. Bordono, & ab aliis viris prudentibus, ut teſtatur ipſe ex quodam conſilio ſuper hoc punctum habito: *tom. Dub. Regul. reſol. 19. num. 1.*

Quæro XXVI. *Frater proprietarius poteſtne abſolvi?*

51 ℞. Abſolvi non poteſt à Pœnitentiario, niſi priùs expropprietur, deponendo V. G. pecuniam, vel denarios in manibus Syndici Apoſtolici, vel alterius boni viri ad beneplacitum Superioris. Unde cum Fratre proprietario Confeſſarius debet ſe gerere, ſicut ſe gereret cum concubinario; ut docet P. Felix Panormitanus, *tom. 1. num. 1184.*

Quæro XXVII. *Quid eſt Furtum replicatum, prout cadit ſub reſervatione Caſus?*

52 ℞. Eſt quando frater profeſſus modicum quid furatur de rebus Conventus, ſucceſſivè, replicatis vicibus, & animo continuandi; tunc, quando pervenit ad notabilem quantitatem (quæ in hoc caſu debet judicari duplo major furto prædicto, & totali) conſtituentem peccati mortalis materiam, fit caſus reſervati reus. — Lege quæ diximus de his furtis replicatis, *in prima parte hujus opuſculi*: & Summam Dianam Coronii, *V. Furtum, num. 7. 8. & ſeqq.*

Quæro XXVIII. *Quid ſignificat illud dictum*, Perſonæ notabilis *in Caſu decimo reſervato?*

℞. Sub Nomine *Perſonæ notabilis* veniunt 53
omnes Principes, & Domini oppidorum: inſignes Juris periti, Judices, Medici, Patritii talis loci, ubi peccatum committitur à Fratre: Item Mercatores inſignes, Parochi, Curati, Canonici, Vicarii generales, Foranei Epiſcoporum, Generales, Provinciales, ac Prælati aliarum Religionum. Ita cenſet P. Sanctorius noſter, *cap. 7. ſtat. 5. fol. 543.*

Quæro XXIX. *Peccatum inter duos Religioſos, (quorum unus eſt ſimplex Confeſſarius, alter verò vel laicus, vel Clericus) commiſſum in quacumque ſpecie, poteſtne abſolvi ab ipſomet Complice Confeſſario?*

℞. *I.* Si non ſit de numero reſervato- 54
rum, probabile eſt, quòd poſſit; & probabile etiam eſt, quòd non poſſit; & hoc, non ex defectu Juriſdictionis, quæ hic ſupponitur, ſed ex defectu doloris ex parte pœnitentis, & propoſiti efficacis.

℞. *II.* Si autem eſt de numero reſerva- 55
torum, patet manifeſtè, quòd non poteſt; Quinimò ſi Confeſſarius talis eſſet etiam Pœnitentiarius, *dubium eſt, an poſſit*; quia, audivi à multis fratribus dicentibus, quòd in quodam Capitulo Generali reſervatum fuit hoc *peccatum Complicis*, Ita ut non poſſit omninò Confeſſarius complex criminis abſolvere Fratrem complicem, vel ſocium in eodem crimine. Hoc tamen Decretum novum in noſtra Provincia Bononiæ non fuit publicatum; ideoque dixi, *quòd eſt dubium; publicandum enim erat ubique, vel intimandum à Superiore Provinciæ.*

Quæro XXX. *Dictum eſt*, donare eſſe actum proprietatis; *quomodo ergo ſalvabuntur Fratres, qui donant aliquid Benefactoribus?*

℞. Illud dictum intelligi debet *de Dona-* 56
tione propriè dicta, nempe facta propria auctoritate, & de proprio. Fratres autem donant modicum quid (intra, vel extra Ordinem) pietatis, vel gratitudinis, vel devotionis gratia, aut alia honeſta, & rationabili de cauſa cum licentia expreſſa, vel tacita Summi Pontificis, vel Superiorum, vel etiam ipſorummet Benefactorum, quorum ſunt res illæ donatæ aliis:

ergo

Digitized by Google

ergo non peccant, ut egregiè probat P. noſter Sanctorius: *capit. 7. ſtat. 5. fol. mihi* 535. ex Statutis Papalibus ſub Julio ſecundo: & ex Declaratione Nicolai Tertii ſuper Regulam.

Quæro XXXI. *Pœnitens, qui Confeſſario ſuo (fideli exiſtimato) commiſit rem notabilem reſtituendam, eo non reſtituente, tenebiturne ampliùs ad reſtitutionem?*

57 ℞. Quamvis caſus non pertineat ad hunc Tractat. ac illum reſolverim *in prima Parte, Tract. 35. numer. 71.* nihilominus volo hic aliquid breviter addere ex Bordono, *tom. Deciſ. Miſcell. deciſ. 12.* Dico ergo, quando Pœnitens devenit in cognitionem, Confeſſarium reverà non reſtituiſſe rem ſibi commiſſam, facta etiam inſtantia, ac diligentia debita ad inducendum eum in realem reſtitutionem, eaque non ſecuta, pœnitentem non fore liberum à reſtitutione: Quia debitum ex delicto perit debitori, ſi pereat antequam perveniat ad creditorem; nam creditor aliquid pati non debet ex alterius delicto, neque ex caſu fortuito, in quo caſu debitor tenetur, &c. *ex capit. Un. de Commod. Gloſſ. v. Provideri, cap. final. de homicid.* — Et ſi pœnitens uſus non fuerit ea omni diligentia, quam poterat adhibere, petendo V. G. à Confeſſario ſchedulam conſcribendam à Creditore de tali re accepta, cenſetur in culpa tam in foro externo, quàm interno; ergo, &c. In dubio autem, an Confeſſarius reſtituerit? pœnitens, ſtante tali dubio, ad nil amplius tenetur: imò prudenter debet credere Confeſſarium fuiſſe fidelem adminiſtratorem: aliàs judicium committeret temerarium; quia de nullo præſumendum eſt delictum, niſi contrarium conſtet.

Quid, ſi Confeſſarius prædictus non reſtituens, ſed conſummens, aut diſtrahens, vel donans rem prædictam, eſſet Religioſus?

58 ℞. Peccaſſet, ut patet, contra Votum paupertatis, & contra Juſtitiam. Monaſterium autem ad nihil teneretur, niſi aliquid utilitatis ipſi obveniſſet. Debita enim orta ex delicto Religioſi, etiam Prælati, non debent ſolvi à Monaſterio: ut cum aliis DD. tenet Lezana, *part. vel tom. 1. cap. 2. num. 18.*

Quæro XXXII. *Juvenes, qui de mandato P. Provincialis proximè ingreſſuri ſunt Religionem, dum per aliquot dies morantur in Conventu expectantes Regularem habitum, poſſuntne abſolvi à ſimplici Confeſſario approbato tantùm pro Religioſis?*

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia jam habentur *pro Noviſiis*, & incipiunt ſubeſſe Juriſdictioni Ordinis, & gaudere Privilegiis Religioſorum; nam *Accingendus de brevi habetur pro accincto*: in favorabilibus: ex Lege penult. ff. *de milit. teſtam.* — Ita Peyrinus, *tom. 3. Privil. capit. 3. num. 3.* — Pellizzarius *in Manual. Regular. tom. 2. tractat. 8. cap. 2. ſect. 1. ſubſect. 1.* — Diana Coordin. *tom. 1. tract. 3. reſol. 26. §. 12.* & alibi. 59

Tum quia: ex Bulla Clem. X. incipien. *Superna* habetur: *Poſſe Confeſſarios Regularium eorumdem Monaſteriorum audire Confeſſiones illorum ſæcularium, qui inibi ſunt verè de familia, & continui commenſales.* — Atqui prædicti Juvenes mox ingreſſuri Religionem dicuntur *ibi eſſe de familia, & commenſales continui*; ergo, &c.

Quinimò poterunt abſolvi à reſervatis tam in Religione, quàm in Diœceſi. Ita Naldus Faventin. *in Summa, V. Novitius, num. 7.* & alii DD. cum Diana Coordin. *tom. 7. tract. 2. reſol. 107.* & 108. — Portel, *dub. Regul. V. Novitius, num. 32.* — Bordonus *de Profeſs. Regul. cap. 4. quæſt. 56.* Summa Diana Cotonii, *V. Novitius, numer. 3.* Illuminatus Moronus noſter, *Reſponſ. 85. num. 14.* & alii DD. 60

Unde deduces à fortiori: eos poſſe abſolvi à Magiſtro Novitiorum, vel ab ejus Socio, etiamſi fuerit Confeſſarius pro Religioſis tantùm admiſſus. Vide quæ dixi de Tertiariis, & famulis noſtris, *ſuprà, numer. 36. 37. 38.*

TRA-

TRACTATUS LXIX.

DE CONFESSARIO SOLLICITANTE in Confeſſione Pœnitentes ad turpia.

Pauca dicenda forent de hac odioſa materia, niſi experientia noſtrorum temporum ad multa puncta me ſtimularet. Bonum mihi eſt, aliorum lapſis, ac impenſis addiſcere, ut meliùs occulatus evadam. Facile caventur laquei, in quos vidimus alios incidiſſe: minùſque jacula feriunt, quæ prævidentur. Ut autem funditùs hanc videamus materiam, antequam Quæſita formentur, examinanda, ac ſimul declaranda erit Bulla Gregorii Papæ Quintidecimi, incipien. *Univerſi Dominici gregis*, edita anno 1622. die 30. Auguſti. Adverto hìc Lectorem benignum, præſentem Tractatum deſumptum, ac decerptum à me fuiſſe pluribus ab hinc annis ex Diana Coordinato, *Tom. 5. tract. 9. per totum*: atque ex Breviario Scotico, P. noſtri Antonii à Candelaria, *part. 4.* – Anacleto, Felice Panormitano noſtro, Lantuſca, Bonacina, aliiſque libris, quos non ſuis notavi locis; & ne tempus amittam in volvendis denuò his libris, rogo te, habe me excuſatum, ſi tibi (ut ſoleo plerumque) non indico loca. Lege citatos DD.

Textus Bullæ citatæ.

§. 5. *Statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam ſæculares, quàm Regulares cujuſvis Ordinis, dignitatis, & præminentiæ, aut quovis Privilegio muniti, qui Perſonas (quæcumque illæ ſint) ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis, quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive ante, ſive poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibi Confeſſiones audire, ſollicitare, vel provocare tentaverint: aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in Officio S. Inquiſitionis ſeveriſſimè, ut infrà, puniantur*, &c.

Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos §. 9. *pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſuprà, ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu tractantes, ut ſuprà, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis. Quòd ſi hoc Officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, ut ſuprà, iidem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire, non negligant*, &c. Hæc, & alia Bulla citata: quæ omnia oportet benè intelligere juxta verum, & proprium ſenſum, & ſecundùm judicium DD. citatorum, ut ſuprà: de meo enim Judicio nil erit præter induſtriam uniendi, & facilitandi materiam pro praxi poſſibili. Igitur erit talis

Declaratio Bullæ.

I. Hæc Bulla ſolùm includit *Sacerdotes*. Unde deducitur. Si Clericus, vel Laicus, fingens ſe Sacerdotem eſſe, audiret Confeſſionem mulieris, & in tali facto ipſam ſollicitaret ad inhoneſta, non caderet in pœnas hujus Bullæ. Si tamen eam etiam abſolveret à peccatis (licèt invalidè) caderet in aliam Bullam, quæ eſt Gregorii P. Tertiidecimi, *Officii noſtri partes, anno* 1574. ſicque foret denunciandus ex vi hujus Bullæ.

II. Perſona ſollicitata, *quæcumque illa ſit*, ſive mas, ſive fœmina, ſive ſæcularis, ſive regularis, ſive libera, ſive ligata, ſive nobilis, ſive ignobilis, *quæcumque ſit*, prohibetur expreſsè in Bulla.

III. Hæc ſollicitatio debet judicari circa peccata libidinis; quia Bulla ſe reſtringit ad hoc genus ſollicitationis inhoneſtæ: *Ad inhoneſta*, ſcilicet peccata carnalia. Unde deducitur. Si quis Sacerdos induceret tunc pœnitentem ad aliud genus peccati, V. G. furti, vindictæ, &c. non caderet in Bullam, quia Bulla loquitur expreſsè de inhoneſtate venerea.

IV. *Sive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda*. Per hæc verba exprimitur diver-

diverſus modus, quo fieri poteſt ſollicitatio prædicta. Primò *inter ſe*, ideſt, fieri poteſt inter Pœnitentem præſentem, & Confeſſarium; quando V. G. Confeſſarius ſollicitaret ſuum pœnitentem ad ſecum peccandum. Secundò *ſive cum aliis*, ideſt, ſi Confeſſarius ſollicitaret pœnitentem ad peccandum cum Tertia perſona. Et *quomodolibet*, ideſt, quovis modo excogitabili à malitia humana, in quavis ſpecie luxuriæ, & quovis actu carnali perfecto, vel imperfecto in ſua malitia. Item etiam independenter à conſenſu præſtito ex parte ſollicitati, vel ſollicitatæ. Item *quovis modo*, ideſt, ſive ſollicitatio facta ſit verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive ſcriptis tunc vel lectis, vel poſtea legendis.

V. *In actu Sacramentalis Confeſſionis*. Ecce ſpecificatur unum tantùm Sacramentum Eccleſiæ; ergo excluditur omne aliud. Unde ſequitur. Si Sacerdos in adminiſtratione alterius Sacramenti ſollicitaret, &c. non caderet in hanc Bullam. Nihilominus poſſet, & fortè deberet denunciari; quia cenſeretur ſuſpectus de hæreſi; nam Pontifex in Præfatione hujus Bullæ §. 3. dixit: *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de Fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia DEI inſtitutis abutantur, aut illis injuriam faciant*; ergo qui ſic abutitur, erit ſuſpectus de hæreſi.

VI. *Sive ante, ſive poſt immediatè*. Hìc notantur duo ſpatia temporis Confeſſionis. *Ante immediatè* eſt illud ſpatium, quod antecedit Confeſſionem, & unitur moraliter, & immediatè cum actu ſollicitationis; quod ſpatium incipit in inſtanti, quo pœnitens petit, ut audiatur in Confeſſione, vel quo accedit ad Confeſſionale, ſeu ad pedes Confeſſarii dando ſignum moraliter certum velle ſe confiteri, poſito hoc initio, ſi Confeſſarius tunc ſollicitat, cadit in Bullam ex vi horum verborum *ſive ante immediatè*.

VII. *Sive poſt immediatè*; ideſt, terminata jam Confeſſione totaliter, & completè, ex parte pœnitentis, ſive data, ſive non data Abſolutione, ſi tunc Confeſſarius ſollicitat, cadit in Bullam, ex vi horum terminorum *ſive poſt immediatè*. Ergo multò magis, ſi fiat ſollicitatio in medio Confeſſionis; quia tunc verificarentur antecedentia Verba: *In actu Confeſſionis Sacramentalis*.

VIII. *Sive occaſione, vel prætextu Confeſſionis hujuſmodi, etiam Confeſſione non ſecuta*. Quid eſt ſollicitare occaſione Confeſſionis?

℟. Eſt quando Confeſſarius vocatus ad audiendam aliquam perſonam in Confeſſione, accedit, & capta hac opportunitate alloquendi cum ea, ſuadet ei aliud à Confeſſione, dicendo verba ſollicitantia. Quid verò erit ſollicitare prætextu Confeſſionis? ℟. Erit quando Confeſſarius inducit, vel adducit talem perſonam ad ſuum Confeſſionale, fingendo velle eam audire in Confeſſione; ſicque ſub pallio hoc, colore, & prætextu eam ſollicitare.

IX. *Sive extra occaſionem Confeſſionis, in Confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu in loco electo ad Confeſſiones audiendas, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire*.

Ideſt, in quovis loco, ſive ordinario, ſive extraordinario, ſive deputato communiter, ſive electo ſpecialiter à Confeſſario: ſive in Eccleſia, ſive in Sacrario, ſive in cella, ſive in domo, ubique locorum tandem erigatur hoc Tribunal tunc fictum, & ſimulatum, ut appareat videntibus, & obſervantibus, quòd talis Sacerdos audit in Confeſſione illam perſonam: ſi inquam, ſollicitaverit eam, cadit in Bullam.

X. Simulatio prædicta poteſt contingere vel ex parte ſolius Confeſſarii, vel ex parte ſolius pœnitentis fœminæ malitioſæ, ſive ex utraque parte; ordinariè tamen poteſt, & ſolet accidere ex parte Confeſſarii, at quomodocumque accidat ſimulatio, & ſequatur ſollicitatio ruitur in Bullam.

XI. *Sollicitare, vel provocare tentaverint*: ſupple, *pœnitentes ad inhoneſta*.

Quid eſt hìc ſollicitare? ℟. Eſt allicere allectare, invitare, inducere, & quovis modo tentare, vel provocare pœnitentes quoslibet veros, vel fictos, maſculos, vel fœminas, ad conſentiendum alicui peccato in genere luxuriæ; quod extrinſecè, & ſenſibiliter appareat quid inhoneſtum. Non enim hìc ſufficit prava intentio, vel malum deſiderium internum; ſed requiritur actus externus de ſe ſollicitativus ad venerea, ut quis ruat in pœnam Bullæ.

XII. *Aut cum eis* (pœnitentibus) *illicitos, aut inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerit*.

Ex

Ex his verbis patet, quòd etiamſi Confeſſarius non haberet pravam voluntatem prædictam; nihilominus ſi aliquem turpem ſermonem, aut tractatum de rebus venereis ex ſua natura provocantibus ad venerem, haberet, incideret in Bullam.

XIII. Adverte hic, quòd non per hoc prohibetur Confeſſario facere interrogationes neceſſarias ad habendam ſpeciem peccatorum carnalium, neque inſtructiones opportunas pœnitentibus, ſpecialiter conjugatis; nam hujuſmodi ſermones, quamvis ſint circa res materialiter turpes ac venereas, ſunt tamen in ſe formaliter honeſti, ut notum eſt ſapientibus.

XIV. *Mandantes omnibus Confeſſariis, &c.* ut ſuprà. Ex his verbis Pontificis inſtruimur nos Confeſſarii de gravi obligatione, qua, vi hujus Bullæ, tenemur admonere pœnitentes illos, ex quorum vera Confeſſione certò novimus, fuiſſe ab aliquo Confeſſario ſollicitatos ut ſuprà ad hoc, ut ipſi quamprimùm denuncient ſollicitantem Confeſſarium Epiſcopo, vel Inquiſitori S. Officiis, vel ejus Vicario.

XV. Adverte etiam hic, quòd Papa non obligat Confeſſarios ad mittendum primùm pœnitentes ſollicitatos ad Officium S. Inquiſitionis, antequam eos abſolvant à peccatis; ſed obligat nos Confeſſarios ſolùm, ut moneamus noſtros pœnitentes de obligatione denunciandi; ergo quando pœnitentes promittunt nobis, ſatisfacere ſuæ obligationi, quamprimùm commodè poterunt, nos poſſumus, & debemus eos abſolvere: *His declaratis, venio* ad Quæſita.

Quæro I. *Quomodo te gereres, audiens in Confeſſione perſonam dicentem, ſe fuiſſe ſollicitatam ad turpia à Titio Confeſſario in actu Confeſſionis?*

16 ℟. Ego ei non crederem tam citò; quia me docet Eccleſiaſticus., cap. 19: *Qui citò credit, levis eſt corde*; præſertim ſi eſſet fœmina; quia idem Eccleſ. cap. 25. dicit: *Brevis eſt omnis malitia ſuper malitiam mulieris*. Igitur ſic me gererem: poſtquam pœnitens narraviſſet diſtinctè caſum ei, dicerem, ut rediret, (tali die,) hoc, ut poſſem meliùs caſui tam arduo ſtudere. Quando rediit; eam interrogarem diligenti examine de his punctis. I. An habuerit familiaritatem cum tali Confeſſario? II. An frequentaverit ejus Confeſſionale? III. An aliàs locutus ipſe fuerit ſecum de rebus lætis, & facetiis? IV. An oſtenderit ei ſigna amoris honeſti? V. Quæ verba ei dixerit in Confeſſione? Et ſic de ſimilibus pro qualitate perſonæ. Si ex verbis, & repetitionibus viderem eam conſtantem, & veracem, eam utique obligarem ad denunciandum. At ſi è contra in repetitione caſus, & verborum Confeſſarii ſollicitantis, ipſa titubaret, variaret, mentiretur, eam ſtatim dimitterem ſine abſolutione in pace ad alium ſapientiorem Confeſſarium. *Sic didici à peritis, & expertis Confeſſariis.*

Quæro II. *Quomodo te gereres in caſu, quo mulier veraciter ſollicitata nollet denunciare Confeſſarium ſollicitantem?*

℟. Perſuaderem omnibus modis mi- 17
hi poſſibilibus, ut obediret Summo Pontifici id præcipienti ad communem Eccleſiæ utilitatem; & ſi perſiſteret in negativa, repugnantia, obſtinatione, eam dimitterem inabſolutam; quia eſſet indiſpoſita ad gratiam.

Quæro III. *Quomodo te gereres in caſu, quo mulier prædicta rogaret te, ut dignareris denunciare loco, & nomine ipſius?*

℟. Ego non acceptarem hanc duram 18
provinciam; ſeu onus grave; quia obligatio denunciandi eſt *perſonalis*, quæ per alium fieri non debet, aliàs denunciatio eſſet ex auditu alterius, non proprio. Ergo potiùs perſuaderem mulieri, ut ipſa per epiſtolam (ſuo expreſſo nomine factam) denunciaret, aut rogaret D. Inquiſitorem vel Illuſtriſſimum Epiſcopum, ſive per epiſtolam, ſive per internuntium, ut dignaretur mittere ad domum ejus, vel (ad alium locum ſecretum) Notarium ſuum, cui habet negotium graviſſimum deferendum; ſicuti debent facere Moniales, & puellæ in Monaſterio detentæ, & mulieres, quibus non licèt exire è domo ſine lite domeſticorum, &c.

Tum quia ego non habeo hanc poteſtatem recipiendi denunciationem, eamque referendi D. Inquiſitori, niſi expreſsè mihi concedatur ab eodem; tum tandem quia, ſi mulier poſtea renueret comprobare, quæ mihi dixit eſſe in maximo periculo amittendæ famæ, aut notam incurrendi imprudentiſſimi Confeſſarii: quomodo ergo poſſem hoc facere tantis in periculis? Unuſquiſque onus ſuum portare debet, & ſolvere debita perſonalia.

Quæro IV. *Quomodo te gereres in caſu, quo mulier prædicta renueret denunciare ob metum proprii admiſſi criminis?*

℟. Ego

Digitized by Google

19 ℟. Ego inſinuarem, imò etiam jurejurando affirmarem, quòd D. Inquiſitor nec verbum quidem de tali conſenſu præſtito faciet, aut inquiret; quia Eccleſia intendit hic punire Confeſſarium ſolùm ſollicitantem, ut patet ex Bulla, & praxi. Unde pœnitens ſollicitata tenetur ſolummodò denunciare complicem Confeſſarium, non autem ſe ipſam.

Quæro V. *Quomodo te gereres in caſu, quo fœmina prædicta tibi opponeret magnum ſuæ famæ, aut vitæ damnum ſecuturum ex tali denunciatione?*

20 ℟. Procurarem totis viribus, Deo adjuvante, liberare eam à tali apprehenſione, dicendo, quòd D. Inquiſitor defendet eam ab omni malo futuro, & multò magis DEUS ipſe, pro cujus cauſa talem laborioſum actum aggreditur in defenſionem Fidei.

Quæro VI. *Quid, ſi illa mulier aſſereret, nolle talem confuſionem cauſare ſuo Amico Confeſſario ſollicitanti, eò quòd ejus amicitia eſt ſibi valdè neceſſaria, & utilis domui, & familiæ ſuæ?*

21 ℟. Confutarem hanc levem excuſationem, dicendo, obligationem hanc denunciandi eſſe non tantùm de Jure humano, verùm etiam de Jure naturali divino; quia agitur de conſervanda Fide Catholica, & bono communi procurando in Republica Chriſtiana; & quòd gratitudo erga Deum, & Eccleſiam major eſt, quàm gratitudo, vel amicitia erga hominem injuſtum, infidelem, ſuſpectum de hæreſi.

Quæro VII. *Si fœmina ſollicitata ad turpia confiteretur denuò Confeſſario ſollicitanti, peccaretne?*

22 ℟. Affirmativè. Ratio eſt; quia jam edocta per experientiam de malitia ipſius, eſſet cauſa majoris ruinæ propriæ, & Confeſſarii; ergo actualiter peccaret mortaliter, & ideò Confeſſio foret invalida. Hic autem cavenda eſt propoſitio *ſeptima* ex damnatis ab Alex. VII. quæ ſic malè ſonabat: — *Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt: Si ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante; hic poteſt illum abſolvere abſque onere denunciandi.* Item cavenda eſt iſta, quæ eſt *la 6.* antecedens: *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione; ac proinde non eſt denunciandus.*

Quæro VIII. *Cuinam Inquiſitori facienda eſt denunciatio?*

℟. Regulariter facienda eſt Inquiſitori, 23
vel ejus Vicario loci ipſius pœnitentis; attamen, (ut mihi atteſtatus eſt quidam R. P. Notarius Sanctæ Inquiſitionis) ſufficiet, quòd fiat cuilibet tibi magis commodo Inquiſitori.

Quæro IX. *Intra quot dies obligatur quis ad denunciandum?*

℟. Standum erit Edicto S. Inquiſitionis, quod per ſingulos annos ubique publicatur: vel facienda eſt denunciatio quamprimùm fieri poteſt. 24

Quæro X. *Eſtne præmittenda correctio fraterna ante hujuſmodi denunciationem?*

Nequaquam; quia in delictis ad S. Officium attinentibus, ubi agitur de crimine hæreſis, vel ſuſpicionis, ceſſat præceptum de correctione fraterna, etiamſi ſperaretur emendatio; tum quia hìc agitur de denunciatione Judiciali, non Paternali; denunciatio autem Judicialis reſpicit bonum commune, quod prævalet bono privato. Tum quia ſic decrevit Summus Pontifex Alex. VII. in Conſtitutione incipiente, *Licèt aliàs*, edita die 8. Julii, anno 1660. 25

Quæro XI. *Peccatum ſollicitationis activæ eſtne reſervatum?*

℟. De jure communi nulli eſt reſervatum; niſi ergo reſervetur in aliqua Diœceſi, poteſt abſolvi à quovis Confeſſario. 26

Quæro XII. *Quomodo te gereres in caſu, quo mulier neſciens obligationem denunciandi omiſiſſet inculpabiliter per viginti annos tranſactos denunciationem Confeſſarii ſollicitantis adhuc viventis?*

℟. Eam admonerem de obligatione; quia debitum non ſatisfactum, debet ſemper, quamprimùm fieri poteſt, ſatisfieri, & impleri; etiamſi talis Confeſſarius nunc foret in regione longinqua, & eſſet jam emendatus; quia obligatio eſt adhuc viva, & in poſſeſſione; tum quia, ut vidimus, denunciatio non fit ad ſolam delinquentis emendationem, ſed in defenſionem Catholicæ Fidei: atque in exemplum, & terrorem aliorum; 27

Quæro XIII. *Si quis Confeſſarius poſt ſollicitationem immediatè ſe retractaret, petendo veniam de malo exemplo, deberetne adhuc denunciari?*

℟. Quòd ſic; quia quod jam factum eſt contra Bullam, nequit excuſari pro non facto. Tum quia aliàs quilibet aſtutus videns ſollicitationem fuiſſe fruſtraneam, 28

poſſet

Digitized by Google

poſſet fingere pœnitentiam ad fugiendam pœnam. Tum quia hæc Indulgentia nequit concedi à Perſona ſollicitata; nam denunciatio fit in gratiam Sacramenti, non in favorem pœnitentis; cùm ergo Sacramentum jam paſſum ſit talem, tantamque injuriam, debet de jure vindicari.

Quæro XIV. *Quomodo te gereres in caſu, quo vocatus ad audiendam Confeſſionem moribundæ, ex cujus verbis cognoviſti, eam numquam denunciaſſe ſuum Confeſſarium, qui ſemel, & iterum eam ſollicitaverat in Confeſſione?*

29 ℟. Interrogarem eam, an bona, vel mala fide omiſerit denunciationem? *Si bona fide*: relinquerem eam in ſua bona fide; quia tunc caſus eſſet deſperatus, ſi eam admonerem, &c. imò admonendo nil proficerem, ſed potiùs obeſſem, dando cauſam vel occaſionem deſperationis illius. *Si mala fide*: inducerem eam ad pœnitendum; nil aliud addendo de obligatione denunciandi, quia ad impoſſibile nemo tenetur; tunc enim impoſſibilis eſt denunciatio.

Objicies. Poſſibilis eſt denunciatio; poteſt enim illa moribunda relinquere tibi Confeſſario onus denunciandi tale delictum.

30 ℟. Et ſi illa poſtea moriatur, quiſnam pro ea teſtificabitur, me dixiſſe veritatem? Præterea, obligatio denunciandi eſt perſonalis; ergo quando perſona non poteſt hic, & nunc, ad nihil pro nunc tenetur.

Quæro XV. *Confeſſarius, audita jam Confeſſione Bertæ, pergit ad illam inquirendam, & inventam ſollicitavit; eſtne denunciandus?*

31 ℟. Eſt controverſia magna inter DD. circa hunc caſum, cujus reſolutio pendet ab intelligentia rectà iſtorum Bullæ verborum, *ſive poſt immediatè*. Scribam utramque opinionem, remittendo unumquemque ad judicium meliùs, rectiùſque ſapientis.

Quidam DD. dicunt, ly *poſt immediatè* intelligendum eſſe de ſpatio, vel tempore, quod incipit à data abſolutione, & definit poſtquam pœnitens receſſit à conſpectu Confeſſarii, & abiit à Confeſſionario, ſive poſtea pœnitens exeat à Templo, ſive genuflectendo perſiſtat in eodem Templo, vel loco, &c. ergo ſi tunc Confeſſarius recedens à Confeſſionali, accedat ad pœnitentem, eumque, vel eam ſollicitet, non videtur cadere in Bullam; quia non ſollicitavit *immediatè poſt Confeſſionem*; ergo multò minùs, ſi inſequatur fœminam jam confeſſam, & in itinere, vel domi ſollicitaverit.

32 Alii DD. dicunt, quòd per ly *poſt immediatè* intelligitur ſollicitatio facta intra ſpatium, vel tempus viginti quatuor horarum, nempe intra eamdem diem naturalem poſt Confeſſionem; nam cùm ſit facta ſollicitatio eodem die, cenſetur etiam facta *in continenti*, *vel immediatè poſt*; unde licèt ſollicitatio iſta non ſit immediata phyſicè, eſt tamen immediata moraliter, & proximè poſt Confeſſionem. Tum quia videtur facta *occaſione Confeſſionis*, in qua V. G. Confeſſarius cognovit talem fœminam eſſe proclivem ad conſentiendum petenti in ſimili materia; unde occaſionem proximam accepit immediatè à Confeſſione, abutendo notitia habita in Confeſſione.

33 Et quamvis iſta ſecunda opinio tibi appareat minùs probabilis alia, ſtando in rigore Juris, & verborum Bullæ, ſcias nihilominùs quàm grave ſit hoc peccatum ex his reflexionibus. Multipliciter peccat ille malus Confeſſarius, qui abutitur ſcientia, vel notitia habita in Confeſſione ad peccandum cum ſua pœnitente, & filia ſpirituali; nam ultra peccatum Sacrilegii in ſpecie luxuriæ, frangit aliquo pacto indirectè Sigillum Confeſſionis; quia talis fœmina jam optimè novit vituperium, quod modò ſuſtinet in hac ſollicitatione, procedere ex Confeſſione facta apud talem indignum Eccleſiæ Miniſtrum, qui non verbis, ſed factis revelat conſcientiam, vel turpitudinem talis pœnitentis in maximam utriuſque ruinam. Tum quia peccat contra Officium ſuum, nam ex Patre ſpirituali, ac Medico, fit Parricidà, & veneficus: ex Miniſtro Dei, & Eccleſiæ, fit miniſter Satanæ, & proditor execrabilis Animarum, &c. Tum quia peccat contra Sacramentum Pœnitentiæ in effectu: nam loco Reconciliationis pœnitentium abutitur, graviori peccatorum mole eam fœminam onerando, & in manibus Diaboli tradendo. Tum quia peccat contra totam Eccleſiam; nam Chriſti-fideles, præſertim mulieres loquaces, audientes, quòd aliquis Confeſſarius abutitur notitia conſcientiarum habita in Confeſſionali, ſcandalizantur, abſterrentur, & elongantur à Sacramentis, timentes, vel ſaltem ſuſpicantes, ne id ipſum dedecus ſibimetipſis accidat; ſicque Confeſſio evadit odioſa, & Confeſſarii contemptibiles.

Quæ-

Digitized by Google

Quæro XVI. *Si fœmina in Confeſſionario ſollicitaret ipſum Confeſſarium, & iſte taceret; eſſetne denunciandus ipſe Confeſſarius?*

34 ℞. Videtur quòd ſic. Ratio eſt: quia, qui tacet, conſentire videtur: tum quia quando quis tenetur ex officio clamare & tacet, cenſetur cauſa damni illati, ergo & Confeſſarius mutus in hac materia erit cauſa ruinæ illius fœminæ, quæ ex taciturnitate iſtius, credit, vel ſperat habere intentum. -- Si autem Confeſſarius tacendo clauderet oſtiolum Confeſſionarii, tunc certè appareret, non conſentire, ſed abhorrere: & hoc eſt laudabile.

Item Si Confeſſarius tacuit timore, & horrore correptus, neſciens in tali caſu inſolito reſpondere: atque puſillanimis non valens mulierem inverecundam abijcere, quaſi ſtupidus tacuit; tunc etiam nullo pacto cenſetur denunciandus.

35 Quinimò durum mihi videtur in primo caſu obligandam eſſe fœminam illam ad denunciandum; quia *Qui tacet, non ſemper conſentire videtur*. Et dato etiam, quòd interno animo conſenſiſſet; niſi aliquo verbo, ſigno, & actu externo apparuiſſet conſenſus inhoneſtus, non incidiſſet in pœnam Bullæ: ut patet ex verbis ſuprà citatis, & expoſitis. -- Tum tamdem quia Conſtitutio pœnalis non eſt extendenda ad caſus non expreſſos; caſus autem prædictus (de taciturnitate Confeſſarii ſollicitati à pœnitente ad turpia) non exprimitur in Bulla; ergo.

Quæro XVII. *Si Confeſſarius laudaret in Confeſſione pulchritudinem corporalem fœminæ confitentis, eſſetne denunciandus?*

36 ℞. I. Si nullus appareat finis civilis, & honeſtus talis laudis, tunc eſt denunciandus; quia talis laudatio eſt graviter incitativa ad amorem, & attractiva ad libidinem; ergo æquipollet ſermoni, & tractatui inhoneſto.

℞. II. Si autem finis honeſtus, & civilis appareat, non erit denunciandus; quia tractatus iſte non poteſt dici inhoneſtus; V. G. Uxor conqueritur de adulterio mariti, qui perditè amat alienam mulierem; Confeſſarius (incautè) volens eam conſolari, ait illi: *Tuus vir facit certè injuriam gravem tuæ perſonæ, quæ es juvenis pulchra nimis, & amabilis à ſuo viro*. Cavenda tamen ſunt ſimilia verba.

Quæro XVIII. *Confeſſarius ſedens in ſuo Confeſſionali loquitur cum muliere ſtante ante eum extra occaſionem Confeſſionis, & inter replicata verba immiſcet verba ſollicitativa, aut ex ſe inhoneſta, eſtne denunciandus?*

℞. Affirmativè, ex Decreto Sacr. Congregationis Inquiſitionis Univerſalis Romæ, edito de anno 1614. die 10. Julii: ubi dictum fuit. -- *Facta relatione, quòd nonnulli Confeſſarii tractant cum mulieribus in Confeſſionali, extra occaſionem Confeſſionis, de rebus inhoneſtis: Sanctiſſimus D. N. Paulus Papa V. decrevit, ut contra hujuſmodi Confeſſarios procedatur in S. Officio, &c.* 37

Quod patet etiam ex verbis Bullæ initio hujus Tractat. poſitis per ly *Sive extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario*; fit enim gravis injuria S. Tribunali Confeſſionis: & magnum oritur ſcandalum.

Quæro XIX. *In materia ſollicitationis admittiturne parvitas materiæ excuſans à peccato mortali, & ab onere denunciandi?*

℞. Minimè: Ratio eſt, quia in re venerea non admittitur in praxi parvitas materiæ, ut vidimus *in p. 1. hujus Comp.* atqui ſollicitatio reſpicit rem veneream; ergo, &c. Tum quia: abuſus Sacramenti eſt ſemper magnum Sacrilegium; atqui in ſollicitatione intercedit abuſus Sacramenti Pœnitentiæ. Tum quia admiſſa ſemel excuſatione de parvitate materiæ, ſequerentur infinita mala, & damna ſpiritualia. 38

Quæro XX. *Quænam ſunt pœnæ Canonicæ, quas incurreret Sacerdos ſollicitans ad turpia in Confeſſione?*

℞. Bulla citata in principio hujus *Tractat.* §. 6. dicit: Et quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles reperierint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſuſpendentes ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activæ, & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum, abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant: quoque, ſi, pro delicti enormitate, graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ ſæculari puniendos tradant. *Hæc Bulla*. -- At mihi videtur major pœna delinquentis in hac materia eſſe illa, 39

quam innuit Sanct. Thomas de Villanova ſerm. 1. Domin. Adv. nempe : *Tunc homo maximè, ut homo punitur, quando pro delictis ſuis publicè confunditur*. Quod Deus à nobis avertat per ſuam Miſericordiam.

TRACTATUS LXX.

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

INcipiam à verbis Concilii Tridentini, ſeſſ. 14. capit. 5. ibi : *Ipſa Confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri poſſet, niſi tot, tantiſque commodis, & conſolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per abſolutionem certiſſimè conferuntur*. Inter autem iſta commoda, inter iſtas conſolationes non ultimum obtinere videtur locum *ſecuritas Sigilli Sacramentalis*; certè difficultatem, ac verecundiam naturalem valdè minuit obligatio Sacerdotis ad ſecretum inviolabiliter ſervandum : de qua obligatione præſens inſtituitur breviſſimus Tractatus. Igitur

Quæro I. *Quid eſt Sigillum Confeſſionis?*

1 *Reſpondeo I.* Iſta vox *ſigillum* ſignificat id, quod rem obſignatam tenet occultam unde obligatio ſervandi aliquod ſecretum humanum per quamdam metaphoram dicitur *ſigillum*.

2 ℞. *II.* Sigillum hoc dividitur in ſigillum ſecreti naturalis, & in Sigillum ſecreti Sacramentalis. Illud eſt obligatio quædam à Jure naturali procedens ad occultandum ſecretum verbum, vel factum tibi ab altero commiſſum. Dictat enim ratio ipſa naturalis non eſſe faciendum alteri, quòd tibi non vis fieri; nemo autem vult publicari ſecretum, quod alteri amicabiliter commiſit; ergo nec quiſquam debet, ſecretum ſibi commiſſum publicare; quod niſi obſervetur, perit amicitia, ſocietas ceſſat, totum denique inter homines commercium diſſolvitur.

3 ℞. *III.* Iſtud, nempe ſigillum ſecreti Sacramentalis, eſt obligatio quædam ſtrictiſſima à Chriſto Domino introducta ad occultandum id, quod in Sacramentali Confeſſione detectum fuerit.

Quæro II. *Ubinam habetur hæc lex Sigilli Sacramentalis?*

℞. Habetur ubi occultorum criminum Confeſſio jubetur; nempe ex ipſamet Inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ. 4

Quæro III. *Sigillum Confeſſionis eſtne majus omnibus mundi totius Secretis?*

℞. Utique, ſine dubio; quia ad celandum quodlibet aliud ſecretum: homo tenetur tantùm lege naturæ; ad hoc autem Confeſſionis Sacerdos tenetur tum lege naturæ, tum lege Divina poſitiva, tum lege Canonica. 5

Quòd lege naturæ, patet ex dictis; tum quia, cùm peccator in hoc Foro Sacramentali manifeſtet ſua occulta crimina Sacerdoti, tamquam ipſi DEO, ratio ipſa dictat, nullatenùs revelanda eſſe. 6

Quòd Lege Divina poſitiva, patet ex Chriſti Inſtitutione, docente Tridentino, loc. cit. cap. 5. ſeſſ. 14. *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem*: & inferiùs loquens de modo confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem: ait: *Secreta Confeſſio Sacramentalis, qua ab initio* (Eccleſiæ) *Sancta Eccleſia uſa eſt, & modò etiam utitur*, &c. Quare ſemper uſa eſt, & utitur? Quia à Chriſto inſtituta eſt: ut omnes TT. Catholici tenent; ergo Obligatio ſigilli Confeſſionis erit de Jure Divino. 7

Quòd tandem ſit etiam de Lege Canonica, patet ſcienti Canones: capitul. Sacerdos de Pœnit. diſt. 6. Ibi: *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui confitentur ei peccata ſua, alicui recitet, quod confeſſus eſt*. Et cap. Omnis utriuſque ſexus, de Pœnit. & Remiſſ. §. Caveat. ibi: *Caveat autem omninò* (Sacerdos) *ne verbo aut ſigno, aut alio quovis modo, aliquatenus prodat peccatorem*. 8

Unde

9 Unde manifeſtum eſt, quòd, ſi quis ſtangeret unquam hoc ſigillum, peccaret graviſſimè contra omnia Jura, Naturale, Divinum, & Eccleſiaſticum: & contra Virtutes Fidelitatis, Juſtitiæ, & Religionis.

Quæro IV. *In fractione hujus ſigilli admittiturne parvitas materiæ?*

10 ℞. Negativè; quia obligatio ſigilli ex parte Virtutis Religionis talis, & tanta eſt, ut minima ejus violatio redundet in maximam injuriam Sacramento irrogatam; nam ſic Fideles retraherentur, & fugerent ab eo; ſicque redderetur odioſum, quod inſtitutum eſt in medicamentum.

11 *Unde manifeſtè deducitur*, nullo umquam caſu excogitabili licitum eſſe poſſe, etiam pro totius mundi ſalute, frangere, vel in modico puncto violare Sigillum Sacramentale: Ratio eſt in promptu: quia ſi ſciretur in Eccleſiæ Dei dari poſſe cauſam juſtam revelandi Confeſſionem, etiam indirectè, ſtatim hoc Sacramentum adeò neceſſarium, ſicut & ipſum Baptiſma, redderetur ſuſpectum, odioſum, & non frequentatum. *Ita Omnes TT. Catholici.*

12 *Quare in caſu*, quo Confeſſarius interrogaretur etiam à Poteſtate publica de auditis in Confeſſione, teneretur, ſub mortali occultare audita, ac potiùs mori *Martyr*, quàm *Confeſſor*, ideſt, quam fateri aliquod peccatum, & pœnitentem.

13 *Ne mireris*, ſi dixi *Confeſſor*; quia didici à P. noſtro Ignatio Ludo Bergomate *in Caſus reſervatos: Præfatione ad Lectorem* §. 1. quod hoc nomen *Confeſſor* in rigore proprio ſignificat illum, qui alteri peccata aperit. E contra verò hoc nomen *Confeſſarius* item propriè illum deſignat, cui peccata aperiuntur; nihilominus ſolent confundi hæc nomina, & accipi pro eodem.

14 *Prætereà* DD. communiter docent quòd in caſu, quo ipſemet Confeſſarius non poſſet, aut neſciret confiteri aliquod peccatum commiſſum in audiendis aliorum Confeſſionibus, niſi indirectè revelando pœnitentem malè à ſe abſolutum, non ſolùm poſſet, ſed teneretur tacere illud peccatum in ſua Confeſſione, donec haberet copiam alterius Confeſſarii, cui ignotus eſſet talis pœnitens.

15 *Objicies*. In prædicto Caſu peccatum illius pœnitentis tranſiret de Sigillo in ſigillum; ergo licebit, &c.

℞. Hæc doctrina eſt omninò nova, inaudita in tota Theologia ſpeculativa, & Morali; ergo ut falſiſſima rejicienda eſt.

Inſtabis. Quomodo ergo ſe gerere debet 16
Confeſſarius novellus, cui accidit caſus difficilis, quem neſcit ex ſe, neque ex paucis libris ſuis rectè reſolvere?

℞. Jam dixi alibi, & hìc repeto: (plura repetere ſoleo in gratiam meorum tyronum.) Debet exponere Caſum ita, & taliter, ut numquam Amicus Conſiliarius, à quo petit conſilium, poſſit venire in cognitionem ſive directè, ſive indirectè de perſona pœnitente.

Quæro V. *Ex ficta omninò Confeſſione oriturne obligatio Sigilli?*

℞. Non; quia talis Confeſſio non fuit 17
vera Confeſſio Sacramentalis; atqui ex ſola Confeſſione Sacramentali oritur obligatio ſigilli hujus; ergo, &c.

Unde ſequitur. Si Berta accederet ad tu- 18
um Confeſſionale animo confabulandi, vel murmurandi, vel ſollicitandi, vel rogandi vel quovis alio motivo alieno à Confeſſione, tu non tenereris ſervare ſigillum de auditis; quia non audiviſti ea verba in Confeſſione formaliter, ſed tantùm materialiter, ideſt, quoad locum, ubi ſolent audiri Confeſſiones.

Sequitur etiam. Si quis aliquid tibi dice- 19
ret in ſecreto, cum hoc addito pacto: *Hæc dico quaſi in Confeſſione*; non obligareris reverà ſub ſigillo Confeſſionis; ſed tantùm ſub ſigillo merè naturali.

Quæro VI. *Ex Confeſſione invalida, vel imperfecta oriturne obligatio ſigilli?*

℞. Utique, dummodò facta ſit à confi- 20
tente animo ſubjiciendi ſua peccata Clavibus Eccleſiæ in ordine ad abſolutionem. Ratio eſt: quia talis Confeſſio aliquo modo fuit Sacramentalis; ergo audita in ea cadunt ſub ſigillo Confeſſionis.

Unde ſequitur. Si Confeſſarius in Con- 21
feſſione pœnitentem audivit, & ob aliquam cauſam non abſolvit, adhuc tenetur audita in ea Confeſſione profundiſſimo ſilentio prorſùs occultare, & quaſi ſigillo perpetuò obſignare.

Quæro VII. *Si Confeſſarius vel ante, vel poſt Confeſſionem Titii, habeat cognitionem, aut evidentiam alicujus peccati ipſius Titii independenter à notitia jam habita in Confeſſione, teneturne ad Sigillum illius peccati?*

℞. Nequaquam; quia quæ extra oc- 22
caſionem Confeſſionis mihi nota ſunt, nequaquam cadunt ſub Sigillo iſto Sa-

Digitized by Google

cramentali. V. G. Vidi Titium percutientem, audivi blaſphemantem in platea; ſi poſtea Titius mihi confiteatur hæc duo peccata publica, non teneor de his ampliùs non loqui, ſicut de ſimilibus mihi, & aliis hominibus notis exceſſibus. Teneor quidem ad ſervandum hoc genus ſigilli, nempe, numquàm dicere, *me audiviſſe illa peccata in Confeſſione*.

23 *Unde reſolves hunc caſum*. Confeſſarius audivit Confeſſionem alicujus damnati ad mortem propter publicum homicidium; *vel* audivit Confeſſionem publicæ meretricis veraciter converſæ: numquam licitè poteſt dicere: *Talis juſtitiatus magno cum dolore confeſſus eſt tale delictum*: vel, *illa meretrix magnis cum lacrymis mihi confeſſa eſt ſuas carnalitates*.

24 Quapropter lynceis oculis obſervare debet Confeſſarius, ne incautè loquatur de auditis, *ut auditis in Confeſſione*, & ne limites notitiæ extra Confeſſionem habitæ excedat.

Quæro VIII. *Pœnitens poteſtne dare licentiam Confeſſario revelandi ejus Confeſſionem?*

25 ℟. In rigore terminorum iſtorum: *revelandi Confeſſionem*, aut *audita in Confeſſione*, dico ſimpliciter, quòd non poteſt, &c. Ratio eſt: quia ſigillum ſecreti Sacramentalis, & lex de iſto ſecreto ſervando non eſt introducta in favorem ſolius pœnitentis, ſed in favorem etiam totius Reipublicæ Chriſtianæ ob reverentiam omninò debitam tanto, & tam neceſſario Sacramento; ergo pœnitens non poteſt cedere huic Juri univerſali.

26 *Dices*. Poteſt pœnitens cedere Juri ſuo particulari; ergo & poteſt dare licentiam revelandi.

℟. Nego antecedens, quia cedendo Juri ſuo, offendit Jus univerſale totius Eccleſiæ, in tantùm enim Titius V. G. habet Jus ad ſecretum, vel ſigillum hoc Confeſſionis ſuæ, in quantum tota Communitas Fidelium habet tale Jus inviolabilis ſecreti; ergo Titius cedendo Juri ſuo, offendit Jus Communitatis; tunc enim revelata una Titii Confeſſione Confeſſio Sacramentalis non eſt ampliùs inviolabiliter ſecreta.

27 Dixi, *In rigore terminorum*: hoc eſt in ſenſu compoſito, ideſt accipiendo ly *revelare Confeſſionem*, ut Confeſſio Sacramentalis reveletur aliquando de licentia pœnitentis. Nam ſi loquamur in ſenſu diviſo, ideſt, ſi ſeparetur notitia peccatorum (quæ Titius jam confeſſus eſt) à revelatione Confeſſionis, ſeu à notitia habita in Confeſſione de peccatis Titii; dico, quòd Titius poteſt dare licentiam ſuo Confeſſario, ut loquatur de ejus peccatis apud perſonam, vel perſonas, cui, vel quibus ipſe pœnitens vult. Et nunc diverſum facit ſenſum iſta propoſitio ſub his terminis propoſita, videlicèt.

Quæro IX. *An, poſtquam pœnitens confeſſus eſt peccata ſua, & abſolutus à Confeſſario, terminato jam Judicio Sacramentali, poſſit dare facultatem ipſimet Confeſſario manifeſtandi aliquem caſum jam narratum in Confeſſione, ob aliquam neceſſitatem ipſius pœnitentis?*

28 Et tunc dico cum communi DD. ſententia, quòd poteſt. Ratio eſt: quia tunc non dicitur *revelatio Confeſſionis*, ſed mera narratio caſus, vel facti auditi extra Confeſſionem.

29 Hæc reſolutio eſt de mente Scoti noſtri, *in 4. ſententia diſt. 21. quaſt. 2. in reſp. ad primum argument.* & cum eo magna caterva DD. apud Maſtrium, *in 4. diſp. 5. quaſt. 20. artic. 2. à numero 545.* Dicit enim *Doctor Subtilis*: Non licere pœnitenti dare licentiam Confeſſario ſuo ad Sigillum Confeſſionis aperiendum, aut ad manifeſtandum peccatum in eo Foro Pœnitantiali auditum: ſed, ut licitè Confeſſarius id facere poſſit, (quando expedit pœnitenti) iſtum debere aperire hoc peccatum Confeſſario extra Confeſſionem Sacramentalem. Et quando, habita jam licentia, Confeſſarius narrat factum, vel caſum (cui, vel quibus pœnitens vult) numquam debet dicere, *hoc ſe in Confeſſione audiviſſe*; aliàs peccaret mortaliter in modo revelandi; quia iſta verba: *Audivi hoc peccatum, & hujus perſona Confeſſione*; includunt revelationem hujus peccati, ut cogniti eo modo, quo numquam licet revelare. -- Vide etiam Fabrum Faventinum, *tom. de Pœnit. diſp. 34. num. 61. & 62.*

Quæro IX. *Quanam conditiones requiruntur ad hoc, ut Confeſſarius tuta conſcientia poſſit manifeſtare aliquid auditum in Confeſſione de licentia pœnitentis?*

30 ℟. Duæ conditiones præcipuè requiruntur. *Prima*: ut licentia pœnitentis ſit expreſſa; non enim ſufficit tacita, vel præſumpta; quia in hac ma-

teria

Digitized by Google

teria zelotypa, ſi ſemel admitteretur licentia ſolùm tacita, ſigillum Sacramentale paulatim frangeretur in maximum damnum, & pœnitentium, & totius Communitatis, atque ideò Sacramentum redderetur ſuſpectum, & exoſum. *Secunda*: ut talis licentia ſit omninò libera, & ſpontanea ex parte pœnitentis: quia ſi dolo, vel metu, vel minis, vel timore reverentiali, vel precibus importunis extorqueretur, iſta licentia non valeret, & Confeſſarius mortaliter peccaret; quia proprium Officium Confeſſarii eſt, *celare omninò audita in Confeſſione*, & ſic conſervare ſummo cum rigore Sacrum Sigillum.

Quæro X. *Confeſſarius, qui cum ipſemet pœnitente loqueretur extra Confeſſionem de auditis in Confeſſione, frangeretne Sigillum?*

31 ꝶ. I. Si ipſemet pœnitens inciperet loqui cum Confeſſario de rebus Confeſſionis præteritæ, tunc Confeſſarius proſequens diſcurſum nullo modo frangeret ſigillum: quia tunc pœnitens expreſsè conſentire videretur.

32 ꝶ. II. Si verò Confeſſarius ſine permiſſa, & obtenta licentia priùs loqueretur, peccaret utique graviter contra reverentiam debitam Sacramento; at non frangeret propriè, & ſtrictè loquendo Sigillum; quia Fractio ſigilli eſt violare ſecretum; ſecretum autem nequit violari cum eadem perſona, quæ commiſit tibi ſecretum. Eſſet tamen quid odioſum Sacramento, & pœnitenti.

33 ꝶ. III. Si pœnitens redeat ad pedes Confeſſarii, poterit ſine ſcrupulo loqui cum eodem pœnitente de auditis in alia Confeſſione, etiam nulla petita licentia. Ratio multiplex eſt: quia cognitio prioris Confeſſionis, imò ferè omnium præcedentium valdè juvat, & quandoque eſt neceſſaria Confeſſario Judici, & Medico pro cauſa, & cura pœnitentis. Tum quia conſtat ex praxi Confeſſariorum rectè, pièque proprio officio fungentium, quòd interrogant pœnitentes de mala conſuetudine peccati, de occaſione proxima, &c. Tum quia fruſtrà hortarentur Fideles à SS. PP. ut quantùm fieri poteſt, accedant ſemper ad eumdem Confeſſarium, ut meliùs conſcientiæ eorum dirigantur in viam Salutis æternæ; ergo, &c.

Quæro XI. *Quænam res cadunt ſub Sigillo Confeſſionis?*

34 ꝶ. Multæ; ſed præcipuæ ſunt iſtæ. I. Peccatum mortale tum in ſpecie, tum in genere. II. Venialia peccata in ſpecie; non autem in genere generaliſſimo. III. Circumſtantiæ peccatorum prædictorum. IV. Peccatum complicis manifeſtatum in Confeſſione. V. Objecta peccatorum narrata. VI. Pœnitentia gravis injuncta. VII. Abſolutio dilata, vel negata pœnitenti. VIII. Scheda, aut fides in Scriptis de Confeſſione pœnitenti negata. IX. Defectus naturales infamantes, cogniti ex Confeſſione. X. Et cætera omnia, & ſingula, quæ prudenti judicio reddere poſſunt Confeſſionem gravem, moleſtam, oneroſam, odioſam pœnitentibus. Ita docent communiter DD. Moraliſtæ.

Quæro XII. *Quot modis violari poteſt Sigillum Confeſſionis?*

ꝶ. Generatim duobus modis; directè, 35
& indirectè.

I. *Directè*; quando, ſcilicet Confeſſarius improbus apertè aliquid ex prædictis decem punctis cum notitia pœnitentis manifeſtat alicui. *II. Indirectè*: quando Confeſſarius incautus verbis, vel ſignis ita ſe gerit erga aliquem pœnitentem, ut audiens, vel videns facilè venire poſſit in cognitionem peccati confeſſi, & pœnitentis.

Quæro XIII. *Quot modis poteſt frangi Sigillum Confeſſionis* indirectè?

ꝶ. Ferè innumeris modis: quorum ali- 36
qui ſunt ſequentes.

I. Confeſſarius diceret; *Ego non abſolvi Titium*. Vel *Ego remiſi Caium* (notum, ut ſupponitur, aliquo pacto audientibus) *ad Pœnitentiarium*. Vel. Loquens cum uno Confeſſario facultatem habente de aliquibus reſervatis, diceret: *Abſolviſtine talem à me recuſatum, & ad te miſſum?* quòd ſi alter Confeſſarius reſponderet: *Utique abſolvi mea auctoritate*; uterque indirectè frangeret Sigillum.

II. Si, audito in Confeſſionario peccato 37
enormi, Confeſſarius altè ingemiſceret, aut ſtreperet, audientibus, & obſervantibus circumſtantibus: aut exclamaret V. G. *O ſcelus inauditum! ò homo beſtialis! vel quid ſimile*.

III. Si pœnitens ſecretò rogaret Confeſ- 38
ſarium, aut alio quovis modo ſignificaret ipſi Confeſſario, velle confiteri, nullis ſcientibus; & poſtquam Confeſſarius eum audivit in Confeſſione diceret: publicaret, quòd talis pœnitens confeſſus fuit apud ſe; ex qua audientes venirent in co-

Digitized by Google

gnitionem de aliquo peccato extraordinario, & graviſſimo.

39 IV. Si Confeſſarius puerorum, aut puellarum alicujus Scholæ, vel Domus, pergens ad eos viſendos, & alloquens adſtantibus diceret (indigitando unum ex eis) *à iſte eſt bonus*, vel *melior aliis*, vel demonſtrando alium, diceret: *Iſte hodie non eſt confeſſus niſi venialia, & levia.*

40 V. Si Confeſſarius in una Civitate parva vel oppido magno diceret coram ſcientibus, & intelligentibus: *In hac maledicta Civitate non abundant niſi peccata nefanda.* Aut Confeſſarius Monialium diceret: *In tali Monaſterio abundant diſcordiæ, lites, invidia, &c.*

41 VI. Si Titius Confeſſarius audiens confeſſionem generalem per plures dies Sempronii, diceret adſtantibus: *Iſte apud me facit longam Confeſſionem generalem*: vel, *Nondum finivit*: vel, *Nondum illum abſolvi*. Vel, *eſt valdè intricatus*: vel quid ſimile.

42 VII. Si Confeſſarius imponeret pro ſatisfactione filio, vel filiæ, vel famulæ aliquam gravem pœnitentiam publicam pro peccatis occultis; unde domeſtici rationabiliter poſſent ſuſpicari de aliquo gravi delicto.

43 VIII. Si quis imperitus, imprudens, ac juvenis Confeſſarius ſoleret publicare graviora peccata audita hoc manè, tacitis nominibus pœnitentium, qui tamen noti ſunt audientibus; nam tunc quilibet poſſet ex conjecturis venire in cognitionem alicujus. Certè ſi hujuſmodi Confeſſarius veniret ad pedes tuos, objurga, increpa illum durè, ut deſiſtat; redundat enim talis libertas loquendi in magnum dedecus Sacri Sigilli Confeſſionis; & multi ſæculare nimis ſcandalizantur, & multa alia proveniunt inconvenientia in Religione Catholica ex ignorantia, ac imprudentia Confeſſariorum. Peccata audita oblivioni tradenda ſunt, ſicut dicit Propheta David Pſalm. 30. *Oblivioni datus ſum tamquam mortuus à corde.* Et Ezechielis, cap. 18. *Omnium iniquitatum ejus* (pœnitentis) *non recordabor*. Et Michææ, c. 7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata veſtra.* -- Frater mi, Domine mi, Si cupias, Deum obliviſci peccatorum tuorum, debes etiam tu obliviſci peccatorum proximi tui. Ad quid jactare peccata abſcondita, remiſſa, condonata, annihilata per virtutem immenſam Pœnitentiæ?

IX. Quando Scholares, Aulici, Clerici, & ſimiles veniunt ad pedes Confeſſarii deputati, à quo accipere debent Teſtimonium de Confeſſione peracta tali menſe, Confeſſarius tenetur dare eis ſchedam, etiamſi nonnulli ob indiſpoſitionem, vel aliam graviſſimam cauſam abſoluti non fuerint; aliàs negando videtur indirectè frangere Sigillum: Ita multi DD. apud Laymannum, Dianam, & Tamburinum.

At multi alii DD. apud Bonacinam *de Sacram. diſp. 3. quæſt. 5. ſect. 5. punct. 4.* 44 *num. 7.* -- Cardinalem de Lugo, *tom. de Pœnitentia, diſp. 23. ſect. 3.* -- Sporerium noſtrum, *tom. 3. p. 3. cap. 7. num.* 840. dicunt, quòd Confeſſarius in prædicto caſu non tenetur dare eis ſchedam, vel fidem de Confeſſione peracta; quia hoc eſſet mentiri, fingere, decipere. Neque talis omiſſio foret contra Sigillum; quia Confeſſarius nil omninò dicit de peccatis auditis; & ipſi pœnitentes indiſpoſiti ſibimet ipſis imputare debent confuſionem habendam à Superiore; quin imò illa juſta denegatio abſolutionis, & fidei eſt veluti ſtimulus ad rectè ſe diſponendos pro bona emendatione, & valida Confeſſione in futurum. Tene opinionem, quæ magis tibi ſatisfacit.

Mihi autem placet diſcreta diſtinctio hæc. 45 Si pœnitens coram aliis ſit confeſſus tu Confeſſor, da ei, vel accipe ab eo ſchedulam; alias indirectè revelares indiſpoſitionem ejus. Si verò in occulto; denega, &c. quia tunc ceſſat periculum, & benè fungeris officio tuo. Ita ex Clericato, *in Erotemata, c. 125. q. 27.*

Quæro XIV. *Quinam obligantur ſervare Sigillum Confeſſionis?*

℞. I. Confeſſarius per ſe, primò, & 46 principaliter ratione Officii, ſive abſolverit, ſive non abſolverit confitentes. II. Adſtantes, qui ſive caſu, ſive data opera audierunt confitentem apud Sacerdotem. III. Conſiliarius, quando de licentia pœnitentis reſolvit caſum ſibi propoſitum à Confeſſario. IV. Prælatus, qui dedit facultatem pro reſervatis determinatæ perſonæ.

Quæro XV. *Eſtne permiſſum Confeſſario uti notitia, vel ſcientia habita, vel acquiſita ex ſola Confeſſione Sacramentali?*

℞. I. Numquam ullo caſu ad quodcum- 47 que malum avertendum, vel bonum procurandum ſive pro ſe, ſive pro alio, etiam pro Regno, & toto mundo, licitum vel permiſſum eſt Confeſſario, etiam Superio-

Digitized by Google

periori, & Supremo, uti notitia peccati pœnitentis habita in tali Confeſſione; ita ut alii, quibus ignotum eſt tale peccatum probabiliter ſuſpicentur grave quidpiam de ipſamet pœnitente, occaſione Confeſſionis factæ apud talem Confeſſarium. Ratio eſt evidens; quia hoc eſſet facinus Deo odibile proximo damnum inæſtimabile, & Sacramento injuria irremediabilis in odium ipſiuſmet Sacramenti Pœnitentiæ.

48 V. G. Si D. Titius Confeſſarius (maximè Prælatus, Parochus) poſt auditam Confeſſionem Caji, quem antea diligebat vel amicum habebat, inciperet ei torvum vultum oſtendere, non ampliùs ſalutare, fugere; vel (quod eſſet pejus) eum ab Officio amovere, vel quid ſimile contra eum agere, ex quo alii veniant, aut venire poſſint in ſuſpicionem peccati gravis apud talem Confeſſarium manifeſtati in ſua Confeſſione.

49 *Rz. II.* Neque umquam licebit Confeſſario uti notitia habita in Confeſſione circa peccata, vitia, malas inclinationes pœnitentis, ita, ut ipſe pœnitens advertat, vel advertere poſſit, quòd aliquod damnum ſibi eveniat occaſione confeſſi peccati apud talem Confeſſarium, qui V. G. poſt Confeſſionem exerceat aliquos actus ingratos, quos ante exercere non ſolebat. Ratio eſt; quia hoc eſſet perpetua exprobratio ſibi facta pro peccato ſuo manifeſtato; ſicque Confeſſio odioſa redderetur.

50 Quapropter Sac. Congreg. Generalis Inquiſitionis Romanæ ſub Innoc. P. XI. die 18. Novembris anno 1682. fecit Decretum tenoris, videlicet.

Prævia matura Conſultatione *DD.* Conſultorum facta fuit diſcuſſio ſequentis propoſitionis: videlicet,

Scientia ex Confeſſione acquiſita uti licet, modò fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis; *Niſi aliud multò gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione priùs meritò contemnatur.*

Addita deinde explicatione, ſive limitatione, quòd ſit intelligenda de uſu Scientiæ ex Confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione; *atque in caſu, quo, multò gravius gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur.*

Et ſtatuerunt dictam propoſitionem, *quatenùs admittit uſum dictæ Scientiæ cum gravamine pœnitentis, omninò prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione.*

Ex præſenti Decreto prohibent, *ne quiſquam ultrà audeat, talem doctrinam publicè aut privatim docere, aut defendere, ſub pœnis, &c.*

51 Divino etiam impulſu Clemens Papa VIII. in Decreto, edito die 26. Maji, anno 1594. expreſsè prohibet Superioribus uſum notitiæ habitæ ex Confeſſionibus, his verbis, videlicet:

Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarii, qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſionibus habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur ... Atque ita per quoſcumque Superiores, quicumque illi ſint, obſervari mandamus, &c.

52 *Unde deduces.* Non poſſe tuta conſcientia removeri Religioſum ab Officio, aut ei denegari Suffragium, cujus indignitas ſolùm tibi Superiori nota eſt ex ejus Confeſſione.

53 *Deduces item.* Parochum non poſſe vale dicere ſuo Capellano ob peccata commiſſa ſecretò, & ſibi ſoli nota ex Confeſſione Sacramentali ipſius; & ſic de multis ſimilibus, ob paritatem rationis.

54 *Rz. III.* Licitum autem erit, ſine timore revelationis directæ, vel indirectæ Sigilli Confeſſionis, vel gravaminis pœnitentium uti ſcientia, vel notitia acquiſita in audiendis Confeſſionibus pro regimine prudentiali propriæ, & alienæ Conſcientiæ in eodem Foro Sacramentali; id enim virtus prudentiæ, & æquitatis poſtulat, uſus, & praxis piorum Confeſſariorum, ac Superiorum comprobat. *Do exemplum.*

55 D. Titius Confeſſarius vocatur per internuncium ad audiendam Confeſſionem Semproni, qui ſæpiùs confeſſus eſt apud Titium; Titius reflectendo in corde ſuo, quòd Sempronius iſte ſæpiùs etiam admonitus in Confeſſione numquam efficaciter implevit directiones opportunas ad ſeriam emendationem: vel experientia Titius didicit, quòd Sempronius longas narrat hiſtorias peccatorum, quòd eſt moleſtus, infeſtus, oneroſus, &c. poterit D. Titius prudenter ſe excuſare, dicendo nuncio: *Dic illi, quod ſum impeditus, non poſſum venire.*

56 *Objicies.* Ex tali reſponſione pœnitens poſſet ſuſpicari, vel etiam judicare Cau-

ſam hujus negationis; ergo videtur iſte modus tendere in gravamen pœnitentis.

℞. Negotium benè agitur pro ipſo; quia inde poteſt ſumere occaſionem ſe emendandi. Sicut enim Confeſſario liceret ob prædictam cauſam licentiare pœnitentem, ita poteſt ei negare audientiam inter limites Fori interni.

57 *Inſtabis.* Internuntius poſſet ſuſpicari de aliqua indiſpoſitione illius pœnitentis; ergo non erit licitum ob timorem indirectæ revelationis.

℞. Iſta foret ſuſpicio abſolutè temeraria utpotè quæ cauſata ex mera malitia ipſius multoties enim accidit hæc Confeſſariorum prudens excuſatio: *Non poſſum: ſum impeditus, &c.* quæ cùm plures poſſit habere cauſa juſtas, temerarium eſt, ſuſpicari de cauſas mala; malitia enim humana poteſt etiam opera bona, & ſancta ſiniſtrè interpretari, ac pervertere, more Phariſæorum.

Quæro XVI. *Frangens Sigillum Confeſſionis ad quid in conſcientia obligatur?*

58 ℞. Tenetur ad reſarciendum damnum inde ſecutum pœnitenti. Ratio eſt clara. Quia, ut vidimus, revelare ſecretum (maximè Sacramentale) eſt contra Virtutem Juſtitiæ; ex violatione autem Juſtitiæ conſurgit obligatio naturalis reſarciendi damnum illatum, vel inde ſecutum ergo, &c. Patet à ſimili de detractione, vel detrahente.

Quæro XVII. *Cognitio Juridica de hac materia fractionis Sigilli Sacramentalis ad quemnam Superiorem ſpectat?*

59 ℞. Ad Ordinarium ipſius Confeſſarii delinquentis; quia in hac cauſa eſt Judex competens. Quòd ſi Revelatio Sigilli Sacramentalis haberet annexam ſuſpicionem vehementem de hæreſi, tunc recurrendum eſſet ad S. Inquiſitionis Tribunal. — Ita Summa Bonacina D. Simeonis Rondolini, *c. 122. n. 8.*

Quæro XVIII. *Quaſnam pœnas incurreret Sacerdos revelando Confeſſionem Sacramentalem?*

℞. Jus Canonicum in Decreto Grat. 60
p. 2. d. 6. de Pœnit. capit. 2. habetur ibi: *Sacerdos antea omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata ſua, alicui recitet; non propinquis, non extraneis, neque (quod abſit) pro aliquo Scandalo. Et ſi hoc fecerit, deponatur; & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat.*

Et in Decretal. Greg. lib. 5. de Pœ- 61
nit. & Remiſſ. capit. 12. habetur; ibi: *Qui peccatum in Pœnitentiali Judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare; non ſolùm à Sacerdotali Officio deponendum eum decernimus; verùm etiam ad agendum pœnitentiam perpetuam in arctum Monaſterium detrahendum.*

Et tandem Summa Diana, *V. Sigillum* 62
Sacramentale, à num. 52. dicit Confeſſario revelanti Confeſſionem duæ pœnæ imponuntur cap. Sacerdos. Nempe *Depoſitio*, quæ ſignificat prohibitionem cujuſque muneris Sacerdotalis; & *Perpetua peregrinatio ignominioſa*, quæ in cap. Omnis utriuſque immutata eſt *in perpetuam recluſionem in arcto Monaſterio.* — At *Clericatus in Erotem.* dicit, commutatam eſſe his temporibus in perpetuum carcerem, vel triremes.

Quæ pœnæ impoſitæ ſunt, ut inferendæ 63
ſolùm Confeſſariis, non autem aliis perſonis revelantibus Confeſſionem quocumque modo, quæ tamen puniendæ ſunt pœnis arbitrariis. Item dictæ pœnæ Canonicæ non infliguntur Confeſſario ob quamcumque violationem Sigilli Confeſſionis, *ſed ſolùm ob revelationem peccatorum*; quia peccatum eſt præcipuum objectum ſecreti, ac Sigilli Confeſſionis; & de hoc puncto agitur in Jure, ut patet locis citatis. Dixi, *ſolùm ob revelationem peccatorum*; ſed ſupponendum hoc *unitim cum revelatione etiam peccatoris, aut perſonæ confitentis.* Hæc ſufficiant.

TRA-

TRACTATUS LXXI.

DE PRUDENTIA CONFESSARII.

QUamvis aliquid de Prudentia notaverim, *Tract. 66. à nu. 42. ad 54.* & fere per omnes Tractatus primæ partis, ubi ſuis in locis aſſignavi Regulas prudentiales pro Confeſſario tyrone; nihilominus, quoniam Prudentia inter requiſita Miniſtri hujus Sacramenti Pœnitentiæ præcipuum obtinet locum juxta omnium placitum Doctorum Moraliſtarum qui dicunt, præter ſcientiam ſpeculativam, ſeu Juris Peritiam, requiri in Confeſſario ſcientiam practicam, ſeu *facti Prudentiam*, de qua *in cap. Omnis utriuſque ſexus*: neceſſarium duxi in favorem novelli Confeſſoris pro quo hucuſque laboravi, præſentem inſtituere Tractatum, veluti complectivum totius operis Moralis. Igitur

Quæro I. *Quid eſt Prudentia Confeſſarii?*

1 ℞. Eſt induſtria, qua Confeſſarius tractare debet cum pœnitentibus, rectè exequendo munera ſui Miniſterii in bono uſu Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæro II. *Qualis eſſe debet iſta Prudentia?*

2 ℞. Talis ut Confeſſarius benè gerat Officium Judicis, Medici, Patris, & Magiſtri erga ſuos pœnitentes.

Quæro III. *Quomodo prudenter gerere debet* Officium Judicis?

3 ℞. Abſolvendo dignos, & negando, aut differendo abſolutionem indignis; habet enim poteſtatem *ligandi, & ſolvendi*; ergo non ſemper debet ſolvere, ſed quandoque etiam ligare.

Quæro IV. *Quomodo prudenter geret* Officium Medici?

4 ℞. Variis modis pro diverſitate infirmarum conſcientiarum procurando ſanitatem ægrotantium pœnitentium: nunc tranquillando animum ſcrupulis agitatum: nunc timorem Dei incutiendo perverſis: modò hunc muniendo præſidiis, vel præſervativis ad conſervandam vitam ſpiritualem: modòque præſcribendo pœnitentias ſalutares alteri, ne iterùm labatur in antiquum Animi morbum; prout præſcribit nobis Confeſſariis Canon qui incipit: Omnis utriuſque Sexus, ibi: *Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, & more periti Medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciatis: diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias, & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei praebere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere: diverſis experimentis utendo, ad ſalvandum ægrotum.*

Quæro V. *Quomodo prudenter geret* Officium Patris?

5 ℞. Oſtendendo erga pœnitentes cor paternum, viſcera miſericordiæ, ſuſcipiendo eos cum pietate, auſcultando cum magna patientia, ſupportando eorum ignorantiam, ruſticitatem, inſtabilitatem, omneſque defectus; nam (ut inquit D. Thomas 2. 2. qu. 32. art. 2.) Confeſſarius debet exercere omnia opera miſericordiæ ſpiritualis erga ſuos pœnitentes, & ſpecialiter hæc tria: *Docere ignorantem: corrigere peccantem; & portare oneroſos, & graves.*

Amor Paternus erga filios naturales quanta ſuffert? multò magis Amor ſpiritualis erga Animas. Confeſſarius eſt Pater Spiritualis omnium pœnitentium, ut habetur, cap. Omnes 30. q. 1. ibi: *Omnes, quos in pœnitentia accepimus, Filii noſtri ſunt.* Tum quia S. Chryſoſtomus in homilia 20. de Confeſſione, ait: *Apud Judicem bonum Confeſſio Mater eſt Indulgentia.* Et Eccleſiaſticus, c. 4. *Eſto miſericos, ut Pater.*

Quæro VI. *Quomodo prudenter geret* Officium Magiſtri, ſeu Doctoris?

6 ℞. Erudiendo rudem in fide: informando ignarum de via ſalutis æternæ: ſolvendo dubia pœnitentis: & ſanam doctrinam ſequendo in omnibus ſuis actibus: Lege P. Valerium Reginaldum *in ſua magna Praxi Confeſſariorum, lib. 2. per totum.*

Oportet tamen hìc, ut attendamus, ac intel-

Digitized by Google

intelligamus ſententiam dilecti Diſcipuli, (1. Joan. 4. verſ. 1.) qui nobis Chriſti Diſcipulis jubendo dicit: *Nolite omni ſpiritui credere; ſed probate, an ex Deo ſint;* ubi P. Jacobus Tirinus gloſſat. *Spiritum* vocat Apoſtolus inſpirationem, ſuggeſtionem impulſum, ſuaſionem, doctrinam: vel ipſum etiam Magiſtrum docentem. Alludit verò ad nautas, qui non omni ſpiritui, ideſt, vento credunt, aut obſecundant. S. Bernardus ſex ſpiritus diſtinguit, nempe Divinum, Angelicum, Humanum, Carnalem, Mundanum, & Diabolicum. Hæc & alia *Tirinus* cum Cornelio à Lapide ibi; qui *Cornelius* addit: Docet hic S. Joannes quemlibet Fidelium non debere credere omnibus ſuis internis motibus, inſpirationibus, deſideriis, rationibuſque ſpeciem boni præſeferentibus; ſed ſolerter examinandam eſſe originem, auctorem. Multi enim putant, ſe agi à Spiritu DEI, &c. qui, ſi fundum cordis examinent, invenient, ſe à contrario ſpiritu, puta vanitatis, (hypocriſis,) diaboli, qui adverſatur ſinceritati, veritati, veræque Sanctitati. Ad hoc maximè invocandus eſt Spiritus-Sanctus, ut det nobis (Confeſſariis) donum *Diſcretionis Spirituum*; interim addiſcamus Regulas practicas, quas tradiderunt docti, & pii Viri; ut Ricardus Victorinus, *part. 2. cap. 33. in Cantica.* -- Joan. Gerſon, *lib. de Probatione Spirituum.* -- Turrecremata *in Præfat. Revel. S. Brigidæ.* -- Bernardinus Roſſignol. *libr. 3. de Diſcipl. Chriſt. Perfect.* -- S. Bernardus, *ſerm. 57. & 74. in Cant. & ſerm. 7. Spiritibus.* -- S. Ignatius Loyola, *in l. Exerc. Spiritual.* -- Hæc, & alia P. Cornelius.

Quibus citr. addo librum, cui tit. *De Diſcretione Spirituum*: Eminentiſſimi Card. Joan. Bona diviſum in 20. Capita; & aliquot in noſtro idiomate Italico, ut il P. Angelo Paciuchelli, *Lezioni ſopra Giona: lez. 67. à num. marginal. 13. al 21.* -- Il P. Franceſco Stadiera, *Inganni nella Via Spirit. tract. 14. cap. 19.* -- Scuola del Gran Maeſtro di Spirito, S. Filippo Neri: *lib. 4. lez. 2. lib. 5. lez. 12., e ſeg., & in altri luoghi.* -- L'Opere di S. Franceſco di Sales. -- Di S. Tereſa; & aliorum, quos omitto, quia noti ſunt.

Quæro VII. *Quotuplex debet eſſe Prudentia Confeſſarii?*

7 ℟. Triplex: nempe Prudentia circa ſe ipſum: Prudentia circa pœnitentes; & Prudentia circa circumſtantes.

Quæro VIII. *Qualis eſt Prudentia circa ſe ipſum?*

℟. Debet obſervare illud dictum Eccleſiaſtici, cap. 29. *Recupera proximum ſecundùm virtutem tuam, & attende tibi, ne incidas.* Et illud Jeremiæ, cap. 15. *Convertentur ipſi (pœnitentes) ad te, & tu non converteris ad eos.* 8

Quæro IX. *Qualis eſt Prudentia erga pœnitentes?*

℟. Hæc Prudentia præcipuè conſiſtere debet in ſex punctis. I. In eos prudenter examinando ſecundùm ſtatum, & conditionem uniuſcujuſque, ubi opus eſt. II. In monendo incautum, qui vult ſine neceſſitate complicem, & hiſtoriam declarare. III. In relinquendo quandoque pœnitentem in ſua bona fide; quando, videlicet, ex notitia præſtanda credit, nihil profuturum ei, imò timet obfuturum. IV. In conformando ſe opinioni probabili in praxi ipſius pœnitentis. V. In applicandis mediis, ac remediis, accomodatis ſtatui, ac neceſſitati pœnitentis. VI. In imponenda pœnitentia proportionata peccatis, & peccatori pœnitenti; ſed magis conditioni ipſius pœnitentis. -- Lege P. Vincentium Filliucium, *tom. 1. poſt Tractationem ſeptimam de Pœnitentia*: In Inſtructione brevi pro Confeſſionibus excipiendis, cap. 3. per totum. 9

Quæro X. *Qualis eſt Prudentia erga Circumſtantes?*

℟. Cavere debet, ne ipſe judicetur ut acceptator Perſonarum: ne perdat tempus cum mulierculis: in quo multi delinquunt neſcientes regulas Sanctorum. -- Vide, & lege lib. cui cit. *Avvertimenti Spirit.* del R. P. Diego Perez, part. 4. tit. 18. *per totum*, ne abjiciat pauperes, ac ruſticos: ne nimis clarè loquatur, aut vocem extollat: ne geſtibus manuum præbeat aliquod ſignum admirationis: ne alio quovis modo indirectè revelet Confeſſionem confitentium apud adſtantes. 10

Quæro XI. *Confeſſarius teneturne interrogare ſuos pœnitentes?*

℟. Si, conſideratis circumſtantiis perſonæ, & modi confitendi, ſeu ſe accuſandi, arbitretur, hoc pœnitentem integrè confiteri, non debet eum interrogationibus fatigare, vel gravare. -- Si autem prudenter putet, aut advertat, eum 11

non

non integrè confiteri, cautè eum interrogare debet pro conditione illius. — Lege Laymannum, *lib.* 5. *de pœnit. tr.* 6. *c.* 13. *per totum*.

12 Per accidens ergo in ſupplementum ignorantiæ, vel indiſpoſitionis confitentium quorumdam, Confeſſario incumbit hoc onus interrogandi, ut habetur *ex cap. Omnes utriuſque & ex cap. Si quis vult*. Et ex Rituale Romano, *tit. de Sacram. Pœnit.*

13 *Sed adverte*, quòd non obligaris, niſi juxta capacitatem, & obligationem perſonalem hujus pœnitentis, quem modò audis; ergo fuge extrema; multi enim cadunt in extrema vitioſa; vel nihil interrogando, vel nimiùm ſcrutando, & gravando; unde Prudentia, ac diſcretione indigemus. V. P. Marchant. *tom.* 1. *fol. mihi* 57. *ubi plura*.

Quæro XII. *Quid, ſi pœnitens neſciat manifeſtare numerum ſuorum peccatorum?*

14 ℟. Prudentia Confeſſarii debet ſupplere, interrogando pœnitentem de tempore, quo illud peccatum continuavit. Lege Bertaùm *in Dirigere Confeſſariorum*, *tract.* 3. *cap.* 1. & 2. ubi plures dantur Regulæ prudentiales.

Quæro XIII. *Quando Confeſſarius habet interrogare pœnitentem vel de ſpecie, vel de numero, vel de tempore alicujus peccati, debetne ſtatim, vel poſtea finita Confeſſione, aut locutione pœnitentis, facere illam interrogationem?*

15 ℟. Non poteſt hic aſſignari Regula generalis pro omnibus Confeſſariis, quia non omnes habent eamdem memoriam, & retentivam; ergo juxta uniuſcumque poſſibilitatem facienda erit interrogatio vel *ſtatim*, vel *poſtea*, ut habeatur ſpecies, & numerus, quantùm fieri, & haberi poteſt, ad integritatem Confeſſionis. — V. Anacletum noſtrum, *Theol. Moral. tract.* 14. *diſt.* 8. *q.* 3. *à n.* 39.

Quæro XIV. *Quando Confeſſarius per notitiam aliundè habitam ſcit, Titium (modò confitentem ſibi peccata) non confiteri unum peccatum in ſpecie; quid ſecundùm prudentiam agere debet hic, & nunc?*

16 ℟. I. Si Confeſſarius evidenter ſciat, Titium commiſiſſe tale peccatum, illudque nunc malitioſè tacere, vel negare; non poteſt eum abſolvere, ſed debet remittere ad alium Confeſſarium. Quia nefas eſt, miniſtrare Sacramentum propria conſcientia alicui evidenter indiſpoſito. V. Card. de Lugo *tomo de Pœnit. diſp.* 22. *n.* 21. & 22.

℟. II. Si autem Confeſſarius ſciat quidem certò, & evidenter, Titium commiſiſſe illud peccatum in ſpecie, quod modò tacet, vel negat; attamen poſſit prudenter credere, quòd Titius confeſſus ſit illud apud alium Confeſſarium: factà debita generali interrogatione, & Titio negante, ſe aliud habere peccatum confitendum; tenetur Confeſſarius ei credere, illumque abſolvere. Ita Suarez, *diſp.* 32. *de Pœnit. ſect.* 3. *n.* 9., & P. Faber Faventinus, *tom. de Pœnit. diſp.* 33. *n.* 9. aliique DD. Ratio autem eſt: quia regulariter ſtandum eſt dictis pœnitentis, qui eſt in hoc Foro non ſolùm Reus, ſed Teſtis; ergo ſtat pro ſe, & contra ſe ejus dictum; non enim debemus credere, velle tunc pœnitentem ſpernere ſalutem ſuam, ac committere deliberatè Sacrilegium. 17

Quæ ratio militat etiam in caſu, quo Confeſſarius cognoverit Titium eſſe complicem peccati alterius pœnitentis, quem modò, vel nuper audivit, & abſolvit. 18

Dices. Qua conſcientia potero ego Confeſſarius abſolvere Titium, quem certò ſcio ex Confeſſione ſui complicis eſſe Reum illius peccati, quod tacet, vel negat? 19

℟. Reverentia debita ſigillo Sacramentali te obligat ad hoc credendum. Dic mihi, ſi tu urgeres Titium taliter, ut frangeres ſecretum Confeſſionis prioris complicis, nonne evaderes ſacrilegus? Ergo minus malum eſt, credere utrique, quàm nimis credere tuo judicio. Debes in corde tuo dicere: *Ex ore tuo te judico*: nolo uti ſcientia habita in Confeſſione alteriùs in præjudicium præſentis.

Quæro XV. *Quomodo poteſt Confeſſarius formare judicium prudens de debita diſpoſitione confitentium, vel pœnitentium ſuorum?*

℟. I. Quotieſcumque mihi Confeſſario *evidentiſſimè non conſtat* de indiſpoſitione hujus, illius, & cæterorum pœnitentium, debeo mihi perſuadere, & humano modo credere, ſaltem probabiliter, quòd omnes ſint benè diſpoſiti, dum more catholicorum ſponte confitentur peccata ſua: aliter judicare, eſſet temerè judicare. *Unuſquiſque enim præſumitur bonus, niſi probetur malus. Et in dubio favendum* 20

eſt

eſt Reo. Et Judex debet magis inclinare ad abſolvendum, quàm ad condemnandum Reum; maximè in cauſa incerta, vel dubia. Ita Legiſtæ.

21 ℞. *II.* Tunc autem mihi evidentiſſimè conſtabit de indiſpoſitione alicujus confitentis. *Primò* interrogatus iſte neſciat myſtetia principaliora noſtræ S. Fidei, quæ ſunt iſta quatuor, videlicet: quòd *detur unus ſolus Deus*: quòd *iſte Deus ſit Trinus in Perſonis*: quòd *Secunda Perſona incarnata ſit propter noſtram ſalutem*: & quod *Deus ſit Remunerator bonorum in cœlis, & ultor malorum in Inferno*.

22 *Secundò*. Si confitens ignorat neceſſariam diſpoſitionem ad validam Confeſſionem Sacramentalem. *Tertiò*. Si ignorat, quæ eſſentialiter pertinent ad proprium ſtatum, vel Officium. *Quartò*, ſi adſint ſigna, vel facta mihi evidenter indicantia carentiam veri doloris, & propoſiti emendationis.

23 Iſta verò ſigna, vel facta erunt hujuſmodi. I. Si non vult deſerere (cùm poſſit) aliquam occaſionem proximam peccandi. II. Si non vult reſtituere, (cùm poſſit) aut rem, aut famam alienam. III. Si non vult condonare offenſam, nec reconciliari inimico. IV. Habens conſuetudinem mortaliter peccandi (in quavis ſpecie) ſi non curat de remedio; ſemper cadat in eadem ſine veſtigio, ſine ulla ſpe emendationis.

24 *Dices*. Circa iſta ſigna, vel facta: nonne ſufficiet, ſi pœnitens dicat, ſe dolere, & proponere emendationem, ad hoc, ut judicetur ſufficienter diſpoſitus? Nonne credendum tunc erit ei? Ergo & abſolendus.

℞. Doctrina hæc, veluti falſa, & ſcandaloſa, damnata fuit ab Innoc. P. XI. in propoſitione, n. 60. quæ ſic ſonabat, & malè ſonabat: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, Eccleſiæ, aut Naturæ etſi emendationis ſpes nulla appareat nec eſt deneganda, nec differenda abſolutio; dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere remunerationem*.

25 Ratio eſt: quia impoſſibile moraliter eſt quòd Confeſſarius prudenter poſſit credere dictis, aut verbis frigidis hujus pœnitentis, ſeu confitentis, quando habet indicia, ſigna, facta, aut etiam conjecturas urgentiſſimas in contrarium; ergo in caſibus prædictis Confeſſarius non ſolùm non debet, ſed nec prudenter poteſt credere pœnitenti, dum ore tantùm profert: *Doleo, & propono*. Lege, quæſo, P. Cardenam ſuper declarationem illius damnatæ propoſitionis: nempe *ſexageſima ex damnatis ab Innoc. XI.* ubi pulcherrimam videbis doctrinam pro praxi -- & Rituale Romanum non negligas legere tit. de Sactam. Pœnit. Verſ. *Videat autem diligenter Sacerdos?*

Quæro XVI. *Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius, quando cognoverit, ſe erraſſe in ſuo Officio.*

Reſp. I. Vel error habet remedium, vel error eſt ſine remedio. Si error ſit irremediabilis, Deo commendet omnipotenti; petendo humiliter veniam, ſi ipſe Confeſſarius fuerit in culpa. Si autem eſt remediabilis, quærendum ſibi erit de remedio. 26

Reſp. II. Si erraverit v.g. in abſolvendo pœnitentem ab aliqua Cenſura, vel Caſu, de quo non habebat authoritatem; debet, capta opportunitate alloquendi talem pœnitentem, petere licentiam manifeſtandi aliquid de Confeſſione peracta. Si pœnitens annuit: dicat ei errorem; ſi renuit, ad nil aliud tenetur; quia jam ex parte ſua fecit, quod debuit. Idem dicendum de aliis erroribus, ut jam vidimus *in locis propriis per totam Summam*. 27

Reſp. III. Si autem pœnitens redītet ad pedes ejuſdem Confeſſarii; tunc ſine dubio debet corrigere errorem etiam nulla petita, & obtenta licentia pœnitentis; quia, ut vidimus. Confeſſarius eſt in ſuo Tribunali, in quo habet Jus liberè loquendi de præteritis Confeſſionibus. 28

Circà alias materias, obligationes, & regulas prudentiales Confeſſarii, quære *in Prima Parte*, Verbo: *Regula pro Confeſſariis*, ubi plura: & etiam in hac Secunda parte ſuis in locis. 29 « « «

Quæro XVII. *Confeſſarii tenenturne ſub mortali ſtudere libris moralibus de Caſibus Conſcientiæ?*

℞. Vel Confeſſarius habet jam acquiſitam, & requiſitam ſcientiam ſecundùm proportionem, & qualitatem ſuorum pœnitentium; vel non habet. Si non habet: patet reſolutio ex dictis; *tract. 66. à nu. 27. & ſeqq.* 30

Si autem habet ſcientiam ſufficientem, adhuc quandoque tenetur ſtudere, ſi vult audire Confeſſiones. Ratio eſt: quia ſi

Medici

Medici corporum poſt Doctoratum ſæpiſſimè ſtudent; quantò magis Medici Animarum? Tum quia non omnes omnia neceſſaria ſciunt; non omnes habent memoriam Salomonis; ergo ſi quandoque non ſtudiis, non libris, non conferentiis Caſuum Conſcientiæ operam dederimus, omnes ſimul tractu temporis ignorantes inveniemur, & apparebimus, & conſequenter ut ignorantes peccabimus, exponendo nos periculo committendi multos, etiam graves errores. Lege *Praxim Fori Pœnitentialis* P. Reginaldi, *lib.* 1. *n.* 152. & 153.

Quæro XVIII. *Quinam eſt modus quærendi, & reſolvendi Caſum?*

31 ℞. Tyroni omninò, ac novitio in revolvendis libris exhibeo parvam hanc advertentiam Igitur.

Caſus Conſcientiæ, qui annuatim Clero Diœceſano ſolent proponi pro Deciſione, non omnes ad litteram inveniuntur in Libris, quantumvis legeres integram librorum Officinam; ſed ut plurimùm finguntur ab Epiſcoporum Theologis; invenies tamen materiam, doctrinamque communem; omnis quippe Caſus, etiam rarus, reducitur ad aliquod caput materiæ, V. G. *ad Simoniam*, vel *Reſtitutionem*, vel *Contractum*, vel *Sacramentum*, vel *Legem*, & ſic de ſingulis.

Omnes Tomi librorum habent in principio, vel in fine ſuam tabulam indicativam rerum notabilium, & aliqui etiam habent ſeriem Tractatuum, Diſputationum, Quæſtionum, &c. & alii ulteriùs habent in quovis capite ſuum Summarium. Indices iſti ſunt *veluti oculi librorum*; unde liber ſine bono, fidelique Indice poteſt dici *liber cæcus*, qui facit ammittere tempus volentibus quærere Caſum.

Modus quærendi Caſum erit iſte. Fingamus ex abrupto Caſum iſtum. *Titius mercator pluriès defraudavit Gabellam Principis: partim in rebus ad victum, partim ad mercaturam attinentibus; & quandoque etiam extrahendo Triticum à Territorio.* Q. I. *An Titius ſemper peccaverit mortaliter?* II. *An teneatur ad Reſtitutionem.*

Quomodo quæres hunc Caſum? Conſidera materiam, & quære in Indice rerum notabilium V. (ideſt, Verbo,) *Defraudare. Gabella. Vectigal. Mercatores. Extrahere. Triticum*, vel *Frumentum. Reſtitutio. Radices*, vel *Cauſa reſtitutionis. Peccata contra Juſtitiam. Juſtitia. Tributum Principis.*

Quòd ſi ſub his titulis, aut verbis nihil invenies in uno libro: noli ampliùs terrere tempus in illo; quære in meliori, & grandiori libro; & certè invenies materiam communiſſimam, ex qua poteris formare deciſionem Caſus. Unde patet neceſſitas habendi plures libros volentibus fundatè decidere Caſus in quavis materia. *Non omnes omnia dicunt, vel continent libri.*

Inventa materia, vel doctrina communi circa Caſum, debes Tyro, extendere Caſum in forma, & reſpondere breviter, at ſolidè ad ſingula puncta, vel quæſita, eaque probare per rationes, auctoritates leges, vel Canones juxta qualitatem Caſus; ut videre poteris multis in locis hujus compendii. Si vis ergo reſolvere caſum prædictum *de Titio mercatore*, requirere materiam in Indice primæ partis hujus Lucis. Et ut citiùs invenias, notabo etiam locum. *Tract.* 32. *n.* 88. & 89. -- & *Tract.* 35. *num.* 108.

-- *Uſus te plura docebit.*

De Prudentia Confeſſarii erga Scrupuloſos pœnitentes.

Quæro XIX. *Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius novellus erga pœnitentes illos, qui verè, & realiter ſunt Scrupuloſi?*

℞. Debet addiſcere, & in praxim de- 32
ducere infraſcriptas Regulas aſſignatas à Doctoribus; citandis; *quarum Regularum.*

Prima eſt. Confeſſarius debet attendere mores, & qualitates Scrupuloſorum, ideoque puſillanimes repertos conſolari, & hortari ſtudebit, ut ſint animoſi: protervos verò reprehendat, exterreat, jubeatque ſibi obedire, aliàs à ſe repellet.

Secunda. Numquam deſperet de ſalute Scrupuloſi, neque ægrè ferat ejus importunitatem, ac tædium; ſed ſperet in divina Bonitate, & Clementia. Curam illus in omni patientia Dei proſequatur. Oret pro eo Dominum. B. V. Mariam, Sanctos omnes præſertim illos, qui apud DEUM ſpecialem ſortiti ſunt gratiam liberandi Animas à Scrupulis, ut inter alios ſunt S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, S. Philippus Nerius, S. Ignatius Loyolæ. Suadeat pœnitenti, ut ipſe quoque oret, & obſecret; nam Oratio eſt unum reme-

Digitized by Google

remedium univerſale relictum à Chriſto Eccleſiæ ſuæ, ad omnes caſus difficiles, ac deſperatos; ut docet, ac probat P. Hieronymus Narnienſis *in Conc. S. Ambroſii*.

Tertia. Confeſſarius cum omibus Scrupuloſis, verbo, & facto, ſemper agat reſolutè, alacriter, promptè, cum claritate, & charitate; numquam dubiè, obſcurè, aut vacillando, vel titubando, ne augeat ſcrupulos, dum vult ſanare ſcrupuloſos; nam ſi Medicus medendo vacillaverit, non poteſt eſſe ſecuritas in ægroto, imò iſte de ſua ſalute anxius erit: & qui dubiam ſalutem dat afflictis, negat ipſis ſalutem. Unde Scrupuloſi ſecurè contra Scrupulos agere non audent, ſi Confeſſarium trepidare vident circa id, quòd deliberandum, & conſulendum eſt. Ita Reginald. *lib.* 10. *c.* 9. *n.* 117.

Quarta. Confeſſarius, auditis ſcrupulis hominis verè, realiter, & patenter Scrupuloſi, interroget ipſum: ſi paratus eſt recipere abſolutionem Sacramentalem cum illa ſola ſcrupuloſa materia; ſi renuat, recuſet, timeat, ac velit aliam promere materiam certam, eum ſine abſolutione dimittat; quia tunc ſignum evidens eſt, ejus Scrupulos eſſe meras, & puras Imaginationes, formidines, levitates, aut dæmonis ſuggeſtiones, & inquietudines, nullamque (ſaltem gravem) continere culpam. Ita Communis Doctores Peritorum.

Quinta. Confeſſarius quandoque Scrupulorum periculum in ſe ſuſcipiat, ſpondeatque pœnitenti, ſe pro illius peccatis redditurum rationem in die Judicii; id enim multùm juvabit ad inducendos Scrupuloſos, timoratos, ut Scrupulos contemnant, & contra eos agant; nam nonnulli, ut plurimùm, cum ſuis in Scrupulis magis timeant, & apprehendant propriam condemnationem, quàm Divinam injuriam, ſolent quieſcere in hac tempeſtate Scrupulorum, dum eos de propria ſalute ſecuros ſic reddimus. Ita Sapientes Auctores.

Sexta. Confeſſarius debet admonere pœnitentem de obligatione, qua tenetur ſpernere Scrupulos, ac parvi pendere argumenta, quæ naſcuntur ex Scrupulis. Item debet ei ingerere *magnum Scrupulum inobedientiæ* erga omnes Sapientes, Theologos, Moraliſtas, Doctores, & SS. Patres, niſi obediat; ac oſtendere ei damna, quæ ex ſuis Scrupulis ſibi imminent, ſi remedia, atque conſilia, imò & præcepta reſpuat. Ita Sanchez, Bonacina, & alii. Item aliquando Scrupuloſo præcipere debet, ut de tali Scrupulo, vel materia ſcrupuloſa ampliùs non loquatur, aut confiteatur, ſed tamquam quid inane, ac futile contemnat. Interdum verò, ſi præter Scrupulos ſolitos aliam materiam ad Confeſſionem non affert, ſine abſolutione ad SS. Euchariſtiam eum dimittat ſine replicatione, vel excuſatione, &c. Ita Laymann, Molina, Perez, p. 2. tit. 3. cap. 15. & alii &c.

Septima. Debet Confeſſarius aliquas Regulas Scrupuloſo præſcribere, & inculcare, quibus à Scrupulis occurrentibus, & imminentibus poſſit ſtatim ſe expedire, quas poterit addiſcere ex dictis à nobis in *Tract.* 2. de Conſcientia, *à n.* 62. *& ſeqq.* & ex dicendis inferiùs. Plurimùm enim refert, ut Scrupuloſus quiſque non ſtatim ac ſentit, ſe angi à Scrupulo, ad Confeſſarium accedat, ut iſtum de Scrupulo conſulat, ſed debet per ſe, & ex regulis à Confeſſario ſibi aſſignatis, judicare, & reſolvere caſus Scrupuloſitatis ſuæ; alioquin hoc eſſet onus intollerabile tam ipſi, quàm Confeſſario ejus, & numquam ceſſaret vena, vel ſcatebra Scrupuloſi humoris. Ita Vaſquez, & alii DD. communiſſimè.

Octava. Confeſſarii Scrupuloſorum non adducant ipſis multas rationes ad eorum Scrupulos tollendos, ſed paucis verbis (Nota benè) ſimpliciter, & abſolutè eos inſtruant, dicendo, hos eſſe Scrupulos nullo nixos fundamento, ac proinde contemnendos eſſe ex doctrina communi, & univerſali omnium Librorum; nam multiplicare ſermones, rationes, & tractatus cum Scrupuloſis, & oleum, & operam perdere, ut experientia nimis probat; quinimò inde oriuntur plures novi Scrupuli, quàm antiqui; ita, ut numquam quieſcant, & exſiccentur; nam ex ipſis rationibus adductis ad ſcrupulizandum in infinitum majorem ſumunt occaſionem. Obediant, credant, & ſtatim mundabuntur à lepra Scrupulorum. Ita Sanchez, Bonacina, Caſtropal. -- Eman. Rodericus, *tom.* 3. *QQ. Regul. q.* 66. *art.* 2. & alii.

Nona. Confeſſarius ſemper debet explicare, & interpretari dubia Scrupuloſi in meliorem, mitiorem, & favorabiliorem partem;

partem; quia hujuſmodi dubia non ſunt *vera dubia, ſed veri Scrupuli*. Cùm enim proprium ſit Scrupuloſæ Conſcientiæ ſemper dubitare ex levi, & apparenti fundamento, par non eſt, ut inde dubitans damnum patiatur; damnum (inquam) tam notabile; quale eſt inquietudo perpetua Conſcientiarum. Quòd ſi in dubiis regulariter judicandum eſt in favorem poſſidentis ſuam libertatem, à fortiori hoc dicendum erit in materia dubia Scrupuloſi hominis. Tum quia ipſemet Scrupulus, aut formido Scrupuloſi graviora omnia repræſentat judicio ejus, quàm in ſe ſint, facitque trepidare ubi non eſt cauſa trepidationis, vel timoris. Ita Sanchez, *lib.* 1. *Moral. Oper. cap.* 10. *n.* 48. Bonacina, Caſtropalaus, & alii. Quare, Confeſſor mi tyro, quando audies Confeſſiones Scrupuloſorum in ſpecie dubitantium: audies quoque, eos ferè omni periodo ſe accuſare cum dubio; patienter prima vice ſuſtine omnia; poſtea edicito, & obnuncia illis, quòd impoſterum non confiteantur ſic; quia dubia ipſorum reſolvuntur in Scrupulos inanes. Neque permittas, ut ſcribant peccata ſua; quia ſic nutriunt Scrupulos, & non obligantur ad talem extraordinariam diligentiam. Ita praxis Doctorum.

Ego, DEO dante, ſedavi perturbationem Scrupuloſæ Conſcientiæ hac ratione: Deus, & Eccleſia ejus non te obligant ad hoc &c. tibi non imponunt hoc graviſſimum jugum; quare igitur tu ex proprio cerebro vis teipſum obligare; tibique imponere, hujuſmodi onus? Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata. Quæ? DEI, & S. Matris Eccleſiæ. Ergo &c.

Decima: Dubium hominis Scrupuloſi circa conſenſum in aliquod peccatum regulariter reſolvendum eſt in partem negativam, nempè, quòd non conſenſerit ob rationem prædictam in *nona Regula*. Tum quia verus conſenſus omninò reliquiſſet majorem ſpeciem, & memoriam; ergo ex eo, quòd non reliquit talem memoriam, rectè judicatur, non fuiſſe plenum conſenſum. Ita Baldellius, *lib.* 4. *de Conſcientia, diſp.* 23. *n.*7. cum aliis.

Undecima. Reperiuntur aliquæ Perſonæ timoratæ conſcientiæ, & ſimul ita Scrupulis vexatæ, ut non recuſarent jurare, ſe in peccatum conſenſiſſe, aut peccatum à ſe commiſſum (cum Scrupulo) fuiſſe mortale, aut numquam illud declaraſſe cum debitis circumſtantiis; ad hoc, ut Confeſſarius eis permittat, illud confiteri meliori modo, &c. Unde Confeſſarius prudens attendere debet mores, & qualitates Scrupuloſi pœnitentis, & quali paſſione laboret, ut poſſit ejus dictis credere, & ſinere eum ſibi ſatisfacere, aut negare hanc ſatisfactionem. Ita Boſſius, *p.* 3. *tit.* 1. §. 54. cum aliis DD.

Duodecima. Pœnitenti valdè Scrupuloſo circa Confeſſiones præteritas non permittat (bonus Confeſſarius) anteactæ vitæ peccata repetere, niſi evidentiſſimè conſtet, tales Confeſſiones fuiſſe invalidas. Aliter ſi Confeſſarius facilè hoc permitteret, Scrupulos in infinitum crearet tali pœnitenti; & minùs malum reputatur à Sapientibus Caſiſtis, Confeſſionem aliquam fore non integram materialiter, quàm, quærendo ejus integritatem, inducere Conſcientiam Scrupuloſam in perpetuas anxietates, & animi inquietudines cum notabili damno Animæ, & corporis pœnitentis. Ita Alvarez, *tom.* 2. *libr.* 1. *cap.* 12. §. 5. -- Gerſon, Reginaldus, Molina, & alii cum Alphonſo de Leone, *de Off. & Poteſt. Confeſſarii recollect.* 23. *n.*14.

Decimatertia. Confeſſarius, ut ſit prudens, ac fidelis Medicus Scrupuloſæ, ac timoratæ conſcientiæ, agitatæ, ac tentatæ circa cogitationes pravas contra Fidem, non debet ei imponere, (ut nonnulli inexperti faciunt) ut quando ſentit ſimiles tentationes, & immiſſiones hæreticales, blaſphemas, enormes, inhoneſtas, &c. promat actum nolendi, ſeu nolitionis, vel actum contrarium, aut faciat ſignum Crucis ſupra cor, & ejuſmodi, &c. quia ex frequentatione iſtorum actuum contrariorum, fortiùs imprimuntur tales apprehenſiones perverſæ; ſed potiùs conſulat, ut parvi pendat, ac deſpiciat eas, nil cogitando de eis, tamquam canibus latrantibus, & non valentibus mordere niſi volentes ſe eis approximare. Ita Molpenſius, *tract.* 8. *cap.* 9. *n.* 75. cum Alphonſo de Leone, *loc. cit. n.*12. ex communi DD.

Decimaquarta. Pœnitentibus timoratis, ſed ſcrupulizantibus circa attentionem in Divino Officio, aut ejus integritatem, aut Sacerdotibus Scrupuloſis in Conſecratione, & Canone Miſſæ debet Confeſſarius jubere, ut abſtineant omninò à reiteratione Officii, Pſalmi, verſiculi,

aut

aut eorum verborum, quæ in Miſſa reliquiſſe putant. Quòd ſi hic Scrupulus eveniat dum actu legunt Horas Canonicas, aut Miſſam, audacter pergant curſum ſequentium verborum *ex obedientia Confeſſarii*, qui locum DEI tenet, &c. Ita poſt Navarrum, & alios DD. Reginaldus, *lib.* 2. *n.* 133. & Alphonſus de Leone, *loc. cit. n.* 18. qui addit: Juvabit eis Scrupuloſis imponere aliquam pœnitentiam pecuniariam, ſeu eleemoſynam, ſi iterent Officium: vel alia verba. Addo ego: vel aliam pœnitentiam mortificativam, & præſervativam pro qualitate Perſonæ ſic Scrupuloſæ; & illis pœnitentibus, qui vexantur à tentationibus diabolicis, dum recitant Divina Officia, efficaciter perſuadendum, ut eas omninò nihil faciant, veluti muſcas volantes, aut non reflectant ſuper eas; quinimò contemnant veluti dæmones excommunicatos, & damnatos, quibuſcum non licet loqui; ſed mente ad DEUM intenta proſequantur attendendo ad id, quod dicunt. Quòd ſi magnum ſenſerint faſtidium; recordentur quæ pertulit Jeſus Chriſtus Dominus noſter in ſua glorioſa, ac doloroſa Paſſione pro nobis; & ipſe, *qui eſt Patientia Sanctorum*, dabit eis virtutem, ac fortitudinem admirabilem contra inimicos noſtros. Deus enim non deſerit milites ſuos, ſed adjuvat, & coronat.

Decimaquinta. Ex obedientia practica pœnitentis poterit Confeſſarius percipere, utrùm Scrupuloſus velit, aut nolit ſanari, & ſalvari; nam *DEUS ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. 1. Petri c. 5. v. 5. *Et vir obediens loquetur victoriam*: Prov. cap: 21. v. 28. -- Sed Scrupuloſi aliquando ſolent non aquieſcere dictis, conſiliis, ac mandatis Confeſſarii, quia putant, eum non percepiſſe gravitatem culparum; quod eſt idem, ac judicare de ignorantia ipſius Confeſſarii, aut ſaltem de inadvertentia, & inconſideratione in re tam gravi pertinente ad ſuum officium, ac tribunal; ideò debet eos admonere, ut abſtineant à tali judicio temerario, ne majus peccatum habeant, vel committant dum actualiter confitentur præterita. Ita cum aliis DD. Alphonſus de Leone, *recollectione* 23. *num.* 15. *&* 16. -- Solent etiam quandoque Scrupoloſi ſe defendere dicendo: Pater, ſi ego morti proximus eſſem, utiquè non auderem cum his Scrupulis (quos tu non vis audire, nec mihi permittere, ut tibi confitear) comparere coram Chriſto Juſto Judice. -- Tunc Confeſſarius reſpondeat: Ipſe Dominus promiſit, *quòd verus obediens numquam peribit*: ut docet, & probat S. Franciſcus Saleſius, *Trattenimento* 11. *nu.* 20. *& ſeq.*

Et ipſe Chriſtus Euangelio Lucæ, cap. 10. verſ. 16. ait: *Qui vos audit, Me audit*. Ergo ſi credis Euangelio, debes etiam eſſe ſecurus, & certus, quòd Chriſtus te non condemnabit propter hanc obedientiam mihi Miniſtro ejus præſtitam; quòd ſi erravi, mihi talis error, non tibi imputabitur. Poteris igitur læto animo comparere ante tribunal Chriſti, & pro te, ac tuis Scrupulis contemptis, hæc una, & optima erit excuſatio: *Obedientia cæca* pro Chriſto facta ſuis Miniſtris, qui omnes una voce clamant Scrupuloſis, *oportet obedire, & ſic quieſcere etiam in articulo mortis*. -- Ita ex comm. R. P. Didacus Perez, part. 2. tit. 3. De Triſtitia Spirituali, cap. 15. per totum. -- Summa Sylveſtrina, Verbo *Scrupulus*, per totum. -- Sanchez, *lib.* 1. *Moral. cap.* 10. *n.* 81. -- Sporer, *tom.* 1. *tract.* 1. *proœm. cap.* 1. *ſect.* 5. *n.* 109. *&* alii, &c.

Si vis plura, conſule DD. citt. hic, & "
alibi ſuis in locis pro qualitate materiæ, "
præſertim in 1. *Part. hujus Lucis, tract.* 1. "
à n. 62. *& ſeqq. Hæc mihi ſufficere videntur* "
pro tyronibus, quibus laboro. "

INSTRUZIONI

DE' PAROCHI.

Ed altri Confeſſori per lì caſi de' quali l' aſſoluzione, ovvero diſpenſa ſpetta alla Sacra Penitenzieria.

MOſtrando giornalmente l'eſperienza, che tra li fedeli Criſtiani dell'uno, e dell' altro ſeſſo per tutto il Mondo, molti incorſi in Cenſure, Irregolarità, Impedimenti di Voti, e di Matrimonio, e altri ſimili caſi reſpettivamente appartenenti alla Sacra Penitenzieria, ovvero alla Sede Apoſtolica, molto tempo ſtanno in eſſi, ſenza eſſerne proſciolti, e bene ſpeſſo in eſſi miſeramente ſi muojono, ſi è fatto refleſſione, che la cagione d'un sì gran male naſce dalli ſeguenti fonti.

I. Per-

Digitized by Google

I. Perchè li Parochi , ovvero altri Confeſſori , alle mani de quali capitano sì fatti penitenti , ſpecialmente quelli , i quali habitano in Campagna, Villaggi, e luoghi fuori della Città, ſpeſſiſſimo non ſanno à chi far ricorſo in Roma per il rimedio ad effetto d' ottenere a' detti penitenti lettere della Sacra Penitenzieria l' Aſſoluzione , ovvero Diſpenſa. D' onde ne ſegue , che li detti Sacerdoti tralaſciando la detta cura , e diligenza mandano li detti penitenti ò a' Veſcovi ; ò ad altri , a' quali per il roſſore , e vergogna (particolarmente le Donne) temono di preſentarſi.

II. Altri delli ſopraddetti Sacerdoti , che hanno in Roma li loro Procuratori, eſigano per le ſpeſe tanta ſomma di danaro , che li penitenti non potendo per la povertà far tante ſpeſe, ſe ne ritirano affatto e forſe reſtano impreſſionati (che ſarebbe coſa di gran lunga peggiore) che il Tribunale della Sacra Penitenzieria per le dette lettere faccia guadagno.

La traſcuraggine , e innavvedutezza di molti Confeſſori fà, che le grazie ottenute reſtino irritate , nulle , e ſenza effetto perchè alle volte malamente eſpongono ò li caſi, ò le circonſtanze di eſſi neceſſarie à ſpiegarſi. Onde poi ne naſce, che li Eſecutori delle lettere Apoſtoliche , eſaminati bene li penitenti , trovano , che la coſa paſſa diverſamente da quello , che è ſtato eſpoſto ; e perciò non poſſono eſeguirſi dette lettere , con che li penitenti quaſi diſperati reſtano ſenza rimedio per l' impetrazione della nuova grazia.

III. Occorre anco non di rado , che li penitenti , dopo aver conſeguito da Roma le ſopradette lettere, non poſſino ne' ſuoi Villaggi , ò luoghi ove habitano, trovare facilmente per l' eſecuzione Perſona , che ſia Dottore di Theologia , ovvero di Sacri Canoni (mercè che per lo più à queſti s' indrizzano le lettere della Sacra Penitenziaria) ovvero ſe ſono Dottori , ſono almeno ſoſpetti alli penitenti , e nè meno nel Vicinato à quelli , che ſono lontani , poſſono ricorrere ſenza gran difficoltà. La qual coſa fa reſtare ſenza effetto le ſopraddette lettere , e li miſeri Penitenti nelle ſue ſozzure perſeverano.

IV. Premeſſe le dette coſe , eſſendo coſa certa , che il Tribunale della Sacra Penitenzieria cerca la ſola ſalute dell'Anime, e tutto concede gratis, per rimedio degl' incommodi, & inconvenienti ſopra accennati, ſi propogano alli Parochi, e Confeſſori li ſeguenti Caſi.

Quando ſi preſenterà à loro qualche penitente incorſo in qualche Caſo appartenente al detto Tribunale , devono con diligente carità , e pazienza eſaminare , & animare il Penitente , acciò ſinceramente ſpieghi tutta la coſa come paſſa . Oſſervino il genere della cenſura . Cerchino tutte le circonſtanze del fatto . Se il Penitente ſia Maſchio , ò Femina . Se Laico , ò Chierico . Se Regolare , ò Secolare . Se Sacerdote , ovvero Ordinato in altri ordini Sacri , ò ſemplice Chierico , ò Monaca , &c. Similmente dichiarino, e ſpecifichino il genere della Cenſura incorſa, & il Caſo , per il quale ſi è incorſa , ſe ſia pubblico , ovvero occulto. E circa l' Irregolarità veggano bene , ſe ella provenga da delitto , e da qual delitto con tutte le ſue circoſtanze; ſe da difetto , e da qual difetto , ſe da omicidio, ovvero mutilazione; ſe da violazione di Cenſura . Nelli Matrimonj cerchino la qualità dell' impedimento ; ſe veramente queſto ſia occulto, ſe il Matrimonio ſia , ò già contratto, ò da contrarſi . Parimente , che cagione ſi alleghi per ottenere la diſpenſa. Il medeſimo ſi faccia per li Voti, inveſtigando , che cauſa ſi apporti per averne la commutazione , & à qual' effetto , ma ſpecialmente nel percuſſore del Chierico, ſi cerchi bene per qual cagione ſia impedito il penitente di andare perſonalmente à Roma per l' Aſſoluzione. 1.

Dopo di avere conſeguita la notizia di tutta la cauſa, deve il Confeſſore ſcrivere il Caſo in carta con qualunque carattere gli piaccia, purchè ſia intelligibile , e ciò , ò in latina , ò in qualunque altra lingua nativa di qualunque altro paeſe , laſciando le coſe inutili , e tacendo anco il nome , e cognome del Penitente (ſe bene non vi è pericolo, che ſia rivelata ò la coſa , ò la perſona nel Santo Tribunale) ſe non ſi trattaſſe forſe di Cenſure fulminate contro i pubblici percuſſori di Chierici, e Duellanti in pubblico, perche in tali caſi deve eſprimerſi il nome , cognome , e Dioceſi ; Ma nelli caſi occulti ſi procede col ſemplice N. N. 2.

Il caſo poi così ſteſo , e ſcritto deve man- 3.

mandarſi direttamente ò per la Poſta, ò per il commune pubblico portatore di lettere à Roma al Penitenziero Maggiore in queſto modo.

All' Eminentiſs. e Reverendiſs. Signor Cardinale Penitenziero Maggiore.
ROMA.

Il quale certo per la ſua umanità, e carità volentieri ſentirà tutti, ordinerà la ſpedizione delle lettere, e reſcrivendo procurerà, che ſi mandino.

4 Si avverta bene nelle lettere, le quali ſi ſcriveranno à Roma al d. Penitenziero Maggiore, di ſignificarli eſpreſſamente, in che maniera, e per qual via egli hà da mandare la riſpoſta, ſe per la Poſta, ovvero per il commune pubblico portatore di lettere, terminando la lettera ſcritta al d. Eminentiſs. in queſto, o ſimil modo. *Si degni V. E. di reſcrivere a N. N. nella Città N. per il tale Caſtello N.*

In caſo poi dentro nella lettera dovrà proporſi, e ſcriverſi, come ſopra in queſta maniera.

Eminentiſs. e Reverendiſs. Sig.

N. Sacerdote ha contratto Irregolarità per Omicidio occulto da lui per tale, ò tale cagione, naſcoſtamente in tal modo commeſſo, ò procurato in perſona di Uomo laico. Dal qual tempo non ſi è aſtenuto dall'eſercizio degli Ordini à cagione di evitare lo ſcandalo, ovvero per non ſi ſcoprire. Ovvero ſi è aſtenuto dall'eſercizio degli Ordini, ma perchè non può lungamente aſtenerſene ſenza ſcandalo, umilmente ſupplica per il rimedio.

N.N. ha contratto Matrimonio con una Donna con la Madre di cui avanti haveva avuto copula carnale, ſapendo, ovvero non ſapendo l'impedimento (che è occulto) perlocchè non potendo ſenza ſcandalo ſepararſi, umilmente ſupplica per il rimedio.

N. N. Donna ha fatto Voto di Caſtità perpetua. Ma perchè ſi trova in pericolo, ò prevede, che ſi troverà in pericolo d'incontinenza, umilmente ſupplica di eſſere in detto Voto diſpenſata ad effetto di maritarſi.

Ma perchè ſono innumerabili li Caſi, nelli quali deve ſupplicarſi l' Eminentiſs. Cardinale Penitenziero Maggiore, perciò innumerabili ſono gli eſemplari delle ſuppliche.

Per notitia delli quali baſti avere accennato queſti tre ſopra li tre Capi principali di materie nelle quali occorre il biſogno di ricorſo, cioè Cenſure, Diſpenſe Matrimoniali, Diſpenſe di Voti.

Finalmente ſe nella Città, Caſtello, ò luogo, nel quale, come ſi è detto, ſi ſcrive all' Eminentiſs. Penitenziero, non vi ſaranno Confeſſori, li quali ſiano ò Dottori nella legge Canonica, ò Maeſtri nella Sacra Theologia, ò pure ſe vi ſono, il Penitente non ſi può facilmente indurre ad aprire à loro la ſua coſcienza, avendola già ſcoperta à qualche altro Confeſſore non graduato, queſta medeſima coſa dovrà nella lettera ſignificarſi al Penitenziero Maggiore. Il medeſimo ancora dovrà farſi, ſe il Confeſſore non ſaprà leggere il carattere Gotico, del quale ſi ſerve ordinariamente la Penitenzieria, perchè ſi deve ſperare, che S. E. provederà di opportuno rimedio. 5

Che ſe per ſorte qualche volta tarderà la riſpoſta dell' Eminentiſs. Maggiore Penitenziero, allora potranno, ò li Confeſſori, ò li Penitenti ſcrivere di nuovo, acciò chè, ſe per qualche accidente la prima lettera ſi foſſe perduta, giunga la ſeconda alle mani dell' Eminentiſs. Maggiore Penitenziero. 6

E con queſte neceſſarie, e caritatevoli induſtrie, e diligenze concorrendovi l' ajuto Divino, ſi provvederà à tutti li ſopradetti incomodi; E li Confeſſori guadagneranno à Dio la ſalute di tant' anime de' loro fratelli in Criſto.

Si eſortano quelli Parochi, e Confeſſori, alla notitia de' quali giungnerà la preſente Iſtruzione, che la tenghino affiſſa, e che la comunichino agli altri, ò ſtampata, ò ſcritta à mano per ſalute dell'Anime, la cura delle quali è, come inſegna S. Dioniſio Areopagita, il miniſterio più ſublime tra li Divini. *Omnium divinorum diviniſſimum eſt cooperari Deo in ſalutem Animarum*, ma perciò ancora, è di gran fatica, e d'attentione, onde laſciò ſcritto S. Gregorio Papa: *Ars Artium regimen Animarum*. 7

Roma. *Nella Stamparia della R.C.A.*

TRA-

TRACTATUS LXXII.

ULTIMUS, ET MISCELLANEUS.

QUæro I. Quomodò cenſurantur, vel qualificantur propoſitiones nonnullæ: nempe Propoſitiones *de Fide, & Moribus* non benè ſonantes?

Respondeo. Variis cenſuris pro qualitate materiæ qualificari ſolent. Ut autem aliquam vel levem notitiam Confeſſarius tyro habere poſſit de his, pono hìc Cenſuras principaliores.

1 *Propoſitio hæretica* eſt illa, quæ directè opponitur Verbo Divino ſcripto, vel tradito: vel Verbo à Pontifice Romano definito, ſeu explicato: vel Verbo ab Eccleſia Catholica ut de Fide communiter recepto.

2 *Propoſitio ſapiens hæreſim* eſt illa, quæ licèt ex ſe catholicum ſenſum habere poſſit, tamen ex circumſtantiis proferentis illam, meritò ſuſpicari poteſt, quod talis propoſitio contineat ſenſum hæreticalem. *Vel* eſt, quæ prima ſignificatione verborum, ſeu prima facie ſenſum habet hæreticum; quamvis piè intellecta poſſit habere catholicum ſenſum. -- *Vel* eſt, quæ aſſerit dogma perverſum, ex quo ſequitur hæreſis.

3 *Propoſitio erronea* eſt illa, quæ opponitur concluſioni theologicæ evidenter deductæ ex principiis Fidei.

4 *Propoſitio errori proxima* eſt illa, quæ opponitur concluſioni theologicæ, non probabiliter, ſed quaſi evidenter ex principiis Fidei illatæ, vel deductæ.

5 *Propoſitio ſchiſmatica* eſt illa, quæ ſternit viam ad ſchiſma, ſeu diviſionem à Capite Eccleſiæ Catholicæ, quòd eſt Papa.

6 *Propoſitio ſeditioſa* eſt illa, quæ in populo Dei viam ſternit ad ſeditiones, &c.

7 *Propoſitio blaſphema* eſt illa, quæ immediatè, vel mediatè Deo, vel B.V.M. vel Sanctis injuriam irrogat: & hæc propoſitio ſolet interdum etiam eſſe hæretica; unde oritur *Blaſphemia hæreticalis*.

8 *Propoſitio injurioſa* eſt illa, quæ detrahit alicui ſtatui Fidelium; ut ſi quis contra Cardinales, vel Epiſcopos, vel Eccleſiaſticos, vel Religioſos aliquid injurioſum dictum effutiat, vel typis edat.

Propoſitio temeraria eſt illa, quæ nulla 9
ratione ſufficienti munita, vel authoritate protecta opponitur communi Doctorum ſenſui, vel approbatæ hiſtoriæ eſt contraria.

Propoſitio malè ſonans: vel *piarum aurium offenſiva*: vel ſcandaloſa eſt illa, quę 10
aliquod abſurdum, vel peregrinum, aut novum à communi modo loquendi Patrum, & Scolaſticorum præſefert.

Ita ex Corduba, *lib.* 1. *QQ. quæſt.* 17. & Melchiore Cano, *lib. de locis theologicis*, P. Antonius à Candelaria, *In Brev. Scot. part.* 1. *diſp. prolog. qu.* 8. *in fine* §. *Quæres, &c.*

At P. Joannes de Cardenas in ſua Criſi Theolog. ſuper propoſitione damnatas 11
à Summo Pontifice Innocentio XI. -- diſſertatione proœmiali cap. 9. aliter explicat propoſitionem ſcandaloſam: ibi enim dicit.

Propoſitio ſcandaloſa in materia Doctrinæ illa eſt, quæ docet aliquid, quòd 12
præbet aliis occaſionem ruinæ: Ita ex ipſo nomine *ſcandali* talis expoſitio deſumitur, & hoc idem ſentiunt Magiſter Canus, *lib.* 12. *de locis theol. cap.* 11. §. *Propoſitionem*. P. Suarez, P. Granado, P. Petrus Hurrado, P. à Caſtropalao, &c.

Igitur ſecundùm communiorem expoſitionem, *Propoſitio ſcandaloſa* erit illa, 13
quæ Chriſtianam diſciplinam relaxat, & infert Animarum perniciem, & ruinam: ſi ſequatur in praxi.

Quæro II. *An propoſitio ſcandaloſa in materia Fidei, & morum, ſit neceſſariò falſa?*

℟. Quando Romanus Pontifex docens 14
Eccleſiam in materia Fidei, & morum damnat doctrinam aliquam *tamquam ſcandaloſam*, conſequenter affirmat, talem propoſitionem eſſe improbabilem poſitivè, & certò falſam. Ut optimè probat P. Cardenas, *c. cap.* 10. *à n.* 168. *& ſeqq.*

Quæro III. *Quænam ſunt propoſitiones damnatæ ab Innocentio Papa X.*

Digitized by Google

15 ℞. Sunt iſte quinque, videlicet.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant.

II. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.

III. Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione.

IV. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

V. Semipelagianum eſt dicere: Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Quæro IV. *Quâ Cenſura damnatæ fuerunt prædictæ quinque propoſitiones?*

16 ℞. Romanus Pontifex declaravit, & damnavit eas tamquam temerarias, impias, blaſphemas, & hæreticas. Ut patet in ejus Decreto edito die 31. Maii: anno 1653.

Quæro V. *Quænam ſunt Propoſitiones damnatæ ab Alexandro Papa VII.*

17 ℞. Sunt ſequentes quadraginta quinque.

I. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

II. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare; ne timiditatis notam apud alios incurrat.

III. Sententia aſſerens: Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt: anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium, viſa, & tolerata eſt.

IV. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab Excommunicatione propter eam incurſa.

V. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum: non teneris denunciare; ſi probare non poſſis.

VI. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione; ac proinde non eſt denunciandus.

VII. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis, eſt: Si ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante; hic poteſt illum abſolvere abſque onere denunciandi.

VIII. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos per eadem Miſſa licitè accipere: applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructûs ipſimet Celebranti correſpondentem; idque poſt Decretum Urbani Octavi.

IX. Poſt Decretum Urbani, poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minore ſtipendio: alia parte ſtipendii ſibi retenta.

X. Non eſt contra Juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; Neque etiam eſt contra Fidelitatem; etiamſi promittam, promiſſione etiam Juramento firmatam, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.

XI. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

XII. Mendicantes poſſunt abſolvere à Caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

XIII. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

XIV. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

XV. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

XVI. Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

XVII. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere; quando alius modus defendendi non ſuppetit: uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

XVIII. Licet interficere falſum accuſatorem,

ſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia; ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

XIX. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam.

XX. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd ſit pœna.

XXI. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

XXII. Non eſt contra Juſtitiam, Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis; quia Collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro Collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

XXIII. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat: puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto.

XXIV. Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideoque ſufficit dicere in Confeſſione: ſe procuraſſe pollutionem.

XXV. Qui habet copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

XXVI. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles poteſt Judex pecuniam accipere pro ferrenda ſententia in favorem unius præ alio.

XXVII. Si liber ſit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio cenſeri probabilis: dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tamquam improbabilem.

XXVIII. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat Legem à Principe promulgatam.

XXIX. In die jejunii qui ſæpiùs modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

XXX. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii; nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

XXXI. Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando: utcumque iter agant; etiamſi iter neceſſarium non ſit: & etiamſi iter unius diei conficiant.

XXXII. Non eſt evidens: quòd Conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

XXXIII. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit.

XXXIV. In die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

XXXV. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto: pro die præſenti, & craſtino.

XXXVI. Regulares poſſunt in foro Conſcientiæ uti Privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concil. Tridentinum.

XXXVII. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

XXXVIII. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm: eſt conſilium, non præceptum.

XXXIX. Illa particula *Quamprimùm*: intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

XL. Eſt probabilis Opinio, quæ dicit: Eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem Carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur: ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

XLI. Non eſt obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum Concubinarii; vulgo: *Regalo*: dum deficiente illo, nimis, ægrè ageret vitam; & aliæ epulæ tædio magno Concubinarium afficerent: & alia famula nimis difficilè inveniretur.

XLII. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere; ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

XLIII. Annuum Legatum pro Anima relictum non durat pluſquam per decem annos.

XLIV. Quoad Forum Conſcientiæ, Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant Cenſuræ.

„ XLV. Libri prohibiti, donec corrigan-
„ tur, poſſunt retineri uſquedum adhibita
„ diligentia corrigantur.

Has omnes theſes breviter declaratas, & ſimul confutatas, mi Lector, require in additione finali hujus 2. partis.

Quæro VI. *Quanam Cenſura prohibita, ac damnata fuerunt ſupradicta 45. Propoſitiones?*

18 Summus Pontifex prohibuit, & damnavit eas tamquam ad minùs ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas; ut habetur ex ejuſdem Decreto duplici: uno dato die 24. Septembris anno *1665.* altero edito die 16. Martii, anno *1666.*

Quæro VII. *Quanam ſunt Propoſitiones morales damnata ab Innocentio P. Undecimo?*

19 R. Sunt infrà notatæ ſexaginta quinque, quæ pariter damnatæ fuerunt tamquam ad minus ſcandaloſæ, & in praxi pernicioſæ: prout conſtat ex ejuſdem Pontificis Decreto, dato die 2. Martii anno *1679.*

„ I. Non eſt illicitum in Sacramentis con-
„ ferendis ſequi opinionem probabilem de
„ valore Sacramenti, relicta tutiore; niſi id
„ vetet Lex, conventio, aut periculum
„ gravis damni incurrendi. Hinc ſententia
„ probabili tantùm utendum non eſt in col-
„ latione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis,
„ aut Epiſcopalis.

„ II. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſ-
„ ſe judicare juxta opinionem etiam minùs
„ probabilem.

„ III. Generatim, dum probabilitate ſive
„ intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis
„ tenui, modò à probabilitatis finibus non
„ exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper
„ prudenter agimus.

„ IV. Ab infidelitate excuſabitur infidelis
„ non credens, ductus opinione minùs pro-
„ babili.

„ V. An peccet mortaliter, qui actum di-
„ lectionis DEI ſemel tantùm in vita elice-
„ ret, condemnare non audemus.

„ VI. Probabile eſt, ne ſingulis quidem
„ rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præ-
„ ceptum Charitatis erga DEUM.

„ VII. Tunc ſolùm obligat, quando te-
„ nemur juſtificari, & non habemus aliam
„ viam, qua juſtificari poſſumus.

„ VIII. Comedere, & bibere uſque ad ſa-
„ cietatem ob ſolam voluptatem non eſt pec-
„ catum; modò non obſit valetudini: quia lici-
„ tè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

IX. Opus conjugii ob ſolam voluptatem, “
& exercitium omni penitùs caret culpa, “
ca defectu veniali. “

X. Non tenemur Proximum diligere “
actu interno, & formali. “

XI. Præcepto Proximum diligendi ſa- “
tisfacere poſſumus per ſolos actus exter- “
nos. “

XII. Vix in ſæcularibus invenies, etiam “
in Regibus ſuperfluum ſtatui; & ita vix “
aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando “
tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui. “

XIII. Si cum debita moderatione facias, “
potes abſque peccato mortali de vita ali- “
cujus triſtari, & de ejus morte naturali gau- “
dere: illam inefficaci affectu petere, & “
deſiderare; non quidem ex diſplicentia “
perſonæ, ſed ob aliquod temporale emo- “
lumentum. “

XIV. Licitum eſt abſoluto deſiderio cu- “
pere mortem Patris; non quidem ut ma- “
lum Patris, ſed ut bonum cupientis: quia “
nimirùm ei obventura eſt pinguis hære- “
ditas. “

XV. Licitum eſt filio gaudere de par- “
ricidio Parentis à ſe in ebrietate perpe- “
trato, propter ingentes divitias inde ex “
hæreditate conſecutas. “

XVI. Fides non cenſetur cadere ſub “
præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe. “

XVII. Satis eſt, actum Fidei ſemel in vi- “
ta elicere. “

XVIII. Si à Poteſtate publica quis in- “
terrogetur: Fidem ingenuè confiteri, ut “
DEO, & Fidei glorioſum conſulo: “
tacere, ut peccaminoſum per ſe non “
damno. “

XIX. Voluntas non poteſt efficere, ut “
aſſenſus Fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, “
quàm mereatur pondus rationum ad aſſen- “
ſum impellentium. “

XX. Hinc poteſt quis prudenter repu- “
diare aſſenſum, quem habet ſupernatura- “
lem. “

XXI. Aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & “
utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm “
probabili revelationis; imò cum formidi- “
ne, qua quis formidet, annon ſit locutus “
DEUS. “

XXII. Non niſi Fides UNIUS DEI ne- “
ceſſaria videtur neceſſitate medii; non au- “
tem explicita REMUNERATORIS. “

XXIII. Fides latè dicta ex teſtimonio “
creaturarum, ſimilivè motivo, ad Juſtifi- “
cationem ſufficit. “

XXIV. Vocare DEUM in teſtem men- “

dacii

Digitized by Google

dacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

XXV. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi; ſive res ſit levis, ſive gravis.

XXVI. Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine, juret, ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit: intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit: vel quodvis aliud additum verum: reverà non mentitur, nec eſt perjurus.

XXVII. Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quotieſcumque id neceſſarium eſt aut utile ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut Veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

XXVIII. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum Reſtrictione mentali præſtare Juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

XXIX. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

XXX. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre; ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; id quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis, fugiat.

XXXI. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

XXXII. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus; ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

XXXIII. Licitum eſt tam hæredi, quàm Legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel Legata ſolvantur, ſe taliter defendere; ſicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.

XXXIV. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

XXXV. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiù in utero eſt, carere Anima rationali; & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur. Ac conſequenter dicendum erit: in nullo abortu homicidium committi.

XXXVI. Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate; ſed etiam in gravi.

XXXVII. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

XXXVIII. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta; quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

XXXIX. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum Tertio, non tenetur ad Reſtitutionem iſtius damni illati.

XL. Contractus Mohatra (*Italicè Stocco*) licitus eſt; etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito: cum intentione lucri.

XLI. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram; poteſt Creditor aliquid ultra ſortem à Mutuatario exigere, & eo titulo ab Uſura excuſari.

XLII. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; ſed ſolùm ſi exigatur tamquam ex Juſtitia debitum.

XLIII. Quidni non niſi veniale ſit Detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxam falſo crimine elidere?

XLIV. Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam Juſtitiam, & honorem defendat. Et ſi non ſit probabile hoc, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

XLV. Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia; quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi Spirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro Spirituali, aut è contra.

XLVI. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi Spirituale; imò etiamſi ſit finis

ipſius rei ſpiritualis ſic, ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

XLVII. Cùm dixit Concilium Tridentinum: Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent: Concilium, vel primò videtur per hoc *Digniores* non aliud ſignificare velle, niſi Dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundò locutione minùs propria ponit *Digniores*, ut excludat indignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit Concurſus.

XLVIII. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta: ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

XLIX Mollities jure naturæ prohibita non eſt; unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona; & aliquando obligatoria ſub mortali.

L. Copula cum cojugata conſentiente marito, non eſt ad adulterium; adeòque ſufficit in Confeſſione dicere: Se eſſe fornicatum.

LI. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendentem per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties ei ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile coòperando: non peccat mortaliter; ſi id faciat metu notabilis detrimenti: puta, nè à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

LII. Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali; ſepoſito ſcandalo; ſi abſit contemptus.

LIII. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis Celebrantibus audit.

LIV. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes; poteſt tamen reliquas Horas; ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem.

LV. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

LVI. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota Prædeſtinationis

LVII. Probabile eſt: ſufficere Attritionem naturalem; modò honeſtam.

LVIII. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

LIX. Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium; qualis V. G. poteſt contingere in die magnæ alicujus Feſtivitatis, aut Indulgentiæ.

LX. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, Eccleſiæ, aut Naturæ; etſi emendationis ſpes nulla appareat: nec eſt deneganda, nec differenda Abſolutio; dummodò ore profeſſerat, ſe dolere, & proponere emendationem.

LXI. Poteſt aliquando abſolvi, qui in in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere; quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

LXII. Proxima occaſio peccandi nòn eſt fugienda; quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

LXIII. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi, pro bono Spirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

LXIV. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei. Et etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem neſciat Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri JESU Chriſti.

LXV. Sufficit, illa Myſteria ſemel crediſſe.

Quas propoſitiones invenies declaratas in fine hujus libri 2. part.

Quæro VIII. *Quanam ſunt Propoſitiones damnatæ ab Alexandro Papa VIII.*

R. *I.* Iſte Pontifex per Decretum editum die 24. Auguſti anno 1690. damna- 20
vit has duas Theſes, videlicet.

Prima. Boniras objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum Natura rationali. Formalis verò in conformatione actu cum Regula morum. Ad hoc ſufficit ut actus moralis tendat in Finem ultimum interpretativè: HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO NEQUE IN DECURSU VITAE SUAE MORTALIS.

Iſta theſis, *ut hæretica* damata fuit.

Secunda. Peccatum philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſſio libera Divinæ Legis. Philoſophicum,

quan-

Digitized by Google

„ quantumvis grave in illo, qui DEUM vel ignorat, vel de DEO actu non cogitat eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa DEI, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam DEI, neque æterna pœna dignum.

Et hæc theſis damnata fuit, ut *ſcandaloſa, temeraria, piarum aurium offenſiva, & erronea,*

Ejus declaratio eſt in Additione in fine hujus libri 2. partis,

21 ꝶ. *II.* Idem Papa per aliud Decretum editum die 7. Decembris, eodem anno 1690. damnavit trigintaunam Propoſitiones tamquam *temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, erroneas, ſchiſmaticas,* & *hæreticas reſpectivè.* Ly *reſpectivè* ſignificat reſpectu aliquarum, quæ ſunt *hæretica, &c.* Quænam autem ſint dignæ tali, vel tali Cenſura? colliges ex dictis in principio hujus *Tractatus Miſcellanei, à pag.* 259. Propoſitiones ſunt ſequentes:

„ I. In ſtatu Naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato Originali, & libertate Adami peccantis.

„ II. Tametſi detur ignorantia invincibilis Juris Naturæ, hæc in ſtatu Naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.

„ III. Non licèt ſequi opinionem, vel inter Probabiles Probabiliſſimam.

„ IV. *Dedit ſemetipſum pro nobis Oblationem DEO*; non pro ſolis Electis; ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

„ V. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique huius generis nullum omninò accipiunt à JESU CHRISTO influxum; adeòque hinc rectè inferes: in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſine omni gratia ſufficienti.

„ VI. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm pernicioſa eſt: ſic, ut proinde meritò poſſimus petere: A Gratia ſufficienti libera nos, Domine.

„ VII. Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel Mundi. Si Dei; Charitas Patris eſt. Si Mundi; concupiſcentia carnis; hoc eſt, mala eſt.

„ VIII. Neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare.

„ IX. Reverà peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum Natura rationali, ſine ullo ad DEUM offenſum reſpectu. "

X. Intentio, qua quis deteſtatur malum & proſequitur bonum, merè ut Cœleſtem obtineat Gloriam: non eſt recta, nec DEO placens. "

XI. *Omne, quod non eſt ex Fide,* Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, *peccatum eſt.* "

XII. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor: deficit etiam Fides; Et etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana. "

XIII. Quiſquis, etiam æternæ mercedis intuitu DEO famulatur, Charitate ſi caruerit, vitio non caret; quoties intuitu Beatitudinis operatur. "

XIV. Timor Gehenne non eſt ſupernaturalis. "

XV. Attritio, quæ Gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione Benevolentiæ DEI propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis. "

XVI. Ordinem præmittendi Satisfactionem Abſolutioni induxit non Politia, aut Inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti Lex, & Præſcriptio naturæ rei idipſum quodam modo dictans. "

XVII. Per illam Praxim mox abſolvendi, Ordo Pœnitentiæ eſt inverſus. "

XVIII. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet Auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu. "

XIX. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato Originali. "

XX. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel Sacrilegæ ſunt, vel invalidæ. "

XXI. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis. "

XXII. Sacrilegi ſunt judicandi, qui Jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequàm condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint. "

XXIII. Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione illi, quibus nondùm ineſt Amor DEI puriſſimus, & omnis mixtionis expers. "

XXIV.

XXIV. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quòd indiguerit purificatione; & quòd Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundùm verba legis.

XXV. Dei Patris ſedentis ſimulacrum, nefas eſt in Chriſtiano Templo collocare.

XXVI. Laus, quæ defertur MARIÆ, ut Mariæ, vana eſt.

XXVII. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: *In nomine Patris, &c.* prætermiſſis illis, *Ego te Baptizo*.

XXVIII. Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat; intùs verò in corde ſuo apud ſe reſolvit: *Non intendo facere, quod Eccleſia facit*.

XXIX. Futilis, & toties convulſa eſt Aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium OEcumenicum Auctoritate; atque in Fidei quæſtionibus decernendis Infallibilitate.

XXX. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

XXXI. Bulla Urbani Octavi: *In eminenti*, eſt ſubreptitia.

Vide in fine Additionis nonnullas declaratas ex dictis, &c.

Quæro IX. *Quanam ſunt pœna fulminata contra eum, qui aliquam ex præſcriptis omnibus propoſitionibus damnatis ſuſtineret, defenderet, & doceret?*

22 ℟. *I.* Innocentius Papa Decimus in ſuo Decreto citato ſuprà, *numero marginal.* 16. dicit: ibi: Mandamus igitur omnibus Chriſti-Fidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis (quinque) propoſitionibus ſentire, docere, prædicare alias præſumant, quàm in hac præſenti noſtra Declaratione, & Definitione continetur: ſub Cenſuris, & pœnis contra Hæreticos & eorum fautores in Jure expreſſis. -- *Hæc Papa*.

Ex quibus conſtat, nos Catholicos obligatos eſſe in conſcientia, ſentire, docere, & prædicare de prædictis quinque propoſitionibus, quòd reverà ſint tales, quales Papa damnando declaravit, ac definivit, pro ut vidimus, *numero marginal.* 16. -- Ergo ſi quis aliter ſentiret, doceret, prædicaret, eſſet hæreticus, & ut talis incurreret pœnas contra hæreticos fulminatas.

℟. *II.* Alexander Papa Septimus in Decreto, *cit. nu.* 18. dicit, ibi: Quicumque 23 illas (propoſitiones 45.) aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, &c. ipſo facto incidat in Excommunicationem, à qua non poſſit (præterquàm in mortis articulo) ab aliquo, quavis etiam Dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti-Fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, ſtatus, &c. ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant. *Hæc Papa*. Ergo, &c.

℟. *III.* Innocentius P. Undecimus in 24 Decreto cit. *ſuprà, n.* 19. prohibet, mandat, & præcipit ſub eadem pœna Excommunicationis, & ſub eodem præcepto formali, prout prohibuit, & præcepit prædictus ejus Anteceſſor Alexand. VII. nuper cit. *n.* 23.

Inſuper addit hæc verba: Tandem, 25 ut ab incurioſis contentionibus Doctores Scholaſtici, aut alii quicumque impoſterùm ſe abſtineant: & ut paci, & Charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute S. Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus, caveant ab omni Cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque conviciis contra eas Propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur; donec à S. Sede recognitis ſuper iiſdem propoſitionibus (controverſis) judicium proferatur. *Ita Papa*.

℟. *IV.* Alexander Papa Octavus ſuper 26 expreſſas 31. propoſitiones, fecit Decretum citatum ſuprà, *numero margin.* 21. ſub eadem formula verborum, qua decrevit ejus Anteceſſor Alexand. VII. ut ſuprà, *n.* 23.

℟. *V.* Quoniam verò nonnullæ ex præ- 27 dictis propoſitionibus ſunt *hæretica*, ut notavimus, ideò ſequitur de Jure communi, quòd qui ſcienter, & pertinaciter aliquam propoſitionem declaratam, ut *hæreticam* teneret, defenderet, doceret, incurreret in pœnas Hæreticorum, nempè in Excommunicationem Papalem in Bulla Cœnæ,

næ, & eſſet denunciandus S. Officio Inquiſitionis.

Quæro X. *Moribundus, qui ſubitò in phrenesim lethalem lapſus eſt, vel apoplexia vehementi tactus eſt, aut quovis alio accidenti improviſo oppreſſus ita, ut ſubitaneè omnium ſenſuum externorum uſu deſtitutus nullum omninò certum ſignum doloris, aut petitæ Confeſſionis dederit ante adventum Confeſſarii, neque in ejus præſentia, poteſtne ac debet abſolvi* ſub Conditione *à Sacerdote ibi præſente?*

28 ℞. Attentè legi Auctores citandos hunc caſum ex profeſſo decidentes, & cum ipſis cenſeo, tenendam eſſe in praxi partem affirmativam, nempe Sacerdotem poſſe, & debere *ſub conditione* talem abſolvere moribundum. Ratio eſt: quia generatim, in omni extrema neceſſitate proximi periclitantis æternaliter, licitum, & debitum eſt Sacerdoti miniſtrare ei Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ cum materia dubia, ubi certa haberi non poteſt: proferendo formam verborum *ſub conditione*. Atqui in caſu noſtro poteſt haberi materia dubia petitæ Confeſſionis, & requiſiti doloris. *Probo*. Illud prudenter præſumitur factum, quod plerumque fieri ſolet, ut dicunt Legiſtæ, *l. In obſcuris, ff. de Regulis Juris*; ſed omnes, vel plerique Chriſtiani inſtante periculo, vel articulo mortis petunt, quando poſſunt, deſiderent quantùm valent, exire de hac vita in æternitatem cum Pœnitentia in voto, & etiam in re ſuſcepta; ergo & ille moribundus prudenter præſupponitur feciſſe actum Contritionis, vel Attritionis, ac deſiderare efficaci affectu abſolutionem; ergo, &c.

Tum quia: experientia plurium in tali conflictu repertorum; poſtea evaſorum probat, quòd etiam ipſi non valentes lingua, capite, manu dare ſignum evidens, & certum petitæ abſolutionis, faciebant tamen quod in ipſis erat (intuitu oculorum erga adſtantem Sacerdotem, reſpiratione naturali, vel alio ſimili motu) ad præſtandum ſignum certum deſideratæ Confeſſionis, & abſolutionis, quod tamen non capiebatur ab adſtantibus; prout de ſe in perſona propria teſtatur, ac fidem indubitatam facit *P. Marchantius noſter* mox citandus: ergo quilibet motus, vel ſuſpiria, gemitus, lacrymæ, fixi intuitus, & ſimilia ſigna (quæ etſi doloris naturalis, aut naturæ patientis ordinariè ſoleant eſſe ſigna) poſſunt eſſe etiam ordinata ab infirmo, ſic oppreſſo ad Confeſſionem, & Abſolutionem impetrandam; & conſequenter datur hic, & nunc *materia ſaltem dubia*, nempe actus pœnitentis deſiderantis confiteri, & abſolvi. Ergo Confeſſarius poteſt, & debet ſub conditione talem moribundum abſolvere.

Confirmatur authoritate D. Auguſtini, quem in fonte vidi, *Tom. 6. Operum, lib. 1. de adulterinis conjugiis ad Pollensium, c. 28. & ult.* ibi: *ubi loquitur de catechumenis concubinariis: ait.*

Tamen ſi deſperati (morbo,) & intrà ſe pœnitentes jacuerint, nec per ſe reſpondere potuerint, baptizandos eſſe puto, &c. Quæ autem Baptiſmatis, eadem Reconciliationis (ideſt Confeſſionis Sacramentalis) eſt cauſa: ſi fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet Mater Eccleſia. *Hac S. Auguſtinus*, magnum Eccleſiæ Lumen.

Ita docent P. Petrus Marchantius, *tom. 1. Tribunalis, Tractat. 3. tit. 4. quæſt. 3. dub. 7.* -- P. Anacletus, *in Theolog. Moral. tract.* 13. *diſt. 7. à numero* 70. -- P. Joan. Boſco, *de Pœn. diſp. 7. ſect. 9. concl.* 6. ubi fuſiſſimè tractat, & probat noſtram reſolutionem tum auctoritatibus, tum rationibus, tum denique confutationibus, opinionis contrariæ; ſed meliùs, à num. 150. & ſeqq. ubi etiam adducit praxim Confeſſariorum Caſtrenſium, qui paſſim abſolvunt milites, cùm eos vident in pugna bellica cadentes non expectato ullo certo ſigno doloris. Tum quia in rebus obſcuris reſolvendum eſt in favorem Animarum; ſatius enim eſt hìc in aliquo abundare, quàm deficere; nam defectus iſte poſſet eſſe in damnum irreparabile illius infirmi, ſi moreretur cum ſola attritione. Et ipſamet conditio appoſita *ſi es capax* aufert omnem irreverentiam Sacramenti.

Ita etiam tenent, & optimè probant P. Joan. Pontius noſter, *in Curſ. Theol. diſp. 46. nu. 94. & ſeq.* -- P. Tamburinus, *in Methodo Confeſſ. lib.* 2. *c.* 10. *à n.* 10. -- P. Joan. de Cardenas, *in Criſi Theol. tr. 6. diſp. 48. c. 3. per totum*, -- & P. Patritius Sporer noſter, *tom. 3. p. 3. c. 5. à n. 644. & ſeqq.*

Petes. Si moribundus ſic abſolutus evaſerit periculum mortis, tenebiturne meliùs confiteri?

℞. Sine dubio; & quidem de Jure Di- 29
vino;

vino; tum quia ſolutio dubia fuit; tum quia etſi fuiſſet certa, adhuc teneretur integram inſtituere Confeſſionem; ut patet de peccatis oblitis, & quando ob rationabilem cauſam, aut neceſſitatem quis non potuit integrè confiteri; tenetur ſatisfacere quamprimùm præcepto de integritate materiali. Tum ob propoſitionem undecimam ex damnatis ab Alex. P. VII. Vide eam in Additione, annexa operi in fine hujus 2. partis.

De Regulis Juris Canonici Sexti Decretalium.

Quæro XI. *Quid eſt Regula Juris?*

30 ℞. *I.* Regula *latinè* idem eſt, ac Canon *Græcè*. Dicitur *Regula* quaſi regulariter vera; quæ enim continentur ſub Regula, faciunt opiniones legales. Dicitur etiam *Regula* quia rem, quæ eſt, breviter colligit, & enarrat. Vel *Regula* dicitur: quia regit rationem, & dat normam rectè operandi; vel quia eſt rectitudinis forma, æquum, & bonum demonſtrans.

31 ℞. *II.* Regula ſumitur à Jure, & non è contra; quia Regula enarrat quid Juris. Cujus officium eſt plures ſimul Caſus jungere clavo Rationis. Hæ autem Regulæ factæ fuerunt à Bonifacio Papa Octavo. Unde per conſiderationem, & reflexionem Jurium formatæ ſunt Regulæ ultimo loco, ut brevi ſermone omnia ferè Jura comprehendantur. Quapropter adducens Regulam Juris cogit adverſarium ad oſtendendum cur in illo caſu Regula non loquatur, debetque ipſe adverſarius adducere exceptionem aliquam veram; quia Regulam negare non valet.

32 ℞. *III.* Quoniam autem ex una Regula Juris Canonici poſſunt plures reſolvi Caſus, operæ pretium duxi in fine ponere omnes iſtas Regulas; nam quæ ultimo loco dicuntur, melius memoriæ commendantur; tum quia cognitio harum Regularum eſt valdè utilis, & neceſſaria Moraliſtè ad plures Caſus.

Quæro XII. *Quot ſunt Regulæ Juris in Sexto Decretalium?*

33 ℞. Sunt octoginta octo hic poſitæ juxta Ordinem ipſarum, in fine Quinti Libri in eodem Sexto Decretalium: & ſunt:

I. Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione Canonica obtineri.

Quia (dicit ibi Gloſſa) non ſufficit poſſeſſio Beneficii etiam pacifica per decem, viginti, vel triginta annos, niſi probetur Canonica Inſtitutio. Et hoc intelligitur de quovis Beneficio, ſive ſit ſimplex, ſive aliud, quod habetur in Titulum.

II. Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.

Gloſſa ibi: *Fides* hic accipitur pro Conſcientia. Ille autem dicitur *bonæ Fidei poſſeſſor*, qui in bona ſua conſcientia putat ſe Dominum rei, quam poſſidet: & omninò ignorat rem eſſe alienam. E contrà verò is dicitur *malæ fidei poſſeſſor*, qui habet conſcientiam rei alienæ. Iſte ullo tempore, etiam longiſſimo non præſcribit, ideſt, non facit rem ſuam Jure Præſcriptionis: quia eſt continuè in peccato mortali; & diuturnitas temporis non diminuit ſed auget peccata. 34

III. Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.

Gloſſa ibi: Jura ſpiritualia non cadunt in Laicum, nec reſpectu proprietatis, nec reſpectu poſſeſſionis legitimæ. Inter Jura ſpiritualia eſt Jus decimandi; licèt fructus decimales ſint res temporales; ergo Laicus non poteſt præſcribere, nec poſſidere tale jus decimandi, ideſt, recipiendi, & exigendi de Jure fructus decimales. Idem dicendum de ſimilibus; quia poſſeſſio legitima debet habere adminiculum Juris, ſeu verum titulum; & Præſcriptio non procedit ſine Poſſeſſione legitima. Non enim ſufficit ad præſcribendum *poſſeſſio facti*; ſed requiritur *Juris poſſeſſio*. 35

IV. Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.

Gloſſa ibi: Non intelligitur hic *peccatum* quoad DEUM *abſolutè*; quia per contritionem habentem annexum deſiderium reſtituendi ablatum, poteſt remitti omne peccatum; ſed intelligitur *conditionatè*, ideſt, ſi retinens alienum non habeat propoſitum reſtituendi, quando habet facultatem; quia tunc Pœnitentia non eſſet vera; nam ſi res aliena reddi poteſt, & non reddatur, Pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur. 36

Po-

37 Poteſt etiam intelligi *peccatum* in ordine ad Sacerdotem: & tunc facit hunc ſenſum. *Peccatum non dimittitur*, ideſt, non debet dimitti à Sacerdote per Canonicam Abſolutionem: quia Sacerdos non debet admittere ad Confeſſionem, & Abſolutionem eum, qui non reſtituit ablatum, quod poteſt reſtituere, & debet qui enim non vult reſtituere, non eſt abſolvendus.

38 Poteſt item intelligi *peccatum* pro vitio reali, ideſt, de vitio afficiente rem ipſam, videlicet de *vitio Furti*, & *vitio violentiæ*, quæ vitia reddunt rem ablatam (per Furtum, vel rapinam) impræſcriptibilem, vel inuſucapibilem, ideſt, improptiabilem; nam talis res numquam *propria* habentis evadere poteſt; quia eſt ſurtiva; & hoc vitium reale ſequitur rem quocumque vadat, ſicut lepra ſequitur leproſum, nec purgatur illud peccatum, ſeu vitium, niſi reſtituatur ablatum, ideſt niſi res fuerit reſtituta Domino, cui fuit ſubtracta.

V. Peccati venia non datur niſi correcto.

39 Gloſſa ibi: Hic accipitur *Venia* pro venia *culpæ*, non autem pro venia *pœnæ*, quæ appellatur *impunitas*, quantùm ad pœnam temporalem imponendam in hoc ſæculo ab homine; quia hæc pœna temporalis quandoque dimittitur non correcto formali correctione; ſeu emendatione, propter ſcandalum evitandum, ut majus malum evitetur. Videmus enim quandoque delicta remanere impunita à Superiore ob hac rationem, ad majus ſcandalum evitandum in populo, &c.

40 Loquitur ergo Regula de *Venia culpæ* à Sacerdote non danda niſi correcto in quibuſdam caſibus; formatur Caſus: Titius perpetravit aliquod peccatum ſcandaloſum, ut puta, quia tenuit aliquam concubinam & tenet adhuc; tamdem confeſſus fuit Sacerdoti, tale delictum ſe perpetraſſe; ſed non eſt correctus, ſeu emendatus de tali crimine. Quæritur, utrùm iſta Confeſſio ſit fructuoſa? Reſpondetur, quòd non; quantùm ad vitam æternam, ſeu ad veniam culpæ; quia *Peccati venia non datur niſi correcto*; Titius autem non habuit propoſitum abſtinendi ſe in futurum, & conſequenter nec dolorem de præterito; ergo non fuit emendatus, nec correctus coram Deo.

Verumtamen, quantumcumque appareat Sacerdoti, aliquem confitentem eſſe in peccato, ſi velit confiteri, non debet ei denegari auditio; at audita Confeſſione debet inducere confitentem ad debitam correctionem, & propoſitum non peccandi. Si autem non poſſit eum inducere ad dimittendum peccatum, non debet, nec poteſt eum abſolvere; ſed tamen debet ei injungere pœnitentiam aliquam diſpoſitivam, quæ licèt non fuerit ei fructuoſa ad vitam æternam (quoniam non eſt correctus, ideſt contritus; ſed adhuc eſt inimicus Dei, & non poteſt mereri quoad vitam æternam) proficiet tamen ei ad multa bona. Et quæ? 41

Videlicet, *ad minus ſupplicium patiendum*. — Item *ad bona temporalia*. Item *ut Deus inducat eum ad veram pœnitentiam*. Item *quia dæmones habebunt minorem poteſtatem in eo, quàm ſi eſſet vacuus omni bono* Item *ut ipſe reddatur aſſuefactus in bono*. Ergo nullus peccator, quantumvis grandis debet deſiſtere à bonis operibus; quia *nullum bonum eſt immuneratum*. 42

VI. Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.

Gloſſa ibi: Hic ſumus in legibus humanis; Lex autem humana non poteſt obligare homines ſupra vires; unde verſus: 43

Ultra poſſe meum non Lex me Juſta coegit.
Nec putat eſſe Reum, qui totum poſſe peregit.

Duplex in propoſito eſt Impoſſibilitas, Juris ſcilicèt, & facti. Illud dicitur *impoſſibile de Jure*, quod fieri prohibetur è Jure: V. G. Vendere res Sacras. Illud autem eſt *impoſſibile de facto*, quòd excedit vires humanas: Ut V. G. tangere Cœlum digito, transferre Eccleſiam de loco in locum. Et hoc vocatur etiam *impoſſibile naturaliter*. Unde impoſſibilis conditio appoſita in contractu, vitiat, ſeu annullat contractum. In Teſtamentis tamen, & Matrimonio hujuſmodi conditio ob ipſorum favorem habetur pro non adjecta, vel appoſita. — Item illud dicitur *impoſſibile, quod eſt turpe*, ſeu quod nequit fieri ſine peccato.

VII. Pri-

VII. Privilegium Perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.

44 Gloſſa ibi: Privilegium perſonale eſt, quod alicui perſonæ conceditur intuitu illius perſonæ tantùm, non autem alio reſpectu, ut puta Familiæ, Officii, Dignitatis, &c. ita ut perſona illa ſit proxima & immediata cauſa Privilegii; hoc ſequitur Perſonam ſemper habitu, licèt non ſemper actu; & perſona illa defuncta, deficit & ejus Privilegium, nec tranſit ad ſucceſſores, vel hæredes.

VIII. Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus.

45 Gloſſa ibi: Hæc Regula valet pro Foro externo, & judiciali: & hæc præſumptio procedit tum ex præſumentis natura corrupta, quia natura humana prona eſt ad malum: tum ex delinquentis conditione; quia ex ſemel facto, ſic præſumitur faciendum in futurum. Unde in Judicio Teſtis ſemel falſus, non eſt admittendus ampliùs ad teſtificandum. Sic de ſemel calumniatore: de ſemel contumace: de ſemel conficiente falſum inſtrumentum, &c. -- Sed probato, quòd pœnituerit, ulteriùs malus non dicetur. -- E contra ſemel bonus, ſemper præſumitur bonus; niſi probetur malus.

IX. Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.

46 Gloſſa ibi: Explicatur Regula per Caſum. Titius verberavit quemdam Clericum meum inimicum, non tamen nomine meo, nec de meo mandato, vel conſilio: poſtea ſcivi talem verberationem, quæ mihi placuit, eamque laudavi. Q. Utrùm incurram in Excommunicationem? ℞. Certè non; quia non poſſum habere ratum, quòd nomine meo non eſt geſtum.

X. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.

47 Gloſſa ibi: Ideſt: Non eſt dubium, quòd Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. Tunc dicitur, quòd *retrotrahatur Ratihabitio*, quando quis ratum habet, ideſt, ratificat, approbat, & laudat geſta à ſuo Procuratore; & hæc ratificatio *comparatur mandato*, ideſt, valet ac ſi eſſet mandatum ſpeciale. Ponitur Caſus. Titius aſſerens ſe eſſe meum Procuratorem (cùm non eſſet) quamdam actionem deduxit in Judicio nomine meo contra meum debitorem; non fuit ei oppoſitum, quòd non eſſet Procurator meus. Certum autem eſt, quòd proceſſus factus cum falſo Procuratore, non tenet, non valet. Sed quid? Ego poſtea ratificavi, approbavi, & laudavi geſta per ipſum Titium; quid Juris? Valet proceſſus factus, ac ſi ab initio daſſem ei mandatum, ut nomine meo proſequeretur contra meum debitorem; nam *Ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato*.

XI. Cùm ſunt partium Jura obſcura, Reo favendum eſt potiùs, quàm Actori.

Gloſſa ibi. Explicatur per Caſum. Tu Actor, & ego Reus habemus litem inter nos coram Judice competente: propoſuimus facta, vel Acta contraria, & fuimus admiſſi ad illa probanda. Tu Actor ad probandam tuam intentionem, vel cauſam contra me produxiſti quatuor Teſtes; Ego autem Reus ad probandum meum factum contrarium produxi pariter alios quatuor Teſtes pares in dignitate, & in cæteris. Teſtes ex utraque parte deponunt veroſimilia, & in effectu ſunt omninò æquales; Et ſic Jura noſtra videntur eſſe dubia. Q. Quorum. Teſtium dicta, allegata, & probata debet Judex inſequi? vel pro qua parte debet ferre ſententiam? ℞. Sententia ferenda eſt in favorem mei Rei contra te Actorem; quia quando Jura partium ſunt obſcura: favendum eſt potiùs Reo, quàm Actori; Et ſic de ſimilibus. 48

XII. In Judicis non eſt acceptio perſonarum habenda.

Gloſſa ibi. Ideſt, favore perſonæ non poteſt, nec debet Judex, (quicumque ille ſit, ſive ſit Ordinarius, ſive ſit Delegatus) recedere, & deviare a debita Juſtitia; & magnum debet judicare; ut parvum: ut ſerventur æqualitas, æquitas, Jus, Juſtitia, & omnia; aliorum enim honores alii non debent eſſe cauſa nocendi. Diligite Juſtitiam, qui judicaris terram; quia Deus Judex juſtus veſtras debet judicare juſtitias. 49

XIII.

XIII. Ignorantia facti, non Juris excuſat.

Gloſſa ibi ponit plures caſus de igno-
50 rantia facti, quæ in foro externo, ac litigioſo excuſat. At *cur Ignorantia Juris non excuſet*, ibi in Gloſſis non reperi: ideò recurrendum eſt ad alios Gloſſatores, & Juriſperitos. Scio Barboſam (more ſuo) fundatiſſimè tractare hanc materiam de Regulis Juris; at hìc, & nunc non habeo ad manus tomum; ideò cum Caſtro Balao, *tract.* 1. *diſp.* 1. *puncto* 19. breviſſimè dico: quòd Ignorantia Juris non excuſat; quia in Foro externo non poteſt allegari; nam allegans ignorantiam Juris allegaret etiam latam culpam, qualis eſt ignorare Juris diſpoſitionem, quam omnes ſcire debent: ut habetur: *Leges Sacratiſſimæ, ff. de Legibus*. Tum quia cùm Lex ſit ſolemni ritu publicata, adeſt præſumptio Juris, & de Jure pro ejus notitia, & ſcientia; ergo nemini permiſſum eſt in Foro externo judiciali allegare ignorantiam Juris

XIV. Cùm quis in Jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.

51 Gloſſa ibi. Intelligitur hæc Regula generaliter de quolibet ſucceſſore, ſive ſit ſingularis, ſive univerſalis, qui laborat ignorantia *de facto*; nam ignorantia facti probabilis excuſat. Figuratur Caſus. Titius mala fide poſſedit domum, quam poſtea reliquit in Teſtamento Cajo filio ignoranti factum Patris. Q. An Cajus, qui bona fide poſſedit domum illam, poſſit eam præſcribere? R. Quòd ſic; quia ipſe habet cauſam juſtam ignorantiæ; nam in locum alterius bona fide ſuccedit.

XV. Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.

52 Innumeri poſſent figurari caſus morales, & reſolvi ex hac ſola Regula; ſed tota difficultas ſtat in cognoſcendo, & diſtinguendo *odioſa à favorabilibus*; multæ enim ſunt materiæ, quæ prima facie videntur odioſæ, cùm tamen (re benè, altèque perſpecta) ſint favorabiles: & è contra, &c. Standum ergo erit Juriſperitis, ac Theologis. Odia, ſeu odioſa igitur ſemper reſtringenda, non amplianda ſunt: Favores verò, ſeu favorabilia amplianda, non reſtringenda ſunt.

XVI. Decet conceſſum à Principe Beneficium eſſe manſurum.

Gloſſa; *Decet*, ideſt, neceſſarium eſt; 53
hìc enim importat quamdam neceſſitatem quantum ad ipſos ſubditos, poſita poteſtate, & voluntate Principis, vel Superioris. *Manſurum*, ideſt ſtabile, & liberum ab omni malitia, & diminutione; etiam ſi ceſſet cauſa conceſſionis. Privilegium, vel *Beneficium* largè hìc ſumitur, pro omnia Gratia. Unde dicitur: *Gratia non ceſſat, morte concedentis, vel amoto eo ab Officio*; niſi expreſsè revocetur à Succeſſore.

XVII. Indultum à Jure Beneficium non eſt alicui auferendum.

Gloſſa ibi: Intellige ab homine non 54
eſſe auferendum, & ſine cognitione cauſæ; alio enim novo Jure interdùm tollitur alteriùs Juris antiqui Beneficium, & ſemper cum cauſa rationabili; nova enim Jura derogant prioribus, & quandoque abrogant priora.

XVIII. Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit.

Gloſſa ibi. Ideſt: Quod à principio 55
nullum eſt ipſo Jure, tractu poſtea temporis non convaleſcit, ſeu non evadit validum. Quod maximè verificàtur in contractibus.

XIX. Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.

Gloſſa ibi: Caſus figuratur in Clerico 56
jaciente lapidem, vel explodente ſclopum, unde quis vulneretur, aut moriatur qui ſit irregularis; licèt non fuerit ex propoſito; &c. quia projicere lapides, vel explodere ſclopos non pertinet ad ejus ſtatum.

XX. Nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur.

Quia defenſiones ſunt de Jure naturæ; 57
ergo, &c.

XXI. Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non potuit.

Gloſſa ibi: Intellige in iis, quæ 58
placent ſcienter, & approbantur, & non per errorem. Item in iis, quæ acceptata jam fuerunt ab altera parte juridicè; niſi ſuperveniat aliqua cauſa juſta revo-

Digitized by Google

revocandi &c. quæ revocatio permittatur à Jure.

XXII. Non debet aliquis alterius
59 odio prægravari.

Gloſſa ibi. Quia V. G. Filius non debet portare iniquitatem Patris, ſi non conſenſerit in delictum illius; regulariter loquendo. Aliquando tamen propter delictum Patris puniuntur filii, ut in crimine læſæ majeſtatis.

XXIII. Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis punien-
60 dus.

Gloſſa ibi. Hæc Regula duas continet Regulas. Prima eſt: quòd non debet quis puniri ſine culpa. Secunda, quòd punitur quis ſine culpa, quando ſubeſt juſta cauſa legalis. Exemplum de ſecunda. Titius Clericus ſine culpa ſua incidit in lepram, poteſt utique privari ſaltem parte reddituum ſui Beneficii; patet etiam in multis Irregularitatibus, quæ contrahuntur non ex delicto, ſed ex defectu etiam ſine culpa.

XXIV. Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur: cùm habeat parere neceſ-
61 ſe.

Gloſſa ibi: Patet Regula in milite, qui de mandato Judicis, vel Principis occidit quempiam. Item de Laico, vel Clerico, qui de mandato Epiſcopi capit, & incarcerat alium Clericum malefactorem; & ſic de ſimilibus; quando Superior aliquid mandat, officium ſuum exercendo de Jure. Et nota, quòd additur: *Cùm habeat neceſſitatem ſic parendi.*

XXV. Mora ſua cuilibet eſt no-
62 civa.

Gloſſa ibi. Patet regula in multis Caſibus. V. G. Qui eſt in mora ſolvendi Decimas, quæ poſtea pereunt periculo ſuo, etiam caſu fortuito. Item in Commodatario, vel Depoſitario, qui fuit in mora reſtituendi, &c. Item de Fure, qui ſtatim eſt in mora, & ſemper cenſetur eſſe in mora reſtituendi rem ſurreptam; ſi res illa pereat, petit periculo ſuo; ideo tenetur ſolvere æſtimationem, ſeu valorem illius rei.

XXVI. Ea, quæ fiunt à Judice, ſi ad ejus non ſpectant Officium, viribus non ſubſiſtunt. 63

Gloſſa ibi: Hæc Regula meliùs patebit ex alia ff. de Juriſdict. omnium Judicum, L. ubi dicitur: *Extra Territorium Jus dicenti impunè non paretur*. Et habet locum etiam cùm bonum eſt id, quòd facit Judex; tamen ex quo ad ejus non ſpectat Officium, viribus non ſubſiſtit. Non intelligitur tamen in ſpiritualibus, quæ dependent non à Juriſdictione, ſed ab Ordine: Ut V. G. Si Epiſcopus ordinaret alienum Clericum.

XXVII. Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus.

Gloſſa ibi ponit plures Caſus: ut de 64
eo, qui contraxit matrimonium cum ſerva, ſciens eſſe ſervam, & non liberam. Item de Clericis, qui ſcienter, & voluntate jocoſa ſe invicem leviter percutiunt. Item de eo, qui ſciebat rem, quam emebat, ſervitutem, vel aliud onus habere; & ſic de multis. Sed nota hic, quod ly *ſcienti, & conſentienti* ſumenda ſunt copulativè: ideſt, hæc duo conjunctim requiruntur, *quòd ſciat, & quòd conſentiat*, Scienti enim, & non conſentienti benè infertur injuria, & dolus.

XXVIII. Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.

Gloſſa ibi: Poteſt intelligit hæc Regula 65
in Privilegiis; quia Singulorum Privilegia legem communem non faciunt: & ipſa non debent ampliari, nec extendi, ſed reſtringi: nam Privilegia non debent trahi ad conſequentiam. V. G. Conceſſum eſt hoc Privilegium Religioſis Clericis: ergo A Clerici ſæculares gaudebunt hoc Privilegio; non valet hæc conſequentia propter hanc Regulam Juris.

XXIX. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

Gloſſa dicit, quòd aliqua ſunt, quæ 66
pertinent pluribus, *ut univerſis*: & in iſtis quæ fiunt à majori parte Capituli, valent etiam altera parte contradicente, niſi contradicatur ex aliqua cauſa rationabili: ſecùs, ſi illa, quæ fiunt: eſſent explicanda ex mera voluntate, quia tunc deberent omnes conſentire. Alia autem ſunt,

quæ

quæ pertinent pluribus, *ut ſinguli*, & tunc omnes debent conſentire, & ab omnibus approbari: & de his loquitur Regula. V. Gr. in concedendo hauſtum, vel rivulum aquæ, in quo omnes vocandi ſunt, qui jus habent in tali aqua.

XXX. In obſcuris minimum eſt ſequendum.

67 Gloſſa ibi notat, quòd in obſcuris, dubiis, incertis, non ſtatim inſpiciendum eſt, quod eſt minimum, ſed primò quod eſt veriſimilius, quod plerumque conſuevit fieri; & ſi hoc ſciri non poteſt, tunc inſpicimus, quod eſt minimum, ut dicit hìc Regula; quia de minimo non eſt dubium. Et hæc Regula maximè habet locum in pœnis, & debitis.

XXXI. Eum, qui certus eſt, certiorari ulteriùs non oportet.

68 Gloſſa ibi: Qui certus eſt: *ſubaudi*: vel eſſe debet certus; nam non eſt neceſſarium ſingulorum auribus intimari, quod eſt publicè promulgatum.

69 *Quæres hìc obiter*. Quænam ſolemnitas publicationis requiratur in Lege Canonica, in Decretis, in Declarationibus Pontificiis?

℟. *I.* Communis ſententia eſt, ſufficere publicationem Romæ factam more, & locis ſolitis: dummodò in tali Lege, Decreto, Declaratione, Bulla, Conſtitutione, &c. expreſsè non mandetur alibi publicari. Vide P. Ferdinandum de Caſtro Palao, *Tract. 3. diſp. 1. punct. 12.*

℟. *II.* Ad hoc, ut quævis Lex, Bulla, Conſtitutio, Declaratio, vel quodvis Decretum Pontificium obliget in actu ſecundo Fideles, neceſſariò debet ſufficienter publicari: ſi enim non publicetur, nec obligatoriè intimetur ſubditis per eos, ad quos de Jure ſpectat, nullo modo cenſetur conſtituta, ſeu de facto vim obligandi habere reſpectu illorum, quos tangit. Ita cum communi, P. Marchantius, *in Tribun. tom. 2. tract. 1. tit. 8. quæſt. 5.* Apendix. *Vide quæ dixi in prima part. tractat. 5. num. 14. & 68.*

XXXII. Non licet Actori, quod Reo licitum non exiſtit.

70 Gloſſa ibi: quia favorabiliores ſunt Rei, quàm Actores; unde ſi quod Actori licet, multò magis Reo licebit, quia favorabilior, ideſt, dignus majoris favoris ſecundùm Leges omnes, &c. *Actor* eſt qui ſuſcitat litem: *Reus* autem qui patitur litem, & pœnam.

XXXIII. Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.

Gloſſa ibi: Ergo è contrario ſenſu valet dicere: Ubi alteri non præjudicatur, 71
nec læditur jus alterius, licet mutare. Et Prudentis eſt mutare conſilium in melius.

XXXIV. Generi per ſpeciem derogatur.

Gloſſa ibi dicit, quòd iſta Regula non 72
habet locum in Privilegiis, ſed habet locum in Reſcriptis, & Gratiis ſpecialibus. Et quòd Reſcriptum ſpeciale non tollit Privilegium generale, niſi de ipſo Privilegio fiat mentio in Reſcripto. Regula iſta igitur non ſolùm habet locum in Reſcriptis, ſed ampliari poteſt in Legatis, in Subſtitutionibus, in Contractibus, &c. Per ly *Genus* intellige Gratiam, vel Reſcriptum generale: & per ly *ſpeciem*, ſpecialem gratiam attende.

XXXV. Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.

Gloſſa ibi. Regula iſta locum habet in 73
eo, quod eſt *plus quantitate*; quod plus eſt, utique tanti eſt; *Plus* enim continet in ſe, quod eſt *minus*: Ut V. G. Numerus *denarius* continet minorem numerum, ut puta *quinarium*, &c. Si habeo decem libros, habeo & quinque. Hæc Regula deſumpta fuit à deciſione hujus Caſus: Inter Scholaſticos erat controverſia, quænam pœnitentia eſſet imponenda pro certo crimine (*de quo in cap. Si dederis 24. qu. 1.*) Aliqui dicebant, quòd erat imponenda pœnitentia quinque annorum: Alii ſeptem annorum: Et alii decem annorum. Papa reſpondit, approbando opinionem de quinque annis; quia illa pœnitentia imponenda *ut plus*, continebat in ſe id, quod eſt minus; ſicque verificabatur Regula: *Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus.*

XXXVI. Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.

Gloſſa ibi explicat Regulam per Ca- 74
ſum. Tu poſſidebas rem, quam ego aſſerebam, ad me pertinere: non eſt dubium, quòd poſſum agere contra te rei vendicatione: ideſt, ad recuperandam illam rem. Sed quid, ponamus, quòd tu deſiiſti illam

rem poſſidere dolo tuo; quia data opera, ſcienter ad me fraudandum deſiiſti illam rem poſſidere; numquid poſſum ego agere contra te rei vendicatione, & tecum agere ac ſi adhuc poſſideres? ℞. Quòd ſic; quia *pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere*.

XXXVII. Utile non debet per inutile vitiari.

75 Gloſſa ibi, explicandi gratia hanc Regulam, ponit Caſum. Ponamus, quòd donavi alicui ſummam mille aureorum; cùm tamen Jura volunt, quòd non poſſim donare niſi centum aureos. Utrùm iſta donatio annihiletur in totum, vel in partem tantùm, ita ut valeat in ſumma centum tantùm aureorum? ℞. Valet talis donatio uſque ad ſummam legitimam; ſed ultra non valet, & hoc per rationem hujus Regulæ; quia utile non debet vitiari per inutile. Ita de multis ſimilibus.

XXXVIII. Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.

76 Gloſſa ibi format Caſum explicativum Regulæ, ſic. Pater meus inſtituit hæredem extraneum, & me filium ſuum exhæredavit; tamen in ſuo Teſtamento legavit mihi aliquam rem, puta vineam, pratum, &c. hæres extraneus ſcriptus poſt mortem Patris mei adivit hæreditatem; adita jam hæreditate ab illo extraneo, ego conveni illum querela inofficioſi Teſtamenti: ſuccubi in querela; quia ille probavit, quòd ego commiſeram ingratitudinem erga Patrem meum, ideoque juſtè fui exhæredatus. Ego tandem volo poſtea ſaltem capere legatum prædictum. Quæro. An poſſim de Jure? ℞. Quòd non; quia niſus fui impugnare Teſtamentum Patris mei: ecce Regula Juris.

XXXIX. Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.

77 Gloſſa ibi. Caſus in hac Regula figuratur multis modis. V. Gr. Statutum eſt ab Eccleſia, *capit. denique 4. diſt.* quòd omnes Chriſti-Fideles adulti jejunent diebus Quadrageſimæ, & ſic abſtineant ab eſu carnium. Ex qua conſtitutione inſurgebat dubium: Utrùm in Quadrageſima eſſet licitum uti ovis, lacte, caſeo, butyro, quæ lacticinia vocantur? deciditur in illo, *capit. denique*: quòd non; quia cùm prohibitus ſit eſus carnium, videntur prohibita, quæ trahunt originem ſementinam à carne; nam cùm *quid prohibetur, prohibentur pariter omnia, quæ ſequuntur ex illo*. Item prohibita eſt concupiſcentia per Legem Divinam; ergo prohibita intelliguntur omnia mala, quæ ſequuntur ex illa. Item prohibita alienatione, etiam prohibita intelliguntur Venditio, Donatio, Mutuum, &c. Tandem aliquo prohibito, omne hìc prohibetur, per quod pervenitur ad illud.

XL. Pluralis locutio duorum numero eſt contenta.

Gloſſa hìc. Caſus: Dum Miſſa celebra- 78
tur, de honeſtate debent eſſe plures audientes, (*ut cautum eſt cap. hoc quoque, de Conſecr. d. 1.*) ut illa verba Celebrantis: *Dominus vobiſcum*: poſſint verificari. Quæro. Quot debent ergo eſſe præſentes? ℞. Sufficiunt duo: ex hac Regula. Et quotieſcumque litigatur de numero plurali, non aſſignato determinato, V. G. 3. 4. 5. &c. ſemper ſufficient duo, ad verificandam pluralitatem locutionis.

XLI. Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

Gloſſa hìc. Formatur Caſus ſic. Titius 79
debet promoveri ad Sacerdotium infra ſpatium unius anni ad obtinendos fructus talis Beneficii; aliquo juſto impedimento detinetur, vel quia infirmus jacet, vel quia Epiſcopus non habuit Ordinationem; ſicque per eum non ſtat; ergo ei imputandus non eſt defectus, nec currit ei annus.

XLII. Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.

Gloſſa hìc, Explicatur per Caſum. Ti- 80
tius Clericus conſenſit litigare coram Judice Laicali, vel ſæculari, & juravit ſervare illum conſenſum; an valeat juramentum? Non; quia juramentum eſt acceſſorium ad conſenſum, vel contractum; & acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis; at principale fuit nullum; ergo & juramentum non obligat. Et ſic de multis ſimilibus.

XLIII. Qui tacet, conſentire videtur.

XLIV. Is, qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur.

Gloſſa hic concordat duas has Regulas, 81
quæ

quæ videntur prima facie eſſe contrariæ: dicendo, quòd ubi agitur de commodo, & honore tacentis, *tacens videtur conſentire*. Sed ſi agatur de ſuo incommodo, puta de perſona obliganda, tunc *tacens non fatetur*, neque habetur pro conſentiente.

XLV. Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.

82 Gloſſa ibi plures ponit caſus, quorum unus eſt: Quidam filius dicit, ſe exhæredatum ex injuſta cauſa, & agit querelam contra Teſtamentum Patris, ut Teſtamentum rumpatur, & redeatur ad cauſam Inteſtati; ſi hæres ſcriptus dicat filium fuiſſe ingratum, & neuter legitimè probet ſuum dictum, quid Juris? Præſumitur pro filio; quia plerumque filii conſueverunt eſſe grati; & hoc eſt veriſimilius; ergo, &c.

XLVI. Is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.

83 Gloſſa hic reddit rationem hujus Regulæ: quia, inquit, eodem Jure, vel pacto utetur Succeſſor, quo Prædeceſſor uſus eſt. Tum quia hæres ſuccedit in jus ſui Teſtatoris, nam cenſetur eadem perſona cum defuncto; Succeſſor cum Prædeceſſore; ergo, &c.

XLVII. Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.

84 Gloſſa: Caſus poteſt figurari ſic: Si Clericus non incedat in habitu Clericali, & percutiatur à Titio; Titius non incurrit Excommunicationem, ſi ignorabat talem eſſe Clericum: *ex cap. ſi verò. 2. de ſent. excomm.* Sed quid in dubio præſumemus? ℞. Præſumitur ignorantia; quia habitus demonſtrabat illum extrinſecè fuiſſe laicum, & non Clericum; ideòque iſta præſumptio transfert onus probandi ſcientiam in Clericum.

XLVIII. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.

85 Gloſſa: Formatur Caſus. A pupillo emi aliquam rem, quam mihi vendidit ſine auctoritate ſui Tutoris: ipſe tradidit mihi rem; & ego ſolvi ei pretium; modò pupillus vult repetere talem rem, & retinere ſibi pretium, quod apud ſe habet; an ſit audiendus? Non; propter hanc Regulam; & ſic de ſimilibus.

XLIX. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.

86 Gloſſa. Benigna interpretatio fit in multis. I. Ex multiplici pœna expreſſa in Jure eligenda eſt mitior. II. Si verbum poteſt importare pœnam perpetuam, & temporalem: eligimus temporalem. III. De pœnis non arguimus ſimilia, vel alias ſimiles pœnas. IV. Ubi in Jure habentur verba pœnalia hæc: *puniantur, priventur, &c.* intelligimus per ſententiam ferendam, non ipſo Jure, vel facto; niſi exprimatur. V. In dubio mitiorem caſum eligimus. VI. *Canon. 9. d. cap. alt.* Illa digniora ſunt imitatione, quæ ſunt excellentiora pietate. Ratio regulæ eſt alia Regula: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.*

L. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

87 Gloſſa: Actus legitimi differunt per hoc à contractibus; nam contractus recipiunt & conditionem, & diem; actus verò legitimi, qui ſunt quaſi contractus, ut emancipatio, acceptatio, hæreditatis aditio, ſervi optio, Tutoris datio, ſententia Judicis, Electio, & ſimiles non recipiunt regulariter conditionem, neque diem, ſeu tempus, &c. Nota tamen, quòd licèt Matrimonium ſit contractus, non recipit tamen diem, quamvis conditionem recipere poſſit. Unde de ratione Matrimonii eſt, ut ſit perpetuum, vita durante.

LI. Semel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulteriùs transferendum.

88 Gloſſa: Formatur Caſus. Aliqua Eccleſia pro ſui conſervatione indiget novo tecto; quare deponuntur ligna antiqua, ut nova ſubſtituantur. Q. An ſit licitum de illis lignis antiquis ædificare domum laicalem? ℞. Quòd non; propter hanc Regulam, & Canones, *cap. Ligna. De conſecr. diſt. 1.* Idem dic de Veſtimentis Sacris, *cap. Veſtimenta, ead. diſt.*

LII. Non præſtat impedimentum, quod de Jure non ſortitur effectum.

89 Gloſſa: Patet Regula de eo, qui contraxit Matrimonium cum una, ex impedimento nullum, & poſtea contraxit cum alia ſine impedimento; primum enim

Digitized by Google

non impedit ſecundum. Patet in electione, quæ fuit nulla; iſta non impedit ſecundam electionem validam; & ſic de ſimilibus.

LIII. Cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.

90 Gloſſa. Quia cui conceſſum eſt, quod eſt plus, videtur eſſe conceſſum id, quod eſt minus; nam in majori conceſſo includitur minus; non enim debet cui plus licet, quod minus eſt non licere ſine cauſa. Sicut è contra. Cui non licet minus, neque majus licebit.

LIV. Qui prior eſt tempore, prior eſt Jure.

91 Gloſſa: Ex qua Regula reſolvuntur plures Caſus. I. Antiquior Canonicus eſt cæteris præferendus in actibus Capitularibus, in loco honorabiliori, &c. II. Prior in data, vel accepta Gratia eſt præferendus poſteriori in eadem data, &c. III. Prior creditor eſt præferendus poſterioribus in debito conſequendo. Et ſic, &c.

LV. Qui ſentit onus, ſentire debet commodum: & econtra.

92 Gloſſa ponit plures Caſus. Aliquis Clericus perpetravit aliquod delictum, propter quod fuit condemnatus agere pœnitentiam in aliquo Monaſterio; numquid Monaſterium hoc tenetur alere Clericum gratis? Nequaquam; quia ex quo Monaſterium ſentit onus, etiam debet ſentire emolumentum.

93 Item. Parochianus elegit ſepulturam alibi, quàm in ſua Eccleſia Parochiali: numquid hæc Eccleſia debet fraudari illis emolumentis, quæ illi obveniunt ratione funeris? Nequaquam; ſed ei debetur quarta, vel alia portio ſecundùm conſuetudinem Regionis.

94 Item. Clericus percipit fructus, & emolumenta Eccleſiæ, ſeu Beneficii; numquid non tenetur ſub mortali eam Eccleſiam officiare, & facere Divinum ſervitium? Abſit. Nam Beneficium datur propter Officium: & qui ſentit commodum, debet ſentire & onus, ſeu incommodum: *ex cap. Significatum, de preb. in antiq.* & ſic de ſexcentis ſimilibus.

LVI. In re communi potior eſt conditio prohibentis.

95 Gloſſa: Caſus formatur ſic: Titius contraxit matrimonium cum Berta: contracto, & conſummato matrimonio, alter conjugum vult intrare Religionem; numquid poteſt altero invito? Non; propter Regulam.

LVII. Contra eum, qui Legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.

Gloſſa: Hæc regula non eſt de Legibus; quia in Legibus nihil debet eſſe obſcurum, vel ambiguum; & ſi eſſet, interpretatio ejus facienda eſt à Legiſlatore, vel ejus Succeſſore, quia ille ſolus interpretari poteſt, qui condere poteſt Leges. Eſt ergo de actibus humanis, quæ ſunt privatæ quædam leges. 96

LVIII. Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum Juramentum.

Gloſſa: Quia, quæ contra bonos mores ſunt, impoſſibilia moraliter ſunt; & dicuntur de Jure impoſſibilia. Non tenet ergo pactum, vel promiſſum turpe, vel illicitum; ergo nec Juramentum, quod eſt acceſſorium; tum quia Juramentum non eſt inſtitutum, ut ſit iniquitatis vinculum; ergo, &c. 97

LIX. Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem.

Gloſſa ponit Caſum de Uſurario, qui non poteſt petere uſuras à debitore; ipſas enim reſtituere cogeretur; ergo dolo faceret, ſi peteret. 98

LX. Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.

Gloſſa ponit exemplum in Clerico, qui non dicitur in mora ſolvendi quartam Decimarum, ſi tutus eſt exceptione præſcriptionis legitimæ. 99

LXI. Quod ob gratiam alicujus conceditur non eſt in ejus diſpendium retorquendum.

Gloſſa inter alia pro declaratione hujus Regulæ ponit exemplum de Pupillo, in cujus gratiam conceditur Tutor: in his, quibus certum eſt conditionem pupilli effici meliorem, valet factum à pupillo etiam ſi eſſet factum ſine Tutoris auctoritate; ſed non è contra: ideſt, non valet factum à pupillo ſine auctoritate Tutoris, ubi certum eſt, conditionem pupilli deteriorem conſtitui. 100

LXII. Nul-

Digitized by Google

LXII. Nullus ex conſilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur.

101 Gloſſa dicit, quòd Regula iſta valet, quando, & ubi quis fraudulenter, & doloſè dat ineptum, & damnoſum conſilium alteri petenti; tunc ex conſilio doloſo oritur obligatio reſarciendi damna; aliàs non; ideſt, quando, & ubi datur conſilium ſine fraude, & dolo; ſi inde oriatur aliquod præjudicium, vel damnum, ad id non obligatur Conſulens; quia nullus tenetur conſilium meum ſequi; ſed explorare, & deliberare debet apud ſe ipſum, an ſibi expediat, necne?

Petes. Cur in primo caſu conſiliarius obligatur, & non in ſecundo?

℞. Quia unuſquiſque habet jus, ne dolo, aut fraude capiatur. Conſiliarius ergo fraudulentus, vel doloſus cùm peccaverit in primo caſu contra Juſtitiam; hinc fit, quòd obligabitur ex ſua actione injurioſa, & damnoſa alteri.

LXIII. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adverſarii confiteri.

102 Gloſſa explicat ſic. Exceptionem objiciens adverſario, non videtur per hanc exceptionem aliquid confiteri de intentione, vel juxta intentionem ſui adverſarii. Hoc pertinet ad Judices in cauſis, &c.

LXIV. Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

103 Gloſſa ponit Caſum. Jure prohibetur Religioſis Mendicantibus, ne recipiant aliquem Novitium ad Profeſſionem infra annum probationis; ponamus, quòd fecerint contrarium, admittendo ſcilicet aliquem ad Profeſſionem anno probationis nondum completo. Utrùm teneat profeſſio? ℞. Quòd non; quia talis profeſſio eſt facta contra jus, ſicque pro infecta habenda eſt: ideſt, tamquam non facta.

LXV. In pari delicto, vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.

104 Gloſſa ponit Caſum. Titius dedit pecuniam notabilem virgini, aut mulieri pro ſtupro, vel fornicatione; iſta mulier recepit pecuniam; Titius poſtea vult illam pecuniam repetere, adducendo, quòd mulier recepit talem pecuniam ob turpem cauſam. Utrùm poſſit? ℞. Quòd non; quia Titius eſt in pari delicto: & mulier eſt in poſſeſſione pecuniæ; ergo, &c.

Item. Cùm vacaret aliquod Beneficium pingue, fuit collatum inadvertenter duobus Clericis; quia Papa illud contulit D. Titio, & Ordinarius illud contulit D. Cajo. Q. Quis erit potior in hac Cauſa? ℞. Si non appareat de prioritate collationis, ille erit potior, qui poſſidet illud Beneficium. Et ſi neuter adhuc poſſidet, ille eſt potior, qui habet illud à Papa.

LXVI. Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominùs conditio impleatur: haberi debet perinde ac ſi impleta fuiſſet.

Gloſſa figurat Caſum. Titius veniens ad mortem ſuum condidit Teſtamentum, in quo legavit ſervo ſuo libertatem, ſi ipſe ſervus daret decem ſcuta hæredi Teſtatoris; ſervus poſt mortem Domini ſui Titii obtulit illa decem ſcuta Hæredi ſcripto, qui noluit illam pecuniam accipere. Utrùm conditio habeatur pro completa? ℞. Quòd ſic; quod etiam verificaretur, ſi alius nomine ſervi obtuliſſet illam ſummam; ergo ſervus de Jure evadit liber. 105

LXVII. Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.

Gloſſa dicit, quòd hæc Regula habet locum in maleficiis, ideſt, in rebus malis, & alteri nocivis, & damnoſis: eſtque nimis ampla. Quia indecens eſt crimen ſuum commodis alienis impendere. Et qui per alium facit aliquid mali, per ſe ipſum facere cenſetur. 106

LXVIII. Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.

Gloſſa fingit Caſum ſic. Titius vult contrahere matrimonium cum Berta in longinqua regione habitante per Procuratorem; numquid poterit? ℞. Quòd ſic; dummodò ejus Procurator habeat mandatum ſpeciale à D. Titio; Dixi *ſpeciale* quoad hanc cauſam individuam; quia mandatum generale V. G. ad contrahendum matrimonium cum aliqua honeſta muliere vagè, non ſufficeret. 107

LXIX. In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.

Gloſſa dat rationem: quia mala promiſſa ipſo Jure vitiantur. Mala promiſſa ſunt, quæ ſervari non poſſunt ſine ſalutis Animæ diſpendio, ideſt, ſine aliquo peccato. 108

LXX. In alternativis, debitoris eſt electio: & ſufficit alterum adimpleri.

109 Gloſſa figurat hunc caſum ad declarandam Regulam. Titius mihi ſtipulanti promiſit dare equum, vel decem ſcuta monetæ. Utrùm poſſim petere, & compellere Titium, ut mihi det & equum, & ſcuta: vel determinatè equum? ℟. Quòd non; propter rationem, & auctoritatem hujus Regulæ Juris.

LXXI. Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.

110 Gloſſa ponit Caſum. Titius poſſedit agrum cum titulo donationis, bona fide, & cum aliis requiſitis ad præſcriptionem legitimam. Certum eſt, quòd ſi cadat à poſſeſſione agri, quam præſcripſit, habet actionem ad illum agrum petendum. Sed quid, ſi non cecidit à poſſeſſione, & verus Dominus agri agat contra eum; numquid poteſt excipere, & ſe tueri præſcriptione? ℟. Quòd ſic; propter hanc Regulam Juris.

LXXII. Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſeipſum.

111 Gloſſa ait hìc: Ponamus, quòd injunxerim famulo meo, ut Clericum verberaret; quod fecit ad mandatum meum, & nomine meo: numquid ſum excommunicatus ipſo facto, ac ſi ego illum Clericum verberaſſem? ℟. Quòd ſic; propter hanc Juris regulam. Procedit enim Regula de quadam Juris interpretatione, cùm reverà non repræſentet identitatem perſonæ, & facti; cenſetur tamen & eadem perſona, & idem factum à Jure ſic diſponente, & interpretante.

LXXIII. Factum legitimè retractari non debet; licèt caſus poſtea eveniat, à quo non potuit inchoari.

112 Gloſſa fingit Caſum. Titius contraxit matrimonium cum Berta; contracto matrimonio, cognovit ſororem uxoris ſuæ Bertæ, & ſic contraxit affinitatem inter ſe, & uxorem ſuam. Utrùm propter affinitatem ſupervenientem diſſolvatur matrimonium jam contractum, & nondum conſummatum? ℟. Quòd non; quia quod ab initio tenet, non diſſolvitur, licèt perveniat poſtea ad eum ſtatum, in quo non valuiſſet ab initio: & ecce declaratio Regulæ.

LXXIV. Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

Gloſſa explicat per exempla. Si à Principe, vel Papa concedatur alicui, quòd ſubire non ampliùs teneatur munera publica; quia forſitan in re proſpera virtuosè ſe habuit; in aliis rebus debet iſte ſervare jus commune; quia non debet talis gratia extendi, &c. Vel meliùs. Papa cum aliquo licentiato diſpenſavit ſuper pluralitate Beneficiorum, & in tali gratia appoſuit cauſas motivas, &c. non per hoc alius licentiatus, etiamſi habeat ſimilem cauſam, vel etiam majorem, poteſt extendere gratiam illius primi ad ſe ipſum; propter Juris Regulam; quia hæc gratia non eſt de Jure communi; ergo, &c. 113

LXXV. Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.

Gloſſatur ſic per Caſum. Cùm haberem tecum litem, tranſegimus ſimul: per quam tranſactionem renunciavi liti ſub hoc pacto, quòd infra menſem dares mihi centum aureos; non ſolviſti infra tempus ſtatutum ſummam promiſſam; volo redire ad litem priorem. Utrùm poſſim? ℟. Quòd ſic, per rationem hujus Regulæ. 114

LXXVI. Delictum Perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

Gloſſa ſic explicat Regulam. Aliquis Epiſcopus, vel Parochus commiſit aliquod grave delictum, per quod fuit depoſitus, & privatus ſuo Epiſcopatu, vel Parochia. Utrum bona illius Eccleſiæ debeant confiſcari? ℟. Quòd non, ob rationem hujus Regulæ. Et ſic de ſimilibus. 115

LXXVII. Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.

Gloſſa ſic diſcurrit: Certum eſt, quòd Juſpatronatus admittit Jus hæreditarium, & tranſit ad hæredes: & Patronus Eccleſiæ tenetur defendere Eccleſiam, ſi opprimatur; ſed quid de hæredibus, qui ſuccedunt tali Juripatronatus? ℟. Tenebuntur etiam iſti defendere Eccleſiam, ſi opprimatur; propter Regulam; & ſic de ſimilibus, &c. 116

LXXVIII. In

Digitized by Google

LXXVIII. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.

117 Gloſſa ſic explicat per exemplum. Certum eſt, quòd Beneficia Sæcularia debent conferri Clericis ſæcularibus, & Regularia Regularibus: *ut habetur cap. 1. diſt. 55.* Sed ponamus, quòd eſt modò tanta penuria Clericorum ſæcularium, quòd non inveniuntur idonei, & ſufficientes pro tot Eccleſiis, & Beneficiis ſæcularibus: tunc poterunt conferri etiam Clericis Regularibus ex mera neceſſitate; quod fuit legitimè factum. Tractu annorum modò reperiuntur Clerici idonei ſæculares. Utrùm illa Beneficia ſæcularia adhuc poſſint conferri Regularibus? ℟. Quòd non; quia Regula urget, ut patet.

LXXIX. Nemo poteſt plus Juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.

118 Gloſſa hic. Ratio regulæ eſt clara; quia nemo dat, quod non habet; Unde ſi fur vendat tibi rem furtivam, nequit transferre in te Dominium illius rei, cujus non erat dominus.

LXXX. In toto, partem, non eſt dubium, contineri.

119 Gloſſator ibi dat rationem; nam pars eſt in ſuo toto; ergo qui cedit totum, cedit & partem illius, niſi expreſsè excipiat talem partem.

LXXXI. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.

120 Gloſſa dat Caſum. Epiſcopus meus dedit mihi facultatem eligendi Confeſſarium, quem voluero; eligo Sacerdotem non habentem facultatem in reſervatis. Utrùm iſte poſſit me abſolvere etiam à reſervatis? ℟. Quòd non; ratio patet ex Regula.

Petes. Sed quomodo poſſum cognoſcere quænam ſint illa, quæ veriſimiliter non ſunt mihi conceſſa in ſpecie.

℟. Poteſt hoc cognoſci ex impoſſibili, vel inhumana, vel dura conceſſione iſtorum; nam verbum generale in conceſſione, niſi meliùs exprimatur, reſtringi debet, non ampliari; ergo generalitas arctari debet ad ordinaria, & ſolita. Igitur quæ inordinaria, & inſolita apparent, non cenſentur veriſimiliter conceſſa in generali illa conceſſione.

LXXXII. Qui contra Jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.

Gloſſa ponit exemplum in eo, qui emit à pupillo, quem talem ſciebat, ſine auctoritate Tutoris. Adde, etiam qui emit à filio familias, inſcio Patre, & ſic de ſimilibus multis. 121

Ratio Regulæ ibi aſſignatur: quia, aut emptor ſciebat hoc à Jure eſſe prohibitum: & ſic fides mala concluditur manifeſtè; aut ignorabat: & tunc mala fides, propter Juris ignorantiam, & errorem, præſumitur in foro externo; nam juris ignorantia in mercatore non debet concedi, nec præſupponi.

LXXXIII. Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterùm exigatur.

Gloſſa. Ego, & Titius eramus inſolidum Cajo obligati in aliqua ſumma pecuniæ; unus noſtrùm ſolvit Cajo totam illam pecuniam. Utrùm Cajus poſſit exigere ab altero eamdem pecuniam? Abſit; patet ex regula. 122

LXXXIV. Cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

Gloſsa per caſum ſic declarat. Vendidi tibi meum charum equum, & in venditione appoſui pactum, quòd talem equum non poſses alienare. Utrùm poteris eum obligare? ℟. Quòd non; quia tunc indirectè equus iſte alienaretur: quod vetat hæc Regula. 123

LXXXV. Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.

Gloſsa. Apud te depoſui libros meos, & fuit conventum inter nos, quòd ſi perderentur culpa tua etiam leviſſima, vel caſu fortuito, obligareris reſtituere valorem illorum. Si pereant libri caſu fortuito; numquid potero agere contra te? ℟. Quòd ſic; ratio patet ex Regula: quæ ad multos valet Caſus. 124

LXXXVI. Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare.

Gloſsa explicat Regulam per hunc caſum. 125

S 4

Digitized by Google

ſum. Quis ad Judicem equo inſidens ducitur; ſed ante palatium Judicis ſe de equo projicit, & graviter læditur. Quid Juris? ℞. Sibimet ipſi ſoli imputare debet; ratio deducitur ex iſta Regula. Item Geſtor negotiorum ſolvit alicui indebitum. Sibi imputari debet. Et ſic de multis, &c.

LXXXVII. Infamibus portæ non pateant dignitatum.

126 Gloſſa declarat per Caſum, vel exemplum ſic. Conveni Titium ſuper actione injuriæ, vel alia actione, quæ infamat. Titius fuit condemnatus, & effectus fuit infamis à Jure. Vacat aliqua dignitas Eccleſiaſtica, vel ſæcularis. Utrùm poſſit illam obtinere? ℞. Quòd non; quia Regula cantat contra eum.

LXXXVIII. Certum eſt; quòd is committit in Legem, qui Legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem.

127 Gloſſa hic explicat Regulam ultimam ponendo Caſum ad modum exempli, ſic: Si Prætor in *Albo* ſuo cauſa perpetuæ Juriſdictionis aliquid poſuerit, quicumque illud corruperit, debet puniri, ut habetur *per Leg. ſi quis, de Juriſdict. omn. Judic.* ſed ponamus, quòd Prætor fecit aliquam Legem generalem, & illam fecit poni in *Albo Prætoris*: aliquis non corrupit, nec delevit, ſed tantùm cum glutino poſuit pannum, ita quòd talis lex non poſſit legi. Utrùm incidat in pœnam ſtatutariam? ℞. Quòd ſic; quia talis licèt non committat contra verba Edicti, vel Legis, tamen committit contra mentem Legis; prout dicit iſta Regula Juris.

Quæres. Quid eſt *Album Prætoris*?

℞. Eſt tabula gypſata, in qua Judices antiquitùs notari, Prætorumque jura, decreta, edicta ſcribi ſolebat. Si quis verò *Album* corrupiſſet, puniebatur: quia Prætoris authoritas contempta videbatur.

Finis Regularum ſexti Decretalium Juris Canonici.

Brevis item Notitia de Regulis undecim Juris Quinto Decretalium in fine.

Rubrica: *De Regulis Juris*. Suprà vidimus multa Jura ſpecialia; verùm quia ex Juribus ſpecialibus omnes caſus occurrentes decidi non poſſunt, congruum fuit in fine Operis ſubjicere aliquas Regulas generales, quarum prima eſt.

I. Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.

128 Gloſſa ibi. Omnis res, ideſt, omnis obligatio temporalis, per quaſcumque cauſas contrahitur, per eaſdem diſſolvitur. Hujuſmodi enim obligationes temporales, ſive contractus conſenſu partium contrahuntur, & diſſenſu diſſolvuntur. *Secùs* in ſpiritualibus obligationibus, quæ conſenſu contrahuntur, ſed diſſenſu non amittuntur: ut Sacramenta Eccleſiaſtica. Patet in Matrimonio, quod ſolo conſenſu contrahitur, ſed ſolo diſſenſu non ſolvitur; quia Sacramenta ſemel validè habita numquam amittuntur, ut in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine; item in Profeſſione Religioſa, & ſimilibus.

II. Facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.

129 Gloſſa ibi. Dubia in meliorem partem interpretari debent; quia potiùs debemus præſumere bonum, quàm malum. — *Vel* in meliorem partem: ut res potiùs valeat, quàm pereat. *Vel* benigniorem interpretationem ſequi debemus in re dubia. *Vel* in meliorem, ideſt, in ſecuriorem, pro eo, quòd in altero nullum, in altero magnum periculum timeatur. Sic enim in dubiis abſolvitur Reus:

III. Utiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm Veritas relinquatur.

130 Gloſſa ibi. *Veritas*, ideſt, Jus commune, quod indiſpenſabile eſt, pro nullo ſcandalo eſt relaxandum. — Veritas, quæ triplex eſt, ſcilicet bonæ vitæ, juſtitiæ, & diſciplinæ. Veritas bonæ vitæ numquam omittenda eſt propter ſcandalum, & hæc ad quemlibet pertinet; Veritas Juſtitiæ, hæc ad Judicem pertinet; Veritas Diſciplinæ, quæ pertinet ad Prælatum; in his duabus quandoque aliqua omittuntur propter ſcandalum vitandum. Quando autem Jus commune diſpenſabile eſt, tunc propter ſcandalum receditur à Jure communi; quando verò Jus commune indiſpenſabile eſt, tunc tale Jus pro nullo ſcandalo relaxandum eſt.

Tri-

Digitized by Google

Triplex illa veritas habetur in his verſibus:

Eſt verum Vitæ, Doctrinæ, Juſtitiæque.
Primum ſemper habe: duo propter ſcandala linque.

IV. Quod non eſt licitum in Lege, neceſſitas facit licitum.

131 Gloſſa ibi. Quia neceſſitas extrema non ſubjacet Legi; Vel neceſſitas Legem ſervare non poteſt. Unde tempore neceſſitatis omnia ſunt communia: intellige, neceſſaria ad vitam.

V. Quod illicitè introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere.

132 Gloſſa ibi. Quia illa, quæ fiunt latenter, ſive clàm, aut per vim, vel aliàs illicitè introducta ſunt, contra Jus, & æquitatem fiunt; ideò firmitatem habere non debent.

VI. In ipſo Cauſæ initio non eſt à quæſtionibus inchoandum.

133 Gloſſa ibi. Judices à principio cauſæ non debent incipere à tormentis; niſi primò aliquæ præſumptiones præcedant; quod ſi fiat, appellari poteſt.

VII. Quidquid in ſacratis Deo rebus injuſtè agitur, pro Sacrilegio reputatur.

134 Gloſſa ibi. Quidquid committitur, ſeu delinquitur in ſacratis Deo rebus, vel perſonis, vel Eccleſiis, injuſtè, & iniquè agitur, & pro ſacrilegio habetur; quia Sacra ab aliquo violari non debent. — Et qui res Eccleſiæ invadit, Sacrilegium committit, & tamquam ſacrilegus judicari debet: & per Eccleſiam debet judicari. Tum quia Jus publicum offendit, quod conſiſtit in Sacris, & Sacerdotibus.

VIII. Qui facit aliter, quàm debet, facere non dicitur.

135 Gloſſa ibi. Qui ex timore facit id, quod ſibi præcipitur, aliter facit, quàm debeat; quia libenti animo illud facere deberet; & ideò jam non dicitur facere; nam ex tali obedientia non meretur. Item: Non dicitur factum, quod legitimè non fit. — Item: Qui invitus ſervit, & rem perdit, & meritum. Talis obedientia vel nulla, vel minima eſt.

IX. Defleat peccator: quia offendens in uno, factus eſt omnium reus.

Gloſſa ibi. Peccator, cùm peccat, meritò flere debet; quia offendens in uno propter illud unum damnabitur; nam pro uno ſolo mortali peccato damnabitur quis, quamvis multa bona opera antea fecerit. — Offendens in uno, ſcilicet præcepto Legis: vel in uno, ſcilicet peccato mortali: vel in uno, ideſt, in una Virtute, cùm virtus ejicitur, tunc vitium naſcitur: vel in uno, ideſt, in Charitate, ſine qua nemo ſalvatur. *Factus eſt omnium reus*: quoad vitam æternam; quia omnis virtus detrimentum patitur ab uno vitio, & dum in uno perſeverat peccato, omnia bona perdit. 136

X. Non poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & Paſtor neſcit.

Gloſſa ibi. Quia ignorantia Paſtoris non excuſat eum, ſi lupus rapiat ejus oves; 137
Paſtor enim, ſive Prælatus debet habere curam de ovibus ſuis; & ideo ſi lupus comedit oves, & ipſe neſciat, nullam habebit apud DEUM excuſationem, propter negligentiam ſuam; ergo ignorantia in hoc non excuſabit; quia Paſtor tenetur de cuſtodia, ratione officii ſui, &c.

XI. Indignum eſt, & à Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, ut pro Spiritualibus facere quis homagium compellatur.

Gloſſa ibi. *Homagium*, ideſt, Sacramen- 138
tum fidelitatis, quod pro aliquo ſpirituali facere quis non debet: cùm illud ſit Simoniacum; Nullum enim Juramentum, nulla pactio, vel obligatio illicita in ſpiritualibus habendis debet intervenire; & ſi interveniret, nullam obligationem de Jure, vel de facto inducit. — *Romana Eccleſia, &c.* ergo & à conſuetudine aliarum Eccleſiarum hoc debet eſſe alienum: quia quod Romana Eccleſia reprobat, aliæ Eccleſiæ hoc idem reprobare debent, cùm ab ipſa ſuam habeant inſtitutionem, & authoritatem.

Romana igitur Eccleſia, in qua & vivo, & mori cupio, *extra quam non eſt ſalus*, omnia mea ſubmitto deſcripta, quia eſt *Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum Veritatis*, 1. Timoth. cap. 3. v. 15.

Benedictus Deus Veritatis.

Huic

Huic parti ſecundæ Lucis Moralis finem deſcribendo (Divino favente auxilio) impoſui die memorabili Sancti Raymundi de Pennafort, quæ apud nos eſt *duodecima Februarii*; *anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo quinto decimo*; & iſti Magno Viro, Docto, Sanctoque humillimè, devotèque commendavi labores meos in hoc opuſculo, ipſum exorando, ut ſic luceat Lux iſta doctrinalis coram Clericis, ac novellis Sacerdotibus, quibus illuminandis directè reſplenduit, ut videant opera bona ſequenda, mala quoque fugienda in ipſorum officio, & miniſterio; ſicque verbis, & factis in ſe, ac in aliis glorificent Patrem Luminum, qui in Cœlis eſt:

CUI
Sit *omnis gloria, cordis, oris, & Operis*. Amen.

TRACTATUS
DE SANCTÆ CRUCIATÆ BULLA.

Tractatus de Sanctæ Cruciatæ Bulla in hac Luce deſiderabatur, ne quidquam ad mores attinens relinqueretur intactum. In Italiæ oris ubi Pater Sabinus Lucem iſtam Moralem eruit, non ejus decerat complemento, quia Cruciatæ Bulla plagis illis minimè expeditur, ſed in Hiſpania, aliiſque Catholicæ Majeſtatis ditionibus, quæ tam dulci Matris Eccleſiæ ubere lactantur, ejuſque privilegio potiuntur magno, quo in variis conſcientiæ caſibus frequenter fulciuntur, aliqua ex parte captum abſque materia iſta erubeſcebat opus. Ideo proficuum exiſtimavimus hunc addere Tractatum, quem ex Medulla Theologiæ Moralis R. P. Hermani Buſembaum excerpimus, & in quatuor dividetur capita, in quorum primo de Bulla Vivorum communi ſermo habebitur; in ſecundo, de Compoſitionis Bulla, verba fient; in tertio, de Bulla Defunctorum diſſeremus; in quarto, ad facultates Commiſſarii, & jura vertetur oratio.

CAPUT PRIMUM.

De Communi vivorum Bulla.

DUBIUM I.

Quid ſit Bulla? Et quiſnam eam concedere valeat?

Reſp. 1. Bullam (omiſſis pro nunc aliis hujus nominis etymologiis) pro monili quodam accipi, & inſigni, quo à collo dependenti Patriciorum filii à plebejorum turba diſtinguebantur: erat orbiculatum inſigne hoc, in cujus medio figura cordis cælata videbatur, inde orbiculata ſigilla quædam, vocata Bullæ, in quibus Imperatorum effigies inſculpebantur, quæ ex eorum chirographias habebantur appenſa; inde etiam rotunda ſigilla, quæ Pontificis appenduntur litteris, appellantur Bullæ, & à ſigillis ad ipſas litteras Bullæ nomen hoc translatum accipitur, vel ſigillum ſit cereum, vel plumbeum, vel alia quacumque materia extractum. Mendo *d. 1. num.* 16. Mos iſte, & conſuetudo appendendi litteris Pontificis ſigilla hujuſmodi, ita habetur ſolemnis, ut fides non adhibeatur his, quæ ſine ſigillo tali pendente videantur, crimenque falſarii incurrat, qui vel ſigillum tollit, mutat, rumpit, vel aliquid addit, vel detrahit litteris. Idem *num.* 17.

Reſp. 2. Certum eſſe Summos Eccleſiæ Pontifices Bullam poſſe concedere; quandoquidem repetitam toties expedire videmus, & incredibile ſit in rebus momenti tanti erraviſſe; & poteſtate propria cum exceſſu abuſos. Probatur ultra; quia quidquid in Bulla continetur, ad concedendas indulgentias, ad facultatem delegandi, ad facultatem abſolvendi à culpis, & cenſuris, commutandi vota, diſpenſandi in præcepto jejunii Eccleſiaſtico, & his ſimilia, & adhuc minora reducitur, quorum ſingula ſigillatim Pontifici licet concedere, cur

ergo

ergo juncta ſimul non poterit elargiri? Neque obſtat ſi dixeris, quod gratiæ, quæ in Bulla conceduntur, ſint magnæ, ad quarum conceſſionem debet eſſe cauſa ſufficiens, & non videtur ſufficere eleemoſyna duarum drachmarum, quas taxat commiſſarius, cujus arbitrio Pontifex taxationem reliquit. Non obſtat inquam hæc objectio, quia finis optatus harum eſt ſalus Eccleſiæ publica tuenda, depreſſio fidei hoſtium procuranda, defenſio, & propagatio fidei habenda, terra denique ſancta recuperanda: & quamvis in ordine ad negotium tantum, ſingulæ duæ drachmæ parum afferant ſubſidii, junctæ ſimul, quæ à ſingulis tribuuntur, plurimum augent emolumenti.

Poſſunt etiam concedere Bullas in proprio territorio, quicumque valent concedere indulgentias, & alias facultates, modo conceſſiones cum poteſtate propria, & juriſdictione commettantur, & cauſam ineſſe juſtam indulgentiæ præſcierint concedendæ; quia in tali conceſſione, poteſtatis ſuæ non tranſgrediuntur limites profuſiùs, & ultra quam poſſunt concedentes, præſertim cum ſupponamus inveniri cauſam: ergo nulla eſt ratio, quare Bullas tales concedere nequeant, niſi forſan à Pontifice in Bulla ſua, vel per novum præceptum aliquod prohiberetur. Lat. *l. trium grat.* Baſil. Legio *in explic. Bullæ Manuſcript.* Mendo *num.* 25. cum aliis contra Navar. & Rodrig.

Unde reſolvuntur.

1. Has ſimilium gratiarum Bullas expediri poſſe non tantùm in belli contra infideles ſubſidium; ſed etiam in cujuſque pii operis, quod ſufficiens concedendi cauſa judicetur.

2. Deducitur etiam non committi ſimoniam in accipienda eleemoſyna pro Bulla præfinita; & hoc, non ideo, quia Pontifex diſpenſet in jure poſitivo temporale pretium pro ſpiritualis rei acceptione prohibente, ut ait bene cum Navarro, Rodriguez, ſed quia eleemoſyna non accipitur, ut pretium temporale pro re ſpirituali, ſed imponitur, ut onus diſpenſationis, ut ſimul ſit commutatio, & ita ſtrictius, & juſtius diſpenſandi ad trutinam juſtificetur cauſa. Quare advertunt Doctores, convenire imponi aliquod onus diſpenſationibus in favorem alicujus cauſæ piæ, tum ne invalida fiat diſpenſatio ſufficientis defectu cauſæ, tum ne ita facilè in diſciplinæ relaxationem Eccleſiaſticæ petantur. Neque indulgentiæ conceduntur ejus pretii, & eleemoſynæ intuitu, ſed proponuntur fidelibus, ut illarum ſpes lucrandarum eos alliciat ad pio illi operi, eleemoſynis ſubveniendum, vel cauſæ publicæ; vel indulgentiæ conceduntur ob affectum pium, & contributam remunerandam eleemoſynam. Videatur Mend. *numer.* 29. & 30.

Infertur ult. quod & Summus Pontifex, & cæteri qui Bullas poſſunt elargiri, acceptas pro illis eleemoſynas, alendis ſibi ipſis, ſuiſque familiis, ni aliqua in contrarium ſpecialis obſtiterit prohibitio, poſſint applicare. Mendo *num.* 32. contra Suar. & alios.

Dixi: Ni ſpecialis aliqua obſtiterit prohibitio: quia Epiſcopi in Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 18. prohibentur accipere quidquam pro diſpenſationibus, ad ſeipſos alendos; neque conſequenter pro expediendis Bullis; ſed quamvis Epiſcopi acciperent, licet obedientiæ deeſſent, non tamen ſimoniæ crimen incurrerent non accepta eleemoſyna pro temporali ſpiritualis rei pretio, ſed impoſita eleemoſyna illa, ut commutationis onere, vel ut pœna criminis, quod ſæpe ad diſpenſationes procedit. Idem *num.* 32.

DUBIUM II.

Quibuſnam Cruciata concedatur Bulla?

Reſp. Bullam Cruciatæ (ita vocatam à rubea cruce, qua inſigniebantur illi, qui ad expugnandam Terram ſanctam advolabant, in quorum favorem primo conceſſa fuit) concedi tunc cunctis utriuſque ſexus fidelibus, in Regnis Hiſpaniæ, & Inſulis eiſdem Regnis adjacentibus; in Regnis Siciliæ, Sardiniæ, ſimiliter in Regnis, locis, terris, populis, & dominiis terræ firmæ, & maris Oceani, vel aliter vocatis, quæ mediatè, immediatè, vel alio quocumque modo, Hiſpaniarum Regi ſubjiciuntur. *Ita in Bulla Lateran.* Unde deducitur.

Bullam valere in cunctis, & ſingulis Hiſpaniæ Reg. intra, & extra Europam, nec in illis dumtaxat, quæ Regi Catholico ſubjecta ſunt, ſed etiam in illis quæ denuò ejus armis ſubjugata fuere, modo arma vel jura ad talia regna, vel loca capeſſenda, Hiſpaniæ nomine, vel adjacentium

tium Inſularum, vel Regnorum Siciliæ, vel Sardiniæ inducta ſint. Et quia ſub hoc nomine non comprehenduntur loca illa, quæ ſunt Domus Auſtriæ patrimonium, nec ea, quæ Catholico Regi in fœdere traduntur, ideo in iſtis Bulla non valet. Mend. *d.* 3. *num.* 2.

Infertur ſecundò, non valere Bullam in Regno, inſula, aut loco, quod ab obedientia Regis Hiſpaniarum cum rebellione ſecedens, alterius ſe Principis ditioni cum juramento ſummiſerit; niſi Pontifex Bullam in favorem talis Regni, Inſulæ, aut loci denuò conceſſerit. Dixi non valere Bullam in Regno rebelli, quia eleemoſyna, quæ ibi ex acceptis cogeretur Bullis, non in fiſcum mitteretur Regium ſubſidio ad bellum contra infideles peragendum, & dicta Bulla, ut diximus, in favorem eorum conceditur, qui Hiſpano Regi in prædicto bello vel armis, vel ſumptibus, vel conſilio adfuerint. Idem *n.* 3.

Colligitur tertiò: Quod ſi aliquis de Provincia recens rebellis, de cujus ad proprium Principem reductione agitur, mitteret eleemoſynam, ut ſibi ex obedienti parte remitteretur Bulla: iſte talis Bullæ gauderet privilegiis, quia eleemoſyna illa in ſubſidium belli cederet, Regique contra infideles bell'anti deſerviret, & ille, qui eleemoſynam remittit, ibi moratur locorum, & gentium, quibus Bulla conceſſa eſt cum tali onere eleemoſynæ illius ad prædictum bellum elargiendæ, & talia loca, vel Regnum adhuc Hiſpani Regis tenentur jure, quamvis tyrannicè, & infidè alterius Principis audierint vocem.

Dixi: *Recenter rebellis*. Quia ſi rebellio fuiſſet antiqua per ſæcula, vel plures annos, & jam, ut præſcripto jure ad alterius ditionem tranſiiſſet, qui tunc e tali Regno rebelli eleemoſynam pro accipienda Bulla remitteret, Bullæ privilegiis minimè gauderet, quia tunc non cenſetur Pontificem concedere Bullam locis illis, quæ tale ſubſidium non tribuunt Hiſpano Regi, ut dominium, & ditio ejus. Et quamvis rebellio per multos annos non privet Regem jure proprio ad rebellia Regna, deducit illa Regna tamen ad extraneum dominium, ita ut vulgo illa Regna, vel Provinciæ non appellentur Regna, aut Provinciæ Regis illius, cui fregere fidem. Idem *n.* 4.

Infertur quartò: quod ſi aliquis accipit Bullam in loco, ubi valet Bulla, & poſtea redit ad locum, ubi accepta non valet Bulla, poteſt adhuc ibi gaudere privilegiis ejuſdem Bullæ, exceptis privilegiis veſcendi ovis, & lacticiniis in diebus Quadrageſimæ, & carnibus de conſilio utriuſque medici, ſpiritus & corporis, in diebus, quibus prohibentur. Exceptio iſta patet ex ipſa Bulla, in cujus textu legitur: quod durante ipſius Bullæ anno, conceduntur privilegia veſcendi ovis, lacticiniis, & carnibus ut ſupra diximus, in Regnis dumtaxat, inſulis, & locis, quæ de ditione Hiſpani Regis extiterint, minimè vero extra illa; & cum exceptio tu ajunt conſulti juris, firmet Regulam in contrarium, cum ſola prædicta excipiantur privilegia, ne illis gaudere poſſint in alienis Provinciis degentes, ſequitur, quod ſi quis Bullam acceperit ibi ubi valet, quamvis poſtea ad Provincias illas fuerit, ubi non valet, poterit tamen reliquis gaudere privilegiis, cùm non excipiantur. Sylv. *v. Privilegium*, Vill. *t.* 27. *leo. à num.* 2. Rodr. §. 1. *d.* 1. Henrinq. *l.* 7. *cap.* 20. *a num.* 2. Suarez. *l.* 8. *de legibus cap.* 26. *num.* 5. Mend. *d.* 4. *num.* 6.

Deducitur quintò; Quod ſi alicui extra Regna Hiſpani Regis exiſtenti accipitur, & remittitur ab alio Bulla, iſte talis extra dicta Regna exiſtens non poterit Bullæ gaugere privilegiis, quia privilegium reſpicit & locum, & perſonam; & qua ratione locum reſpicit, requiritur ut qui eo gaudere voluerit, eo tempore, quo Bulla accipitur, ſit in eo ipſo loco, cui Bulla conceditur. Idem *l. c.*

Habetur ſextò: Quod ſi alieni accipitur Bulla exiſtenti extra loca, quæ Bulla gaudent, & intra annum, quo Bulla durat rediturus ſit ad loca ea, quibus Bulla gaudent, & intra annum, quo Bulla durat rediturus ſit ad loca ea, quibus Bulla conceditur, poterit gaudere Bullæ privilegiis quando redierit. Ratio eſt, quia ſi iſte cum perveniret, acciperet Bullam, non eſt dubitandum, quin ſtatim gauderet privilegiis Bullæ; ergo etiam gaudebit, quamvis antecedenter ad reditum ejus accepta fuerit ei Bulla, ejuſque nomine eleemoſyna largita. Et ſufficienter ſalvatur locale privilegium, quod poſtulat exiſtentiam accipientis Bullam in Provincia ubi valet eo tempore, quo Bulla accipitur, qui à iſte talis cenſetur accipere Bullam quando redit; quapropter videtur privilegio, qua parte locale eſt; ſatis-

ſatisfactum iri, cum aſſiſtentia Hiſpaniæ Regis, vel tempore accipiendæ Bullæ, vel intra annum promulgationis.

Habetur ſeptimò, Valere Bullam omnibus extraneis qui Hiſpaniam adveniunt, vel ad ea loca tendunt, in quibus Bulla valet, ad eorum marinos portus, vel ad commorandum ibi, vel negotia peragenda, vel ad peregrinandum, vel tantùm cauſa videndi illas terrarum plagas; quia Bulla conceditur non ſolùm his, qui in Hiſpaniæ Regnis, & inſulis, & ubique ditionis Hiſpani Regis commorantur, ſed etiam iis, qui ad oras adveniunt, ut conſtat ex textu Bullæ, *Conſiſtentibus, & ad illa declinantibus*. Idem *n.* 12.

Habetur octavò: Valere etiam ei, qui ex Gallia ad Hiſpaniam venerit accipiendæ Bullæ dumtaxat cauſa, & ſtatim redit ad Galliam; quia Bulla conceditur his, qui Hiſpaniam adveniunt, & non exprimitur cauſa, qua veniunt, vel iſta, vel illa ſit. Nec ille qui cauſa prædicta Hiſpaniam venerit, aliqua in Bullam utitur fraude, quia in adeunda Hiſpania utitur jure ſuo, quod non eſt ſibi prohibitum; ſed in Gallia non poterit gaudere privilegiis veſcendi ovis, & lacticiniis, & carnibus, ut animadverſum relinquitur in caſu quartò. *Idem num.* 23. contra Lud. la Cruc. & Trul.

DUBIUM III.

Quantùm temporis Bulla duret.

Reſp. In Hiſpania per annum integrum durare Bullam, ut in ipſa ſæpe repetitum legitur; qui annus incipit à die promulgationis Bullæ in quovis loco; hoc etiam repetitur in Bulla *à Cruce in exp. Bulla, d.* 1. Difficultas eſt: An annus debeat numerari naturalis à die in diem, vel Eccleſiaſticus ab una ad aliam promulgationem? Circa quam difficultatem, tres leguntur opiniones. Prima aſſerit: Annum debere numerari Eccleſiaſticum ab una ad aliam promulgationem. Secunda: Annum debere numerari naturalem à die in diem. Tertia denique; Annum debere numerari Eccleſiaſticum, ſi promulgatio ſequens Bullæ prorogatur ultra annum naturalem; ſed ſi promulgatio Bullæ ſequentis fiat antequam annus naturalis deſinat, tunc Bullam antecedentem durare quouſque annus naturalis tranſierit; quia aliter non eſſet in favorem accipientis Bullam anni Eccleſiaſtici duratio, ſi naturalis anni durationem minueret, Trul. *l.* 4. §. 3. *d.* 11. Henriq. *l.* 7. *c.* 20. *n.* 2. Mend. *d.* 21. *n.* 7. Joan. Sanct. *in ſelect. d.* 55. *n.* 3. cui acced. Antom. Gomez.

Hæc tertia opinio minus habet probabilitatis, quia in re cenſet, annum durationis Bullæ & naturalem eſſe, & Eccleſiaſticum; cum uterque ſimul eſſe nequeat. Aliæ duæ opiniones ſunt probabiliſſimæ, & ſecuræ in praxi.

Unde ſequentes reſolvuntur Caſus.

8. Quod ſi Bulla accipitur poſt ejus promulgationem magis, vel minus ſolemnem quamvis ſit ante ſermonem, poteſt accipiens gaudere privilegiis Bullæ, ſed ſi accipiatur ante promulgationem, non licet ejus gaudere privilegiis; quia Pontifex ait Annum debere numerari à die promulgationis: ideſt à promulgatione ipſa: itaque inutile eſt ad privilegiorum uſum, accipere Bullam aliquot diebus vel horis ante promulgationem, quia tunc adhuc non poteſt. Vill. *c.* 1. *c.* 25. *n.* 6. Trul. *l.* 1. §. 1. *d.* 10. *n.* 2. Mendo *d.* 2. *n.* 2.

2. Annum Bullæ non eſſe numerandum à die promulgationis Bullæ in Metropoli, Aula, vel urbe vicina, ſed à die quo in loco quolibet promulgatur, expreſſa namque eſt Pontificis intentio, ut in loco quolibet etſi minimò promulgetur, ut à promulgatione numerentur annus. *Ibid.*

3. Annum non numerari à die acceptæ Bullæ, ſed à die promulgationis, itaque qui ob negligentiam, vel impoſſibilitatem non accipit Bullam, niſi poſt multos dies promulgatam, non debet annum à die acceptionis numerare.

4. Non ſufficere intentionem, & animum accipiendi Bullam, ut quis ejus gaudeat privilegiis, ſed requiri actualem ejus acceptionem.

5. Non ſufficere, quod quis ſperet, alium pro ſe, & ſibi Bullam accepturum, ut ipſe privilegiis utatur Bullæ.

6. Eum qui certò ſcit, domi ſuæ, vel in patria ſua, à qua tunc obeſt parentes proprios, vel perſonam aliam accipere pro ſe ipſo abſente Bullam tali die, & tempore, poſſe gaudere Bullæ privilegiis, quia in negotio morali tantùm valet illa certitudo, quantùm propria per ſe ipſum Bullæ realis acceptio. Mendo *ibid.* Dian. *p.* 8. *t.* 11. *R.* 90. contra Rodrig. Vega, & Truil.

Septimus: Eum, qui tempore promulgatio-

gationis Bullæ invenitur in loco, ubi Bullam tam cito accipere non poteſt, hunc non poſſe præterita Bulla uti per totum tempus, quod ſine accepta nova conſumit Bulla, niſi forte antecedentis Bullæ annus non præterierit, quia tunc poterit privilegiis ejus gaudere uſque ad anni naturalis complementum, ſequuturus ſecundam, & tertiam opinionem; quia privilegium, quod pro determinato tempore conceditur, tranſacto tempore ceſſat.

Octavus: Quod in opinione, quæ annum Bullæ aſſignat Eccleſiaſticum non caret probabilitate, eum qui Bullam accipit Matriti, ubi ante promulgatur, & vadit Cæſaraugustam, ubi ſerius poſſet uti Cæſarauguſtæ privilegiis Bullæ acceptæ Matriti, quouſque Cæſarauguſtæ promulgetur ſequens Bulla, numerato anno Eccleſiaſtico, non à promulgatione ad promulgationem Matriti facta, ſed à promulgatione, quæ fit Matriti, uſque ad promulgationem, quæ Cæſarauguſtæ fiet, quia hæc debet præſumi Pontificis intentio ne is, qui Cæſarauguſtam Matrito venit, Matritum redire cogatur ad accipiendam Bullam, vel pro eo tempore careat ejus privilegiis, & gratiis. Sanch. *in ſelect. d.* 55. *à num.* 8. Trull. *l.* 1. §. 4. *dub.* 10. *num.* 5. Mendo *d.* 1. *num.* 25. ubi plur. affert.

Rogatur primò: An privilegium Bullæ Pontificis concedentis morte finiatur?

Reſpond: Affirmativam ſententiam non eſſe communem, neque veram. Probatur *ex cap. Si ſuper gratia, de officio, & poteſt. Judic. Deleg. in* 6. Unde ait Bonifacius Octavus, gratiam à Sede Apoſtolica factam, non expirare morte concedentis; ſed Bulla Cruciatæ eſt gratia à Sede Apoſt. facta; ergo non expirat morte concedentis.

Secundò quæritur: An Pontifex Bullam revocare poſſit?

Reſpond. Quod ſi annus jam inceperit, non poteſt Pontifex intra annum Bullam revocare, niſi juſta revocandi adſit cauſa, & recompenſatio fiat his, qui Bullam accepere, ſed ſi non habeat, unde recompenſat, & alias communi ſaluti expedit revocatio, abſque recompenſa poterit illam revocare. Ratio eſt: quia quando privilegium eſt per modum oneroſi, & lucrativi contractus, qualis invenitur in Bullæ conceſſione, debet inveniri cauſa revocationis ejus, ut fiat, & recompenſatio fieri, quando habetur, unde poſſit recompenſari, & hoc poſtulat naturale juſtitiæ jus, quo tenetur Princeps adimplere ea, quæ cum ſubditis pactus erat: Ab hac tamen obligatione eximitur, quando communis ſalus diſſolutionem expoſtulat pactorum, & aliàs recompenſa fit his, qui inſumpſerunt; ſed ſi non habeatur, unde recompenſatio fieri valeat, ut poteſt Princeps præ dominio excellentiæ, quo ſubditis præeſt, propriis ſubditos expoliare bonis, ut imminenti obviam fiat periculo communi; quando aliter vitari nequit; ita ſimiliter eodem jure, & eodem excellentiæ dominio, poterit revocare privilegia, de quibus habetur ſermo. Mend. *d.* 2. *num.* 32. 33. & 35. ubi alios citat.

Reſp. 2. Quod finito jam quolibet annorum ſex, per quorum ſpatium conceſſa eſt Bulla, poteſt Pontifex illam pro arbitrio ſuo revocare, quia in hoc caſu ceſſavere jam rationes illæ, quæ in præcedenti reſponſo referuntur; & Bulla eſt gratia quædam à voluntate Pontificis dependens; ſed ſi pro tali conceſſione ad ſexennium, acceperit à Rege Pontifex eleemoſynam aliquam ad opus pium, recompenſare tenebitur Pontifex, prout dictum eſt, quod etiam obſervandum eſt, ſi talis conceſſio Bullæ ad ſexennium eſt remunerativa alicujus ſpecialis obſequii Apoſtol. Sedi exhibiti, quod nondum remuneratum ſit: præſertim ſi remuneratio ex juſtitia debeatur; & ſi obſequium titulo gratitudinis fuit exhibitum, titulò etiam gratitudinis referri debet recompenſatio. Et eſſe conceſſionem remunerativam gratitudini ſufficit, ut privilegium, & conceſſio iſta dicatur irrevocabilis, quia non tam abjectè de Principis generoſitate ſentiendum eſt, ut obſequia in ſe collàta ſine remuneratione contemni patiatur. Mendo *num.* 42.

Hic advertendum eſt: Quod ſi revocatio fieret Bullæ in Provinciis, & Diœceſibus cunctis talis revocatio nota fieri deberet, nam quidquid ſit de promulgatione aliarum legum ad obligandum ſufficiente: irritatoriæ & revocatoriæ leges debent ita promulgari, ut omnibus pateat talis earum promulgatio, aliter enim ignarorum conſcientiæ maximo periculo jacerent expoſitæ. Unde reſolvitur, Sot. Sylv. Lud. à Cr. Trull. *l.* 1. §. 1. *d.* 13. *num.* 4.

1. Quod ſi revocata jam Bulla, aliquis revocationis ignarus, à caſibus reſervatis, virtute Bullæ abſolveretur, valida foret talis abſolutio; quia ita præſumendum eſt de mente Pontificis ad effugiendam plura

ani-

animarum pericula. Hen. *l.* 7. *de indulg. c.* 20. qui citat Cajet. Sot. Med. & Sylveſt. Mend. *d.* 2. *num.* 12. & 37.

2. Quod ſi quis de caſibus reſervatis cœpiſſet confiteri, & cauſa aliqua occurrente, confeſſionem ſuſpendiſſet; & interim Bulla revocaretur, quamvis ei de revocatione conſtaret, poteſt & confeſſionem perficere, & abſolvi; quia in cauſa inchoata non expirat juriſdictio, quoadusque perficiatur.

Quæritur tertiò; An revocetur Bulla Cruciata per anni Sancti, aut aliud ſimile Jubilæum, aut per Bullam in Cœna Domini.

Reſp. 1. Per Jubilæa non revocari Bullam; quia ita declaravit Gregorius XIII. anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, ut Alphonſus Perez teſtatur, & Trull. Clemens etiam VIII. anno milleſimo ſexcenteſimo, ut notat Diana. Octavus etiam Urbanus anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto: ut idem affirmat Diana. Et videmus Commiſſarium Bullæ jubentem ipſam promulgari in ipſo anno Sancto, ſicut in reliquis annis. Probatur etiam ratione ſupra diſcuſſa, quia privilegium Bullæ conceſſum eſt per modum oneroſi contractus. Mendo *n.* 48. ubi plurimos citat.

Reſp. 2. Neque etiam per Bullam in Cœna Domini revocari Cruciatæ Bullam; quia Sixtus V. anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo, revocans in Bulla in Cœna Domini cuncta privilegia ad abſolvendos caſus illos, qui in illa reſervantur, addit: niſi caſus in Bulla in Cœna Domini reſervati, in illis præſentibus litteris exprimantur: atqui caſus iſti exprimuntur in Bulla Cruciatæ, extenſa facultate, quæ in illa tribuitur ad abſolvendum ex illis caſibus, ut conſtat ex textu: *Quamvis ſint ex contentis in Bulla in Cœna Domini, & abſolutio ab eis reſervata ſit Sanctitati Pontificis, excepto hæreſis crimine.* Ergo per Bullam in Cœna Domini non revocantur privilegia in Bulla Cruciatæ conceſſa.

DUBIUM IV.

Quænam perſonæ privilegiis Bullæ gaudere poſſint?

ARTICULUS I.

An qui Bullam accipit, in gratia eſſe debeat, ut privilegiis Bullæ potiri valeat.

Reſp. Non eſſe neceſſarium, ut quis abſolutè Bullæ privilegiis gaudere poſſint (non loquor nunc de indulgentiis, quas poteſt quis & ſibi, & defunctis lucrari, quia de his infra ſermo erit) quod ſit in gratia, ſed poſſe gaudere illis, quamvis lethalis peccati cœno deturpetur, modo ne iſta peccata ſint ex aliquorum ſpecie, quæ excipit ipſa Bulla, quibus peccatis quis irretitus non poteſt gaudere cunctis, vel aliquibus Bullæ privilegiis. Ratio; eſt Quia Bulla non excludit à gaudio privilegiorum abſolutè lethalis peccati reos, excipit vero eos, qui in quadam peccatorum mortalium ſpecie jacent; ergo non illos, qui in alia ſpecie, ſed iſtos: qui in aſſignata peccaverint, à gaudio privilegiorum expedit à quia exceptio, ut repetitum eſt, firmat regulam in contrarium. Unde reſolvitur, Nav. *de indulg. notab. n.* 19. Henr. *lib.* 7. *de indulg. c.* 9. *n.* 6. Scot. *in* 4. *diſt.* 2. *q.* 2. *art.* 3. Trul. *l.* 1. §. *dub.* 8. Mend. *diſp.* 4. *n.* 1. & alii, Mend. *diſp.* 4. *n.* 3. Rodr. *& comm. omnes.*

1. Non poſſe gaudere privilegio Bullæ aliquo eos, qui contra expeditionem ejus graviter peccant, impedientes per malitiam promulgationem, vel uſum Bullæ, quia ita expreſsè legitur in Bulla Latina.

2. Indulgentiam plenariam, quæ conceditur ad articulum mortis eis, qui ſubita morte rapiuntur, vel ſine copia confeſſarii, modo contriti moriantur, non lucrandam fore ab iis, qui indulgentiæ iſti plenariæ fidentes, & in confitendo ſtatuto ab Eccleſia tempore negligentes fuerunt, quia Bulla diſponit ita.

3. Eos, qui Compoſitionis Bullæ confiſi, aliena bona uſurpant, vel canonicas recitare negligunt horas, non poſſe dicta Compoſitionis Bulla ad reſtituendum gaudere.

4. Hos, qui Bullæ fidentes peccarint, poſſe reliquis Bullæ privilegiis gaudere, præter quam indulgentia ad articulum mortis conceſſa, de qua ſupra, & indulgentia Compoſitionis bonorum, quæ debent reſtitui; quia exceptio firmat regulam in contrarium, & cum gaudium ſolum iſtorum privilegiorum excipiatur, reliquorum privilegiorum gaudium indulgetur. Cov. in regular. peccat. 2. §. 2.

5. Meretrices poſſe gaudere Bulla; quia excluſis perſonis aliis; iſtæ non excluduntur. Neque obſtat, quod contrariam ſequentes opinionem objiciunt: nempe eleemoſynam, quæ pro Bulla tribuitur, debere fieri *ex bonis ſibi à Deo collatis*, ut in ipſa Bulla legitur, & bona, quæ meretrices in

elee-

eleemoſynam tribuere poſſunt, à dæmone, ut per peccatum acquiſita proveniunt. Non obſtat inquam, quia ex aliis bonis præterquam ex uſu venereo acquiſitis eleemoſynam tribuere poſſit, unde ratio ceſſabit ſcrupuli. Ultra: Quia verba illa, *Ex bonis ſibi à Deo collatis*, ſignificant eleemoſynam fieri debere, ex propriis accipientis bonis, non ex alienis injuſtè poſſeſſis; & quamvis meretrix in modo lucrandi peccet, poſſidet tamen juſtè quæ lucratur.

Hinc infertur ſextò: Non poſſe gaudere Bulla eum, qui ex bonis malè per furtum, uſuram, vel alio quovis modo ad reſtitutionem cogente habitis, eleemoſynam pro accepta largitur Bulla. Ratio eſt; quia bona illa non tributa ſunt à Deo illi, qui ex bonis per injuſtitiam habitis eleemoſynam pro Bulla tribuit: ſed ſi ex miſta ex injuſtè, & juſtè habita pecunia fiat eleemoſyna, poterit accepta gaudere Bulla, quia tunc cenſetur eleemoſynam ex propria pecunia dare; ſiquidem ejus intentio eſt, accipere Bullam eo modo, quo ſibi proſit; & non eſt putandum, invalidè egiſſe illum, qui validè agere potuit. Lo. *in l.* 54. *t.* 14. *p.* 5. Cov. *l.* 1. *comment. cap.* 11. *à n.* 2. Mend. *num.* 5. Nugnus *in* 2. *part. t.* 2. *tract.* de Bulla. Acoſta in Bulla Cœn. *quæſt.* 12. Vega *tom.* 2. *ſum. cap.* 34. *caſ.* 7. Dian. *tractat.* 11. *reſol.* 102. Mendo *n.* 6.

ARTICULUS II.

Utrum Catechumeni, Pueri, Fatui, Excommunicati, & Heretici gaudere poſſint Bulla?

Reſp. 1. Catechumenos non poſſe. Ratio, quia quidquid in Bulla continetur, vel eſt actus juriſdictionis, ut puta delegandi facultatem ad vota commutanda, & alia ſimilia exercenda, vel actus proprius clavium, ut aperire Eccleſiæ theſauros elargiendo Indulgentias, diſpenſationes, qui actus ſunt proprii clavium, & non oratio mera; quorum actuum nullum valet Pontifex erga catechumenos exercere, quia extra Eccleſiam non cenſentur, ſiquidem adhuc per ſpecioſam baptiſmi portam non intrarunt; ergo iſtis Bulla minimè prodeſſe poterit. Mend. *n.* 7.

Reſp. 2. Pueros, & Fatuos poſſe gaudere aliquibus Bullæ privilegiis, quorum capaces inveniuntur, ut puta, quod tales ſepeliri poſſint modica pompa tempore interdicti virtute Bullæ in loco ſacro, & quod in eodem tempore poſſit adhiberi Extremæ Sacramentum Unctionis fatuo, vel furioſo moribundo, & ſi quæ ſunt alia. Probatur, quia non eſt ratio, qua talium iſti privilegiorum cenſeantur incapaces, neque Bulla diſtinguit inter ætates, quapropter interpretativè judicantur & puer, & fatuus petere, quod ſibi utile fuerit, & proficuum; & fatuo, quia piè vixit dum mentis extitit compos, neque Euchariſtia negatur, nec unctio Extrema; itaque poterit illi adhuc interdicti tempore miniſtrari, & tempore quovis Indulgentia Bullæ applicari plenaria, poteritque ab excommunicatione abſolvi. Mendo, *num.* 12.

Reſp. 3. Excommunicatum poſſe gaudere Bullæ privilegiis, exceptis Indulgentiis; quia quamvis iſte nequeat gaudere, nec uti privilegiis aliunde habitis, & obtentis, privilegia tamen Bullæ non obtinentur ab excommunicato, ſed à Rege obtinente Bullam.

Dixi: *Exceptis Indulgentiis*. Quia neceſſarius eſt ſtatus gratiæ ad lucrandas Indulgentias, & ſi excommunicatus eſt pertinax, non eſt in ſtatu gratiæ; ſed ſi non fuerit pertinax, & eſt in gratia, & aliunde non provenit ab ipſo, quod ipſe non abſolvatur ab excommunicatione, ſi aliàs media ad Indulgentias obtinendas adhibeat, credendum eſt piè, Eccleſiam Matrem amantiſſimam nolle eum à bonorum tantorum participatione excludere. Mend. *n.* 13. cum Vill. Nav. Rodr. Trull. & aliis, quos citat.

Reſp. 4. Poſſe etiam hæreticos gaudere Bullæ privilegiis, eo modo etiam, quo excommunicatis concedimus, quia eadem erga iſtos invenitur ratio. Quod non ſolùm de hæretico interno intelligendum eſt, ut ait Ludov. de la Crux, ſed etiam de externo, ut ait Trull. ſed dum in hæreſi perſiſtit externa, & non obtinet ab Inquiſitoribus abſolutionem, nequibit eligere confeſſarium virtute Bullæ, quia non poteſt abſolvi à peccatis, dum excommunicationis vinculis per hæreſim detinetur irretitus, & non tribuitur illi facultas in Bulla, ut ab excommunicatione abſolvatur. Mendo *num.* 14.

ARTICULUS III.

An Religioſi Bulla gaudere poſſint?

Reſp. Quod excepto privilegio eligen-

di

di confeſſarium ad reſervatos caſus (de quo infra) poſſunt Religioſi gaudere reliquis privilegiis, quæ illis in Bulla non denegantur. Hoc probatur ratione illa ſæpius repetita: Quia exceptio firmat regulam in contrarium, in Bulla prohibetur religioſis ovorum, & lacticiniorum eſus, per quadrageſimam, niſi ſexagenarii ſint aut Militares, ergo reliquis privilegiis non privantur.

Quæritur, An poſſit Religioſus Bullam accipere abſque licentia ſui Prælati?

Reſp. Probabiliſſimum eſſe, quod poſſit. Ita communiter Expoſitores Bullæ: & etiam eſſe valdè probabile, quod non poſſit, ut probat Mendo *nu.* 18. Et quòd poſſit eſſe juſta cauſa, qua ſuperior licentiam abnuat, & tunc accipiens Bullam deerit paupertatis voto, vel obedientiæ ad minus.

Unde reſolvitur.

1. Quod ſi certò conſtaret, Prælatum injuſtè negare licentiam Religioſo accipiendi Bullam, poſſet tunc Religioſus Bullam accipere, quia tunc prudenter exiſtimatur, Pontificem eripere Religioſum à ſubjectione Prælati erga acceptionem Bullæ, cum non adſit juſta cauſa cur tantùm bonum amittat. Dixi: *Si certò conſtaret*, quia in dubio, Prælato adſtandum eſt.

2. Quod ſi Religioſus accepit Bullam, vel obtenta licentia, vel injuſtè negata, non poteſt Prælatus coarctare Religioſo privilegiorum uſum, niſi Pontifex ipſe coarctaverit, vel coarctandi facultatem tribuerit Prælato; quia inferior non valet conceſſionem ſuperioris reſtringere.

3. Novitios, adhuc renuente Prælato, poſſe Bullam accipere, ejuſque privilegiis abſque limitatione uti; quia iſti Religioſorum nomine quoad favores, non quoad odia comprehenduntur. Henr. *l.* 7. de Indulg. *c.* 22. *n.* 7. Rodr. in Bulla §. 6. *n.* 9. & §. 12. *n.* 6. Trul. *l.* 1. §. 1. *d.* 7. *nu.* 1. Suar. *t.* 4. de Relig. *t.* 9. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 10. Mendo, *n.* 22. & alii.

ARTICULUS IV.

An vivorum Bulla poſſit defuncto aſſumi in ordine ad aliquem uſum?

Approbatur caſus: Moritur quis, qui Bullam non acceperat vivorum. Circa defunctum iſtum quæritur: An pro eo poſſit accipi vivorum Bulla, ut vel abſolvatur ab excommunicatione, ſi in qua erat, & ſepeliatur in loco ſacro? Vel ut moderata pompa utatur in funere, tempore interdicti; Henr. *l.* 7. de Indulg. *c.* 20. *n.* 7. in gloſſ. lit. Y, Z piè ſentit affirmativè; neque improbabile reputat Trull. Mendo verò *n.* 34. abſolutè negat. Rationem reddit; quia Bulla iſta vivorum dirigitur ad vivos, & pro vivis eſt conceſſa, ut ex illis verbis conſtat; *Y por quanto vos N. diſtris dos reales de plata*, & eam debet accipere quiſque ſibi, vel acceptare acceptam ſibi ab alio, ut ea poſſit gaudere, quorum nullum accipere ſcilicet, vel acceptare poteſt defunctus, cum ejus neque formalis, neque virtualis, neque intergretativa voluntas poſſit haberi, quia illo expirante, expirat voluntas omnis defuncti erga vivos.

Reſp. Quod ſi defunctus ante mortem non diſpoſuerat, ut ſibi ad hos effectus acciperetur Bulla, veram Patris Mendo ſententiam puto, quia ratio ejus eſt efficax; ſed ſi ante mortem commiſit alicui, ut Bullam ſibi, & ſuo nomine ſumeret, valet illi Bulla, quia voluntas ejus permanet virtualiter ad hunc effectum, quemadmodum & alias rei familiaris, & domus ſuæ diſpoſitiones, quas poſt obitum ſuum reliquit habendas. Et ita in hoc caſu ſecundò deficit efficacia rationis Patris Mendo.

DUBIUM V.

Quid debeat facere quis, ut bullæ privilegiis gaudere poſſit.

Reſp. Quod vel debet ire propriis expenſis in exercitu ab Hiſpano Rege contra Turcas, aut infideles miſſo, vel aliud obſequii ad id ipſum præſtare genus, vel adjuvare perſonaliter in dicto exercitu, per annum totum in ipſo permanendo, & qui perſonaliter non adfuerit exercitui, ſatisfaciet alium pro ſe mittens, & qui nec iverit per ſe, vel alium miſerit, taxatam à Commiſſario Bullæ eleemoſynam pro Bulla dare tenetur.

Unde reſolvitur.

1. Non gaudere Bulla, qui contra Turcas, aut infideles in alterius Principis exercitu, præterquam Hiſpani Regis pugnat.

2. Neque etiam quemcumque in exercitu Hiſpani militantem Regis, niſi contra Turcas pugnet, aut infideles, gaudere Bul-

Bulla: infidelium nomine comprehenduntur Hæretici, Pagani, & Schiſmatici.

3. Eum qui gratuito, & ſponte aſſiſtit exercitui, aut Militiæ Senatui, vel confitendi, concionandi, aut celebrandi muneri, aut alterius cujuſvis obſequii generi, etiam gaudere Bulla.

4. Militem, qui ſtipendii parte aliqua accepta reſtantem Regi remmittit, quæ etiam ſibi ex juſtitia debebatur, etiam frui Bullæ privilegiis, quia ſubvenit Regi ad bellum ea ſtipendii parte cui parcit, quæ æſtimabilior eſt quam duæ illæ drachmæ, quas pro eleemoſyna tribuunt hi, qui Regis caſtra non ſequuntur.

5. Gaudere etiam bulla morientes in eundo ad bellum, vel antequam finiatur annus, vel relinquit caſtra antequam bellum definat, ob cauſam prudentum judicio legitimam, ut puta urgentem morbum ſtrictam familiæ, & propriæ domus neceſſitatem.

6. Similiter gaudere Bulla eos, qui bello adſtiterunt, quod ante tranſactum annum fuit peractum; neque reliquam anni partem tenentur alias adire terrarum, ubi Regis exercitus contra infideles exſtringunt arma.

Quæritur primo: Quantum militum numerum expenſis propriis mittere teneatur; qui non ſequitur, ut Bulla privilegiis potiri poſſit?

Reſpond. 1. Quòd ſi iſte talis eſt Cardinalis, Primas, Patriarcha, Epiſcopus, filius Regis, Dux, Marchio, aut Comes, qui commodè poterit, uſque ad denarium expletum numerum mittere tenetur. Quod ſi tot non potuerit, ad minus quatuor mittat.

Reſp. 2. Alias quaſcumque perſonas, cujuſcumque conditionis exiſtant, Clericos, aut laicos, ſingulos militem unum mittere teneri, niſi eos egeſtas ab obligatione eximat; quo caſu bini, terni, vel quaterni mittent militem unum, contributa ab unoquoque mittentium pro facultate pecunia.

Reſp. 3. Capitula Eccleſiarum, Monaſteria Religioſorum utriuſque ſexus teneri pro denis Capituli, vel Monaſterii perſonis unum mittere militem, cum hoc antea in Capitulo deciſum fuerit.

Quæritur ſecundo: Quantam per Commiſſarii taxationem eleemoſynam erogare debeant, qui militem ad bellum non mittunt?

Reſp. 1. Cardinales, Primates, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, qui habent juriſdictionem Epiſcopalem, Inquiſitores, & Dignitates Eccleſiarum Cathedralium, Duces, Marchioneſ, Comites, Commendatarios Maximos, Proreges, Duces, Generales, Ambaſciatores Præſidentes, reliquos Conſiliarios, Prætores curiæ dictos *Alcades de Caſa, y Corte de ſu Mageſtad*, Auditores Cancellariarum & regiorum fororum, & Prætores, ideſt, *Alcades de crimen*, Fiſcales Senatuum, & Regiarum Audientiarum, Numeratores Regiæ Majeſtatis eos, qui in maximis numerorum curiis Rei familiaris, & numerantis rationis in Sanctæ Cruciatæ Senatu verſantur, Auditores, & Fiſcales ejus, & Secretarios Regiæ Majeſtatis, & Commendatarios commendatos omnium, Dominos vaſſallorum, uxores virorum iſtorum ſæcularium, quos nominavimus, viventibus viris ſuis, ſinguli, & ſingulæ argenteos octo Caſtellanos pro Bulla ſibi accepta erogare teneri.

Reſp. 2. Reliquas perſonas, cujuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtant, duobus tantùm argenteis ſatisfacere.

Reſ. 3. Ad Indias eleemoſynam aliam eſſe taxatam quam v. in Trull. *l.* 1. §. 3. *d.* 1. *n.* 2.

DUBIUM VI.

Reſolvuntur difficultates aliquæ circa dicta in dubio proximo.

Quæritur primo: Utrum ultra titulos, qui nominantur eorum, qui milites decem mittere tenentur, ut Bullæ gaudeant gratiis, alii etiam tituli teneantur, quorum ibi mentio non ſit facta? Reſpondetur: etiam comprehendi Proceres alios ejuſdem aut majoris tituli ſecundum communem æſtimationem, ſed non comprehenduntur hi qui ſunt minoris tituli, ut Vicecomites, & alii ſimiles, quia quamvis illi ſint ditiores aliis, attendit Pontifex vel ad id, quod frequentius accidit, nempe ſuperius nominatos, magis affluere, vel ad titulorum præeminentiam, qua cæteros excedunt, & ob ipſam onus illis imponit gravius. Mend. *d.* 7. *n.* 5.

Quæritur ſecundo: An qui perſonaliter adeunt

adeunt bellum, vel militem pro ſe mittunt, quod alio titulo facere tenebantur, ut puta, lege, præcepto Regis equites habitu inſigniti, & proceres gaudeant Bulla. Reſpondetur affirmativè, quia uno, & eodem actu poteſt duplici obligationi fieri ſatis, v. g. uno, & eodem jejunio & præceptum adimpleri Eccleſiaſticum, & pœnitentia à Confeſſario impoſita.

Tertiò quæritur: An hi qui poſſunt, & tenentur mittere decem milites, mittentes quatuor, vel hi, qui non poſſunt mittere quatuor, qui eſt minimus militum numerus, miſſis duobus, vel tribus gaudeant Bulla? Mend. *num. 9.* negativè reſpondet; quia non adhibent requiſitum, & petitam conditionem, nempe mittere decem ſi poſſunt, vel minus quatuor, ſi facultas major non habetur, ſed conſequenter magis ad ſuam doctrinam poſſet affirmativam ferre ſententiam. Quia *n. 4. d. 5.* aſſerit: militem à quo petitur pro requiſito ad gaudium Bullæ adire gratioſè, & ſine ſtipendio bellum, poſſe frui Bulla, quamvis accipiat aliquid de ſtipendio, quod pro mercede ſolvitur, modo remittat aliquam partem debitæ mercedis; & rationem reddit Mendo: quia in eo, quod remittit, majus tribuit ſubſidium ad bellum, quam ſi duos porrigeret argenteos, qui vulgò pro Bulla dantur potiunda. Ergo etiam ille, qui potens mittere decem milites, minorem mittit numerum, vel, qui non potens mittere quatuor, mittit duos, aut tres, gaudebit Bulla, quia in militibus illis miſſis, majus adfert ſubſidium, quam ſi octo tribueret argenteos, quæ eſt taxa ra nobilibus eleemoſyna à Commiſſario, quamvis poſſint mittere illos decem, & illos quatuor milites; Et hanc ſententiam puto probabilem.

Quartò quæritur: An ii qui unum militem mittere tenentur, & cum poſſint, non mittunt, ſed ſimul cum aliis perſonis contribuunt, ut mittatur unus, & alatus per integrum belli durantis annum, gaudeant Bulla? Mendo reſpondet negative: ſed conſequenter ad dicta reſpondeo: quod ſi id quod contribuunt, eſt ſubſidium majus quam duo illi argentei, qui pro Bulla tribuuntur, probabile eſt, poſſe gaudere Bulla.

Quæritur quintò, quidnam intelligatur per Capitula, & Monaſteria, quando eis imponitur, ut pro denis quibuſque perſonis militem unum mittant?

Reſp. 1. Quod quamvis per Capitula intelligantur vulgò Capitula Eccleſiæ Cathedralis, aut Collegiatæ, eſt tamen probabile, ampliari, & extendi etiam ad Capitula Parochiarum, ubi eſt Rector, aut Prior & Beneficiati, qui capitula celebrant, & in iis diſcutiunt, ventilant, & decidunt ea, quæ Eccleſiis ſuis congruere videntur itaque indultum hoc poteſt etiam extendi, & ampliari ad has Eccleſias, quia & iis, & Regi propitium. Mend. *n.* 8.

Reſp. 2. Per monaſteria intelligi quaſcumque religioſorum utriuſque ſexus communitates, quamvis alio nomine appellentur, v. g. Collegia, Domus, &c. Non verò intelliguntur aliæ Communitates, v. g. Collegia ſæcularium, Confraternitates, &c. idem *n. 7.*

Sextò quæritur: An miles miſſus ab iſtis Communitatibus pro donis quibuſque unus, debeat neceſſario de Capitulo mitti conſulto. Reſp. Neceſſarium eſſe in Communitatibus illis, in quibus non poteſt diſponi de bonis Communitatis ſine Capituli deliberatione, ſed minimè neceſſarium in iis, in quibus diſponi poteſt de iis bonis ad pia opera, & ſine deliberatione tali.

Quæritur ſeptimò: An in prædictis Communitatibus, quando excedunt ipſi in Communitate commorantes numerum decem perſonarum, ſed ad viginti non perveniunt, duos tunc milites mittere teneantur?

Reſp. negativè: tantùm enim obligantur tunc ad mittendum ultra militem, ratam illam partem, quæ excedentem denarium numerum attingit.

Octavò quæritur: An milites, qui aliorum ſumptibus ad bella mittuntur, Bullæ etiam gaudeant Indulgentiæ?

Reſp. affirmativè, ſi pauperes ſint, nam ita expreſſum in Bulla legitur. Et adhuc ſi durante belli anno ditefcant, vel ex ereptis ex hoſte ſpoliis, vel ex præmiis, quæ ex rebus geſtis meriti fuerunt, minime expenſis ſe propriis alere tenentur, ut indulgentiam lucrentur Bullæ; quia illa fortunæ pulchrior facies per accidens arriſit illis, & ſufficit pauperes fuiſſe, quando ad bellum miſſi fuere.

Quæritur 9. An ſi miles ab aliquo miſſus, vel non intrat, vel relinquit bellum culpabiliter ante expletum annum, tunc is, qui miſit illum gaudeat Bulla? Reſp. affirmativè, ſi iſte jam feciſſet expenſas de-

debitas, & ſumptus, quia quantum in ſe fuit, poſtulata implevit.

DUBIUM VII.

De aliis difficultatibus, tam de Clericis quàm Religioſis, qui adeunt bellum, ut milites in ſpiritualibus adjuvent.

Non tantùm conceduntur Bullæ privilegia ſæcularibus, qui expenſis propriis per unum annum pugnaverint, vel alio quocumque obſequii genere Regis exercitum adjuverint, ſed etiam Clericis ſæcularibus qui de licentia Ordinariorum ſuorum, & Regularibus, qui de licentia Superiorum ſuorum verbum Dei in exercitu prædicaverint, vel alia Eccleſiaſtica miniſteria, & pia exercuerint; quibus aliqua ſpecialia conceduntur privilegia, de quibus aliquæ difficultates reſolvuntur.

ARTICULUS I.

Quidnam hic nomine Clericorum, & Regularium intelligatur? Et quamnam licentiam habere debeant, ut exercitum adeant? Et quæ miniſteria ibi exercere tenentur?

Reſp. 1. Clericorum nomine intelligi, eos, qui habent aliquem Ordinem à prima Tonſura (ſi hæc poteſt vocari Ordo) uſque ad ultimum, & in hoc ſenſu loquuntur frequenter & Jura, & Concilia, & in eodem ſenſu poteſt accipi in Bulla Clericorum nomen, quia favores ſunt ampliandi: Iraque poteſt gaudere Bulla quicumque aliquo Ordine fuerit initiatus, ſerviens per annum integrum exercitui in piis miniſteriis, niſi fortè iſte prima initiatus Tonſura privilegia amiſerit Clericalia, vel quia mutavit habitum, vel alio caſu quocumque, quia iſte jam non reputabitur Clericus.

Reſp. 2. Regularium nomine, quod caſum, de quo agimus, intelligi etiam laicos vel converſos, eadem ratione, ideſt, quia favores ſunt ampliandi; & quamvis videatur, miniſteria confeſſionis audiendæ, atque concionis habendæ, &c. iſtis non incumbere, poſſunt tamen alia miniſteria pia & miſericordiæ opera exercere: quod videtur annuere Bulla, atque iſtos ipſos comprehendere cum ait: *Miſterios Eccleſiaſticos, y pios*, diſtinguens Bulla alia miniſteria pia ultra Eccleſiaſtica miniſteria concionandi, & audiendi confeſſiones, &c.

Reſp. 3. Licentiam Ordinarii, ut Clericus ſæcularis exercitum adeat; non eſſe neceſſarium eſſe expreſſam, ſed ſufficere, quod ſit per ratihabitionem, ſcilicet quod videat illum proficiſci, & conſentiat; quamvis licentia ad audiendas confeſſiones, & alia ſimilia miniſteria, expreſſa debeat eſſe; quia ita Pontificis intentioni ſit ſatis. Mend. *d.* 9. *n.* 8.

Reſp. 4. Religioſos indigere expreſſa Prælati licentia, quia ita exigit & optima gubernatio, & humilis ſubjectio, quam Religioſi profitentur.

Reſp. 5. Nec etiam Clerico ſæculari licentiam ſufficere interpretativam, nempe putare, ſibi ab Ordinario non denegandam ſi peteret: quia cum hæc licentia ſit velut approbatio perſonæ, ut illi miniſteria pia, & eorum exercitia in exercitu committantur, nemo poteſt à ſeipſo eligi judex ſui ipſius, ut ſe approbet ipſum.

Reſp. 6. Clerico tam ſæculari, quàm Regulari ſufficere licentiam implicitam, & virtualem, quando hæc includitur in alia ſententia expreſſa; ut puta ſi habet licentiam à Prælato unuſquiſque proprio diſcurrendi, & prædicandi per univerſi Regni partes, cum exercitus adſit intra Regnum, cenſetur etiam ad exercitum habere licentiam.

Reſp. 7. Quod quantùm ad miniſteria, debeat unuſquiſque ea exercere, quæ ſui ordinis propria extiterint, quæ ſi oblata occaſione non exercet, ſed in exercitu otioſus aſſiſtit, Bullæ privilegiis non gaudebit. Qui autem nullo Ordine inſigniuntur, ut Religioſi laici, exercentes quodlibet Miſericordiæ opus, vel corporale ſit, vel ſpirituale; privilegia Bullæ lucrabuntur, quia miniſteria pia jam exercent.

Reſp. 8. Sacerdotem, qui cum licentia Ordinarii vadit ad territorium alienum, ubi tunc exercitus invenitur, non poſſe, attento jure communi, ſine approbatione Ordinarii illius territorii, vel Ordinarii exercitus, ſi habetur, audire confeſſiones aliorum, niſi eorum tantùm, qui ex Diœceſi ſunt propria; ſecundùm opinionem illam, quæ docet: Approbationem confeſſarii debere eſſe factam ab Ordinario pœnitentis. Et cum juriſdictio fori pœnitentiæ non ſit contentioſa, poteſt hæc exerceri in territorio alieno, quamvis non inter alienas perſonas.

Reſp.

Reſpond. 9. Parocho non ſufficere licentiam Ordinarii, ut exercitum adeat, ſed egere ipſius Pontificis licentia, quod idem ſentiendum eſt de Epiſcopis, & omnibus illis, quibus cura incumbit animarum.

ARTICULUS II.

Quænam particularia privilegia conce-dantur Clericis, & Regularibus ad exercitum euntibus.

Reſp. 1. Cum Clericis, & Regularibus habentibus beneficium diſpenſari in reſidentia illius facultatemque concedi, ut per idoneos ſubſtitutos beneficio inſerviant, dum illi exercitui adſunt. Circa quod reſolvitur.

1. Privilegium hoc non intelligi erga eos, qui curam habent animarum, niſi à Pontifice licentiam obtinuerint exercitum adeundi.

2. Eos, qui habent Regulare beneficium curæ animarum, poſſe adire exercitum cum licentia ſui Prælati, quia ob eamdem occaſionem dandum erat beneficium alteri, non ut Vicario euntis ad exercitum, ſed ut haberet illud eodem titulo, quo ille, qui ad exercitum vadit, habebat beneficium. Et quamvis iſta Regularia beneficia inſpecta ſecundum ſe, & ſuam inſtitutionem, ſint perpetua jura percipiendorum fructuum, oportuit tamen, tam ad Religioſæ diſciplinæ obſervantiam, quam ad omnimodam ſubditorum obedientiam, ut in arbitrio ſit Superiorum, beneficiorum talium adminiſtratores mutare. Itaque perpetuum illud jus percipiendorum fructuum eſt jus Religionis; aut Monaſterii, & Religioſi illi, quibus beneficium incumbit, vocari debent Adminiſtratores, aut Vicarii Religionis, aut Monaſterii: Niſi aliquis eorum poſſidere poſſit perpetuo beneficium per Pontificis conceſſionem.

3. Non poſſe gaudere prædicto privilegio Prælatos Eccleſiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, quamvis animarum curam non habeant. Ratio, Quia reſidere tenentur, & Eccleſiæ iſtæ non admittunt ſubſtitutos alios præter Coadjutorem Pontificis indulto. Neque etiam ex vi hujus privilegii tenentur conſentire in ſubſtituendis Vicariis idoneis, quia detraherent auctoritati, & exemptionibus propriis; itaque non debet intelligi, privilegium iſtud conceſſum fuiſſe in præjudicium iſtarum Eccleſiarum, ſed de Capituli conſenſu poſſunt tales Prælati exercitum adire, ſi rationes inventæ fuerint urgentes, ut eant; quia Capitulum poteſt licentiam præbere ad abſentiam, quando cauſa adeſt legitima, quæ præponderat reſidentiæ.

4. Reliquos, qui ad exercitum euntes relinquunt Vicarios idoneos, qui beneficio inſerviant, percipere beneficii fructus adhuc cum in exercitu manent: detracta tamen inde parte ad Vicariorum ſuſtentationem congruente. Vocatur idonei Vicarii iſti, cum habent virtutis, & ſcientiæ ſufficientiam, ut beneficiorum obligationibus ſatisfaciant. Hos poteſt ipſe aſſignare, pro quo ſubſtituuntur.

Reſpond. 2. De omnibus tam Clericis, quam Regularibus ad exercitum euntibus declarat, licitum eſſe ſibi aſſiſtere in exercitu miniſteriis ſuis, quin aliquam ob id irregularitatem incurrant: circa quod reſolvitur.

1. Non licere illis per hoc privilegium pugnare, quia irregularitatem incurrunt.

2. Poſſe exercere miniſteria pia, inter quæ numerari poteſt exhortari milites, ut vincant, & fidei hoſtes jugulent; ſed quia in hac exhortatione poterant ſcrupuloſi viri irregularitatem timere, vel in aſſiſtendo hoſtium jugulationi, quamvis operibus piis detenti, Generalis Cruciatæ Commiſſarius declarat, in nullo iſtorum illos irregularitatem incurrere.

Quæritur, Quomodo declaret iſtud Commiſſarius.

Reſp. Duplici via declarare, vel proponendo ut ſecuram in praxi opinionem docentem, non incurri irregularitatem in exhortando milites in bello juſto, ut ſtrenuè pugnent, præcipuè contra fidei hoſtes; vel interpretando, quod poſſit ob exhortationem irregularitatem incurri, diſpenſet Pontifex in jure talem irregularitatem inducente, ne Clerici, & Religioſi incurrant ob tales exhortationes ad milites factas. Certum quoque eſt, Commiſſarium habere facultatem interpretandi quidquid in Bulla non clarum extiterit, modò interpretatio, & declaratio expreſſis ejuſdem Bullæ verbis non opponatur:

DUBIUM VIII.

De aliis duobus privilegiis, quæ militibus conceduntur.

Duo privilegia conceduntur militibus, qui huic bello adfuerint, vel declaratur, duo licere illis. Primum, non jejunare tenentur. Secundùm, occupari diebus feſtivis in laboribus; & negotiis ad belli uſum neceſſariis. Circa quod reſolvitur.

1. Privilegium non jejunandi liberare milites à jejunio, vel ex voto, adhuc in illis diebus, quibus non excuſantur aliqua cauſa legitima ſufficiente excuſare quemlibet alium.

2. Quod quamvis in diebus, quibus præcipitur jejunium, ab eo excuſentur, non ideò carnibus veſci poſſunt. Ratio; Quia præceptum Eccleſiæ non tantùm prohibet veſcendas carnes eis, qui jejunant, ſed etiam eis, qui jejunare non tenentur, ut patet in adoleſcentibus, qui nondùm vigeſimum primum annum implevere.

3. Quod ſi dies ille, quo ex voto jejunare tenebantur, non eſt ex diebus, in quibus ab Eccleſia prohibentur carnes, dependet ab intentione, qua voverunt, an liceat comedere carnes, vel non liceat: Quia obligatio voti non patet latiùs quam voventis intentio; quare ſi habuit intentionem non obligandi ſe ad abſtinentiam carnium, dic qua integram jejunii formam obſervare nequiret, aut per legitimam cauſam licitum illi foret talem jejunii formam non obſervare, tunc poterit ipſa die carnes comedere, non obſtante jejunii voto, quia nullum eſt præceptum talem carnium eſum prohibens. Si autem vovit abſolutè ſe tali die jejunaturum, non poterit illo die comedere carnes, quia communi omnium ſenſu, quando non de contraria intentione conſtat, intelligitur, eum qui vovit jejunium, contrahere per votum obligationem, quam præceptum inducit Eccleſiaſticum, nempe abſtinentiam à carnibus; Et ſicuti non poteſt comedere carnes, qui jejunii præcepto non tenetur, ſic ſimiliter qui à jejunio, quod vovit, excuſatur, carnibus etiam debet abſtinere. Patet hoc in jejuniis, quæ loca quædam in profeſto alicujus voverunt ſancti, in quibus profeſtis, & jejunii diebus non licet carnium eſus his, qui vel labore, vel aliqua cauſa legitima à jejunii onere non excuſantur.

4. Privilegium non jejunandi diebus prædictis tantùm concedi militibus, qui expenſis propriis in exercitu militant, vel iis qui ob paupertatem alienis ſumptibus aſſiſtunt exercitui, vel iis, qui etſi non ſunt pauperes, & pro ſtipendio ſerviant partem tamen aliquam debitæ mercedis remittunt, quia etiam iſtos diximus gaudere Bullæ privilegiis, propter rationem redditam reſolutione 4. dubii quinti; non conceditur privilegium iſtud accipientibus integrum ſtipendium, ſi non ſint pauperes; Neque etiam Religioſis, & Clericis, qui exercitum adeunt, fortaſſe ut jejuniis & Orationibus optatum belli eventum adſtruant.

5. Non ſolvi milites ab obligatione audiendi Miſſam diebus feſtivis, ſi alias poſſint, quam diebus iiſdem feſtivis poſſint occupari laboribus, & negotiis belli.

6. Non concedi militibus hoc privilegio occupari diebus feſtivis laboribus, & negotiis belli, quando neceſſitas evidens expoſtulat. quia tunc privilegio non egent ſed quando neceſſitas non urget, & negotia iſta in alium diem differri poſſent, ſed feſtivo die poſſunt fieri accomodatiùs vel quando dubitatur an opus ſit, necne? ut ſine ſcrupulo hæc faciant; Et privilegium hoc favet dumtaxat militibus iiſdem quibus privilegium non jejunandi adſtipulatur.

DUBIUM IX.

De aliquibus difficultatibus erga taxationem eleemoſynæ pro Bulla.

Diximus in dubio quinto, quas quantitates taxet Commiſſarius ad varias perſonas. Nunc reſolvemus aliquas ſuper iſta materia difficultates.

1. An poſſit gaudere Bulla, qui ſtatim non erogat eleemoſynam? Reſp. affirmativè, modo aſſignet diem, quo erogabit; quia Commiſſarius jubet eos, qui ſummaria Bullarum diſpertiunt, Bullas credito porrigere his, qui aſſignata die promittunt ſe ſoluturos, quamvis ſtatim non ſolvant.

2. An uxores eorum, qui argenteos octo pro Bulla porrigere tenentur, quamvis illæ non habeant bonorum adminiſtrationem,

nem, debeant porrigere eoſdem argenteos octo pro Bulla, viventibus maritis. Reſp. affirmativè: Quia Commiſſarius in hac taxatione non attendit an uxores habeant talem adminiſtrationem, nec ne? quæ quidem adminiſtratio frequenter denegatur fœminis, ſed attendit ſpecialem dignitatem, in qua ſunt conſtituti viri earum.

3. An defunctis maritis, debeant uxores eoſdem octo argenteos erogare? Reſp. negativè, niſi permaneant illæ uſufructuariæ, ut advertit Trul. quia tunc verè permanent vaſſallorum Dominæ. Et circa hunc caſum ait Mendo, Dominum proprietatis non teneri octo illos argenteos porrigere; quia non eſt Dominus abſolutus, dum uſufructu caret. Sed contrarium videtur probabile, ſi Dominus iſte proprietatis gaudet jam titulo, & aliquibus præeminentiis, quamvis non accipiat fructus, quia in iſtis taxationibus magis attenditur excellentia perſonarum, quam reditus & proventus, ut Mendus item advertit.

4. An ſi duo ſint Domini loci ejuſdem unuſquiſque eorum argenteos octo erogare teneatur? Reſpond. affirmativè; Quia unuſquiſque gaudet prærogativa Domini vaſſallorum, quod attendit Commiſſarius in taxanda Bulla.

5. An qui habet juriſdictionem in loco, ſed non eſt Dominus domuum, agrorum, & redditum, debeat eoſdem octo porrigere argenteos? Reſp. negativè; quia non eſt Dominus vaſſallorum, cum non habeat juriſdictionem ad tale Dominium requiſitam.

6. An debeat eoſdem argenteos octo porrigere, qui habet Dominium, & juriſdictionem in aliquo termino agri, in quo non ſunt vaſſalli, vel quia deſeruerunt terminum, vel quia nunquam in eo habitarunt? Videtur debere, quia poteſt Dominus iſte apprehendere, & punire delinquentes in illo termino; poteſt etiam ad illum incolas conducere; & in hoc caſu argenteos octo reddere teneretur.

7. An quando in uno inveniuntur tituli plures, pro quorum ſingulis ſeparatis deberet octo reddere argenteos, toties debeat octo argenteos erogare, quoties titulo obligante inſignitur? v. g. an Conſiliarius Regius, qui etiam eſt Comes, Dominus vaſſallorum, & Commodatarius, ob quatuor iſtos titulos, quater argenteos octo debeat erogare. Reſp. negativè; Quia Commiſſarius non aſſignat plus, nec præſumendum eſt, aliam eſſe Commiſſarii mentem, quia jam expreſſiſſet in re præcipuè toties occurrente.

DUBIUM X.

De Indulgentiis Bullæ.

Quamvis inter Bullæ indulgentias varias alia privilegia miſceantur, quidquid ad indulgentias attinet, in hoc dubio cumulabimus, reliqua verò privilegia ad ſequentia dubia remittentur.

ARTICULUS I.

Quænam Indulgentiæ concedantur in Bulla.

Reſp. 1. Eis, qui propriis expenſis adeunt exercitum, vel mittunt alios, & eis etiam, qui mittuntur, ſi pauperes ſint, & iis etiam, qui gratuito & ſpontaneè ad pugnandum, vel ad quodlibet obſequii genus ad exercitum vadunt, ut dictum eſt, Plenariam concedi indulgentiam.

2. Accipientibus bullam, dantibuſque eleemoſynam aſſignatam concedi ſemel in vita, & iterùm in articulo mortis, ut poſſit illis Plenaria applicari Indulgentia.

3. Jejunantibus in diebus aliàs non præceptis, & orantibus, & implorantibus divinum auxilium pro victoria contra infideles obtinenda, precantibuſque Dei gratiam pro unione, & confœderatione inter Chriſtianos Principes, & ſi jejunare ob impedimenta legitima non valuerint, & aliud quodcumque pium de arbitrio Confeſſarii, aut Parochi exercuerint opus, toties quoties id fecerint, durante anno, conceduntur eis, & relaxantur miſericorditer quindecim anni, & quindecim quadragenæ Indulgentiæ, & remiſſionis pœnitentiarum ſibi impoſitarum, & quocumque modo debitarum; Et quod etiam participes ſint omnium orationum, eleemoſynarum, peregrinationum, etiam earum, quæ ad Hieroſolymam fiunt, & aliorum quorumcumque piorum operum, quæ in tota Militante Eccleſia, & ſingulis ejus membris, quacumque terrarum diffuſa patet, quotidie patrantur.

4. Iis, qui diebus Quadrageſimæ quibus Romæ aſſignata eſt ſtatio, viſitaverint quinque Eccleſias, aut altaria, aut ibi non fuerint quinque Eccleſiæ, aut alta-

ria, Eccleſiam unam, aut altare quinquies, & ibi devote oraverint pro unione, & victoria, ſupradictis concedi omnes indulgentias, & remiſſiones, quæ conceduntur viſitantibus Eccleſias Romæ, & intra, & extra urbem.

Hæ ſunt indulgentiæ bullæ, & quia in illis ſunt difficultates variæ, enodantur ſequentibus hujus dubii Articulis.

ARTICULUS II.

De Indulgentia plenaria, quæ euntibus, vel mittentibus ad exercitum conceditur.

Suppono primo, ut certum: Euntes ad exercitum, vel mittentes pro ſe alios, ut dictum eſt, gaudere cunctis Bullæ privilegiis, quibus gaudent ii, qui pro Bulla erogant eleemoſynam: quia præcipuè magis pro illis, quàm pro iſtis conceſſa eſt Bulla.

Suppono ſecundo: Euntes ad exercitum, vel mittentes non indigere ad lucranda Bullæ privilegia tam vivorum, quàm defunctorum, accepto Bullæ ſummario; ut indigent hi, qui non euntes, vel mittentes tribuunt eleemoſynam; tamen hoc privilegium non extenditur, neque intelligitur quoad Compoſit. Bull. His ſuppoſitis.

Quæritur primo, An Indulgentia plenaria, quæ conceditur initio Bullæ euntibus ad exercitum, vel mittentibus alios, ſit eadem Indulgentia, quæ poſtea conceditur accipientibus ſummarium Bullæ, ut applicetur ſibi ſemel in vita, & iterùm in mortis articulo?

Reſpondeo affirmativè, ut communiter omnium tenetur plauſu. *Unde reſolvitur.*

1. Tam euntem, quam mittentem ad exercitum, plenariam poſſe lucrari Indulgentiam ſemel in vita, & iterùm in mortis articulo: quia non putandum eſt, minus iſtis concedi, quàm accipientibus ſummarium.

2. Quod quamvis is, qui vadit: aut mittit ad bellum, applicet indulgentiam plenariam pro animabus Purgatorii per modum ſuffragii utens privilegio ſibi à Pontifice conceſſo, poteſt etiam eamdem Indulgentiam Plenariam lucrari ſibi; tum quia gratiæ: & privilegia debent ampliari; tum quia majoris æſtimationis, & ſubſidii eſt, quod iſti tribuunt euntes, vel mittentes ad bellum, quàm id quod tribuunt accipientes ſummarium Bullæ vivorum, & defunctorum; ergo ſi ſumentibus dato illa ſummaria conceduntur iſtæ gratiæ, potiori jure tenendum eſt, concedi etiam euntibus, aut mittentibus ad bellum; quia alias parciorem ſe erga iſtos, quam erga illos gereret Pontifex. Mend. d. 12.

Secundo quæritur, An ad iſtam lucrandam Indulgentiam confeſſio requiratur actualis?

Reſpondetur affirmativè, quando quis confiteri poteſt; ſed ſi non poteſt, ſufficit confitendi deſiderium; quia Bulla ait, Indulgentiam iſtam, & remiſſionem omnium peccatorum concedi, *Si fuerint contriti corde, & ore confeſſi, vel non valentes confiteri, corde deſideraverint confeſſionem.* Et hæc opinio debet, ut magis ſecura, ſuaderi, ut docet Suarez, quamvis probabilem reputat contrariam, quam docet Dian. cum aliis, quos ipſe refert putans, quando una Indulgentia conceditur contritis, & confeſſis, ſufficere contritionem ad lucrandam indulgentiam. Suar. *t. 4. in 3. p. d. 52. ſ. 3. à n. 10.* Dian. *t. 1. tr. 11. reſ. 165. Unde reſolvitur.*

1. Quamvis ad lucrandam indulgentiam iſtam, doceatur lucraturos debere eſſe contritos, & confeſſos, ſufficere confeſſionem cum attritione, quæ quidem attritio ſub nomine contritionis comprehendi ſolet, quamvis imperfectæ: quia Pontifex dumtaxat intendit aſſignare partes eſſentiales, quæ ſufficienter Sacramentum conſtituunt Pœnitentiæ.

2. Non ſufficere confeſſionem factam ante tempus, in quo lucranda eſt indulgentia, neque confeſſionem, quæ fit intra tempus, in quo quis indulgentiam lucrari poteſt, ſi quando adhibetur ultimum requiſitum ad ejus lucrum, non eſt quis in gratiæ ſtatu, qui quidem ſtatus requiritur, ut quis ſibi lucretur Indulgentiam.

3. Illum, qui bona fide confeſſus eſt, quamvis invalidè, quia putavit, confeſſarium habere poteſtatem ad abſolvendum, quam quidem non habebat; ubi primùm in gratiæ ſtatu per contritionem collocatus fuerit, lucraturum indulgentiam: hæc namque eſt abſque dubio mens, & animus Pontificis, ſcilicet ut lucretur illam ille, qui confeſſus eſt benè, quantùm fuit ex parte ſua. Quod idem dicendum eſt

eſt de eo, qui Confeſſionem fecit informem, ſi forſan hæc datur; & de eo, qui ob naturalem oblivionem, mortalem culpam in Confeſſione reliquit; ſed omnes iſti ſupradicti, antequam ultimum adhibeant requiſitum ad Indulgentiam lucrandam, advertunt defectum, debent, ut illum ſuppleant, iterum confiteri. Mendo *d. 6. n. 39.* & 40.

4. Eum, qui ſolùm peccata venialia in ſe cognoſcit, non teneri ad Confeſſionem pro obtinenda Indulgentia. Idem *n. 41.*

Tertio quæritur: Quadenam Indulgentiam lucrentur iſtam, qui ad exercitum tendunt?

Reſp. Quod in opinione magis certa in fine anni lucrabuntur Indulgentiam, quia tunc adhibetur ultimum requiſitum; vel annus ſit ſolaris, vel ſit annus integer in prudentis æſtimatione, quamvis aliqui deſint dies; ſed in opinione benigniori, toties quoties pœnituerit eos, & confeſſi fuerint intra annum, quo ſunt in exercitu, lucrabuntur illam; quia contritio, & confeſſio jubentur ut media requiſita; & Indulgentia conceditur abſolutè, non coarctata ad unam vicem; itaque neque nos illam coarctare debemus. Mendo *d. 6. n. 52.* Villalob. Rodr. Dian. *Tract. 11. R. 109.*

ARTICULUS III.

De Indulgentia Plenaria, quæ conceditur accipientibus ſummarium Bullæ.

Hæc Indulgentia quamvis ſit eadem, quæ conceditur euntibus ad exercitum, aut mittentibus, certum tamen eſt, accipientibus Bullam non poſſe applicari, niſi ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo; quia hæc coarctatio, & limitatio legitur expreſſa in Bulla. *Unde reſolvitur.*

1. Ei, cui ſemel applicata fuit in articulo mortis, ſi poſtea convaluerit, non poſſe applicari iterum virtute ejuſdem Bullæ, ſi iterum in articulum mortis inciderit. Quamvis contraria ſententia ſit etiam probabilis.

2. Quod ſi Confeſſarius applicaret ſub conditione Indulgentiam alicui dicens: *Applico tibi Indulgentiam, ſi moriaris, ſi verò non moriaris, Deus reſervet eam tibi ad articulum verum mortis:* tunc non erit neceſſaria nova Bulla ad applicandam ei Indulgentiam pro articulo mortis, ſi iterum ſit in eodem articulo intra eumdem annum. Mendo *dub. 27. numero 2.*

Quæritur primò: An poſſit applicare Indulgentiam in vita, & in morte alius diſtinctus à Confeſſario?

Reſp. Certiorem eſſe negativam ſententiam: quia Pontifex non concedit illam, niſi mediante Confeſſarii applicatione, & tanquam delegans illi conceſſionem, ut conſtat ex Bullæ verbis: Et quantùm ad applicationem Indulgentiæ in vita, conſentiunt omnes debere applicari per Confeſſarium ab Ordnario approbatum. Quantùm verò ad applicationem ejus in mortis articulo, Diana cum aliis docet. Quod in abſentia Sacerdotis, poteſt applicare laicus; ſed in hoc caſu jam Bulla prævenit, & præoccupat dicens: Poſſe quemquam lucrari Indulgentiam, quamvis non mediet Sacerdos applicans, dum ille moriatur contritus, modò confeſſus fuerit tempore ab Eccleſia ſtatuto, & in hac gratia Bullæ fretus, non fuerit in confitendo negligens. Trull. *lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 29.* Dian. *1. p. 11. r. 106.*

Quæritur ſecundò: An Indulgentia debeat applicari in Confeſſione vel an extra eam ſufficiat?

Reſp. Sufficere, quod extra eam applicetur; quia neque Pontifex jubet, neque Indulgentia ex ſe Sacramentum poſtulat Pœnitentiæ, ut applicetur. Unde reſolvitur. Mendo *d. 27. n. 12.*

1. Poſſe applicari abſenti; quia cum poſſit applicari extra Confeſſionem, nulla eſt ratio, qua non poſſit applicari abſenti, ſi hic petat formali, aut interpretativa voluntate. *Idem n. 15.*

2. Quod quando quis petit Indulgentiam formaliter, aut interpretativè, poteſt applicari ei, quamvis ille ignoret applicari ſibi. Ratio eſt: Quia ad lucrandam Indulgentiam non eſt neceſſarium ut ille adhibeat requiſitum aliquod, ſed ſufficit notum eſſe eum habere Bullam, & alias ſint conjecturæ probabiles, quod ipſe eſt capax lucrandi Indulgentiam, & judicetur eum petere virtualiter, & interpretativè talem Indulgentiam; ut judicatur de illo, qui amiſit ſenſus. Quia de

Chri-

Chriſtiano putandum eſt, petere tunc quidquid animæ ſuæ ſaluti concedi poteſt; quare laudanda eſt illa conſuetudo confeſſarii applicantis pœnitenti poſt abſolutionem quotquot indulgentias poteſt, quia judicat pœnitentem interpretative petere, omnes eas ſibi applicari. Idem nu. 16. cum Suar. Nav. Henriq. Cord. Trull.

Tertio quæritur: Quibus verbis applicari debeat Indulgentia, & an ſine verbis poſſit?

Reſp. Quamvis ſit laudabile, quod applicetur verbis à Commiſſario aſſignatis, non eſſe id neceſſarium, & adhuc mentaliter poſſe concedi. Mendo *d. 27. n. 4. & 5.*

Quarto quæritur: An ſimul cum hac Indulgentia poſſit applicari alia plenaria pro alio titulo?

Reſp. Affirmativè. Et expedit, quod moribundo applicentur omnes Indulgentiæ plenariæ, quas lucrari poteſt; quia fortaſſe non habuit requiſita ad lucrandam unam, benè tamen ad lucrandam aliam: Et proderit, quod non applicentur cunctæ Indulgentiæ ſimul, & eodem tempore, ſed ſucceſſivè, relinquendo temporis intervallum inter conceſſam, & concedendam, ut ſi fortè in tempore illo culpam aliquam denuo contraxerit, ſatisfaciat pro illa per Indulgentiam.

Quinto quæritur: Quidnam intelligatur hic per mortis articulum?

Reſp. Intelligi etiam periculum mortis, in quo poteſt etiam applicari Indulgentia, quæ conceditur ad articulum. Eſt ſententia communis; quia quamvis articulus, & periculum mortis metaphyſicè diſtinguantur, moraliter tamen, in ordine ad hos effectus, pro eodem reputantur in jure. Mend. *num.* 34. cum multis.

Unde reſolvitur.

1. Periculum inſaniendi perpetuò, aut per longam temporis moram, æquivalere periculo mortis; & ita in hoc periculo poteſt quis abſolvi per Bullam, & applicata gaudere Indulgentia. *Idem n.34.*

2. Damnatum ad triremes non judicari in periculo verſari mortis, niſi fortè navigationem naviget periculoſiſſimam; & ita extrà hunc caſum non poſſe ei valenti Indulgentiam applicari.

3. Neque etiam fœminis gravidis cunctis applicari poſſe, quando partus inſtat hora, quia non omnes tunc de morte periclitantur, ſed illæ ſolum, quæ ab aliorum partuum experientia, vel ex circumſtantiis tunc occurrentibus ſiniſtrum partum prudenter timent. *Idem ib.*

4. Eum, qui ſciens & volens ſine urgente cauſa exponit ſe periculo mortis, non poſſe gaudere hoc Bullæ privilegio, quod in mortis conceditur periculo conſtitutis. Ratio, quia iſte non eſt conſtitutus in periculo mortis, ſed ipſe ſe voluntariè conſtituit; unde ſi recedit ab illa voluntate, ut poteſt, extra periculum erit; ſed ſi ſemel in periculo conſtitutus, & jam vitare non valens, ſi ipſe eſt benè diſpoſitus, poteſt abſolvi, poteſtque ei Indulgentia applicari. Mend. nu. 35. cum Trull. Cord. & Sanch.

Quæritur ſexto: An poſſit quis lucrari Indulgentiam, quia ipſam applicet Confeſſarius?

Reſp. affirmativè: Quando quis morte rapitur ſubitò, aut ſine confeſſarii copia, modò moriatur contritus, & fretus hoc privilegio non fuerit negligens in confitendo, tempore ab Eccleſia ſtatuto. *Unde reſolvitur.*

1. Quod quamvis non poſſit lucrari Indulgentiam iſtam is, qui fuit negligens in fiducia hujus Indulgentiæ, poteſt tamen is, qui fuit negligens ob fiduciam ejus. Explicatur. Negligens in fiducia Indulgentiæ dicitur ille, qui non negligens eſſet, ſi non haberet Bullam, aut ſperaret habere: Negligens ob fiduciam, vel cum fiducia eſt ille, qui attenta propria fragilitate, & paſſione, eodem modo eſſet negligens habendo Bullam, ac non habendo, quamvis ex eo quod habeat, vel ſperet habere illam, ſolamen accipiat, propoſito ſibi remedio, quod poteſt in illa lucrari. Mend. n.37.

2. Quod qui in fiducia dicta neglexit confeſſionem vel annuam, vel eam, quæ ſit ante communionem, cum advertit in ſe mortalem culpam, aut cum fuerit in mortis periculo, non poteſt gaudere hac gratia, quia omiſit Confeſſionem tempore ab Eccleſia ſtatuto.

3. Quod quamvis negligens in his caſibus, vel aliquo eorum in fiducia hujus gratiæ nequeat illam lucrari, quamvis contritus moriatur, niſi Confeſſarius applicet eam; poteſt tamen, ſi Confeſſarius applicet, quamvis ejus Confeſſionem audire non potuerit; Quia Bulla ſolùm excludit

illum

Digitized by Google

iſtum ab ea gratia, quæ conceditur ſine interveniente applicatione. Et ſi eſt vera ſententia Dianæ aſſerentis, Laicum poſſe applicare Indulgentiam morienti, abſente Sacerdote; poterit etiam applicare laicus illi, quamvis in fiducia Bullæ negligens fuerit in Confeſſionibus ſtatuto tempore.

4. Eum, qui non habet mortalem culpam, poſſe lucrari Indulgentiam, quamvis ſine contritione moriatur, in caſu ſcilicet repentinæ mortis, vel abſente Confeſſario.

ARTICULUS IV.

De Indulgentia quindecim annorum, & participatione piorum operum.

Quaritur primo: Quanam gratia concedantur in hac clauſula Bulla, & quomodo intelligi debeant?

Reſp. 1. Concedi quindecim annos, & quindecim quadragenas remiſſionis pœnitentiarum impoſitarum, & quolibet modò debitarum. Quadragena eſt numerus quadraginta dierum, unde quindecim quadragenæ ſexcentorum dierum erit numerus. Pro cujus intelligentia advertendum eſt: Sacros Canones ſtatuiſſe olim rigoroſas pœnas pro culpis, aſſignando quibuſnam culpis aliquos dies, aliis culpis aliquot annos, per quorum ſpatium in variis pœnitentiæ operibus exercebantur hi, qui peccaverant, quæ opera pœnalia imponebant Confeſſarii pœnitentibus, & iſti accenſo fervore implebant. Poſtquam verò natura tepida, & mollis hæc opera pœnalia difficilia ſenſit, opus fuit concedi Indulgentias, quibus remitteretur pœna illa, quæ ante per illa opera pœnalia remittebatur, ſi, prout Sacris Canonibus præcipiebatur, opera illa perficerentur; unde quando quadraginta dies conceduntur Indulgentiæ, remittitur tunc illa pœna purgatorii, quæ remitteretur facienti illa opera pœnalia, quæ pro culpis facienda ſacri diſponebant Canones. Itaque per Indulgentiam iſtam Bullæ remittitur cuique illa purgatorii pœna, quæ remitteretur, ſi per quindecim annos, & ſexcentos dies faceret opera illa pœnalia, quæ ſtatuerat facienda jus Canonicum pro peccatis illis commiſſis.

Quaritur ſecundo: Quidnam intelligatur pro remiſſione pœnitentiarum impoſitarum, & quolibet modo debitarum.

Reſp. Intelligi remiſſionem pœnitentiæ debitæ non ſolum pro peccatis, quæ pœnitens confeſſus eſt, ſed etiam pro illis, quæ non confeſſus eſt, ſi jam hæc peccata remiſſa ſunt quantum ad reatum; quia ad hoc extenduntur verba illa, *Qualicumque modo debitis*: Itaque hac gratia remittitur homini pœna purgatorii pro quibuſcumque peccatis, quæ confeſſus fuerit, vel de quibus ſit contritus; quæ remitteretur, ſi faceret pœnitentiam aſſignatam à jure per quindecim annos, & ſexcentos dies.

Quaritur tertio: Quidnam intelligatur per gratiam participationis omnium operum piorum, quæ fiunt in Eccleſia Militante?

Reſp. Supponendo primo, in omnibus piis juſtorum operibus inveniri tria, nempe meritum de condigno, quo juſtus meretur gratiam, & gloriam; & hoc meritum nequit alteri applicari. Secundo invenitur meritum de congruo, aut impetrationis; & hoc meritum, & hæc impetratio poteſt prodeſſe aliis, quamvis ſint peccatores, obtinendo illis auxilia, ut reſtituantur gratiæ; & hujus meriti de congruo, quod habent juſti, participes ſunt fideles omnes, & ejuſdem corporis membra, quamvis hoc meritum poſſit applicari ſpecialiter alicui. Tertio invenitur ſatisfactio, quam poteſt quis applicare ſibi, vel alteri; quam ſi non applicat aliis, ſatisfacit cum illa pro ſe; & ſi ille non haberet culpas, pro quibus ſatisfaceret, tunc ſatisfactio illius, ut ſuperabundans, congeritur in Eccleſiæ Theſauro: de qua ſatisfactione poteſt Pontifex diſpenſare. Hoc ſuppoſito, dico concedi per iſtam gratiam juſto, qui ordinatas hic diligentias adhibuerit, ut particeps fiat non tantùm meriti de congruo, aut impetrationis, ſed etiam ſatisfactionum ſuperabundantium, quæ exſuperant ex omnibus piis operibus juſtorum, qui per totum Orbem Militanti Eccleſiæ ſunt adſcripti; Ita ut ſatisfactiones illæ ſuperabundantes non recondantur in Eccleſiæ Theſauro, ſed dividantur ſtatim inter eos, qui ad lucrandas eas adhibuerint requiſita.

Hinc

Digitized by Google

Hinc reſolvitur.

1. Quod quando nullus adhibet requiſita ad lucrum illarum ſatisfactionum ſuperabundantium, ſatisfactiones illæ non remanent ſuſpenſæ, & ut expectantes, ſed ad Theſaurum mittuntur Eccleſiæ, unde per privilegium iſtud jam non participantur. Mendo *d. 19. n. 25.*

2. Quod poſt adhibita requiſita participat quis omnes ſatisfactiones ſuperabundantes, quæ inventæ fuerint durante toto Bullæ anno, ſi ipſe in gratia perſeverat.

3. Quod ſi poſt requiſita poſita amittit gratiam, non participabit ſatisfactiones iſtas; benè tamen poſtea gratiæ reſtitutus. *Idem.*

Tertio quæritur: Quidnam requiratur ad iſtas lucrandas gratias?

Reſp. Duo requiri. Primum, jejunare in die, quo jejunium non urgeat ex præcepto; & ſi ob impedimentum legitimum non poſſit quis jejunare, faciat aliud opus pium ad arbitrium Confeſſarii, aut Parochi. Secundo, orare pro victoria in infideles, & pro unione inter Chriſtianos Principes. Unde reſolvitur. Lud. à Cruc. *d. 1. c. 8. d. 11. n. 4.* Trull. *l. 1. §. 5. d. 5.*

1. Quod poſſit quis lucrari gratias iſtas jejunando in die, quo tenebatur jejunare aliquo titulo, modò non ſit ex præcepto, quia hoc ſolùm ex præcepto jejunium excludit Bulla. Itaque qui per votum feria ſexta jejunare tenetur, vel alio quocumque die, poteſt hoc jejunio lucrari gratias iſtas.

2. Impedimentum legitimum eſſe ad commutandum jejunium in aliud opus pium, impedimentum illud, quod ſufficit ad excuſandum quemquam à jejunio obligante ex præcepto.

3. Opus illud, in quod jejunium commutatur, aſſignandum eſt à Confeſſario, aut Parocho; & non eſt neceſſarium, ut commutatio fiat intra Confeſſionem; ſed poterit quiſque ſibi ipſi commutare, ſi opus illud, quod vice jejunii eligit faciendum, foret evidenter melius, quàm jejunium, aut in iiſdem caſibus, quibus ipſe ſibi poteſt votum commutare. Mendo *d. 9. n. 5.*

4. Orationem, quam tenetur facere, poſſe eſſe aut mentalem, aut vocalem, quam debet facere ipſo die, quo jejunat, & ad eundem finem à Pontifice intentum dirigere. Idem *n. 8.*

Quæritur quarto: Quoties iſtæ gratiæ poſſint obtineri?

Reſp. Toties quoties jejunaverit quis, & oraverit modo dicto, quia ita expreſsè habetur in Bulla.

ARTICULUS V.

De Indulgentiis, quæ obtinentur viſitando quinque Altaria.

Hæ Indulgentiæ ſunt eædem, quæ obtinentur viſitando Eccleſias Romæ in diebus ſtationum, tam intra, quam extra muros. Quæ autem Indulgentiæ ſint eæ, quæ obtinentur in ſtationibus Romæ, non eſt ita facilè dictu in tanta auctorum varietate. Aliqui nimis ad pietatem proni non contenti ſunt una Indulgentia aſſignata, ſed pluribus in unaquaque die. Regula omnium certiſſima eſt ea, quam in ipſa Bulla Commiſſarius figit; ubi aſſignat dies nonaginta quatuor, in quibus obtinetur Indulgentia plenaria in ſtationibus urbis Romæ; Qui dies ſunt, & omnes dies Quadrageſimæ, Dominicis etiam incluſis. Tota Paſchatis hebdomada uſque ad Dominicam in Albis incluſivè. Omnes Feſtivitates B. V. quæ communiter numerantur novem. Dies S. Marc. Euang. Dies Aſcenſ. Vig. Pentec. cum ſex diebus illam immediatè ſequentibus. Tres dies Temp. Sept. & tres dies Temp. Advent. Quatuor etiam Advent. Dom. Dies Natalis Domini, cum tribus diebus immediatè ſequentibus. Dies Circ. & Epiph. Domin. Septuag. Sexag. & Quinquag. Et ultra hæc addit: Quod reliquis etiam anni diebus habetur ſtatio Romæ, & ibi obtinentur Indulgentiæ, quæ etiam obtinentur viſitando quinque Altaria, virtute privilegii Bull. Quod ultimum non debet intelligi de Indulgentiis plenariis, quia ſi plenariæ forent, fruſtra numeraſſet illas, quæ obtinentur per totos illos nonaginta quatuor nominatos dies, cum faciliùs eſſet dicere, omnibus anni diebus Indulgentiam obtineri plenariam.

Ad obtinendas igitur has ſtationum Romæ Indulgentias, quinque Eccleſiæ, aut Altaria quinque viſitanda ſunt. Quod ſi nec tot Eccleſiæ, nec tot Altaria in loco fuerint, una Eccleſia, vel Altare unum quinquies viſitetur, ibique oratio fiat, & pro victoria de infidelibus reportanda, &

pro

Digitized by Google

pro unione inter Chriſtianos Principes ſtabilienda.

Unde reſolvitur.

1. Quod quamvis ſint quinque Eccleſiæ in uno loco, ſufficit quinque Altaria viſitare, quia unum ex duobus disjunctivè injungitur. Mend. *d.* 20. *n.* 32.

2. Quod ſi ſint quinque Altaria, non ſufficit viſitare unum quinquies, quia hoc non permittitur, niſi quando non ſunt quinque ut habetur in Bulla. *Idem n.* 39.

3. Quod ſi non ſint quinque Altaria, ſed duo, aut tria, debent omnia iſta Altaria viſitari, repetendo viſitationem in illis, quouſqué ad quinarium numerum perveniatur? Quamvis Diana, & Quintanadvenas doceant probabiliter, quando Altaria ad quinarium numerum non perveniunt, ſufficere unum quinquies viſitari: *idem n.* 39.

4. Quod quinque Altaria poſſint viſitari in diverſis Eccleſiis, quia Bulla non coarctat, quod in una debeant viſitari. *Idem n.* 35.

5. Quod ſi in una Eccleſia loci ſunt quinque Altaria, & in alia Eccleſia non ſunt plura quam duo aut unum, non ſit neceſſarium viſitare primam Eccleſiam quæ habet quinque, ſed ſufficere viſitare quinquies unum aut duo Altaria, quæ ſunt in ſecunda. *Idem* 2.41.cum Nugno,& alii comm.

6. Nomine Eccleſiarum, quæ viſitari poſſunt, intelligi hic Ædiculas. Oratoria privata, Hoſpitalia, Templa Regularium, & Sacella; quia in favorabilibus omnia loca iſta nomine Eccleſiarum comprehenduntur, ut docent DD. agentes de immunitate Eccleſiaſtica. Et Tuſcus Alexander extendunt doctrinam iſtam, quamvis Sacella, & Ædiculæ ſint in fundis, campis, hortis, aut carceribus, &c. Mend. *n.* 32. ex Suar.

7. Quod ad obtinendas indulgentias iſtas ſufficiat viſitare Eccleſiam fundatam cum auctoritate Epiſcopi quamvis non ſit benedicta; quia hæc abſolutè eſt Eccleſia, & privilegiis gaudet. Eccleſiæ: Item ſufficiat viſitare Eccleſiam interdictam, violatam, aut pollutam; quia impedimenta hæc non prohibent, quod in illa fiat oratio.

8. Quod Altaria, quæ viſitari debent ad obtinendas iſtas indulgentias, debeant eſſe approbata ab aliquo Prælato juriſdictionem habente, ut in illis Miſſæ celebrari poſſint; quia his propriè convenit nomen. & eſſentia altarium:

9. Quod quamvis in altaribus non fuerit celebrata Miſſa, ſufficiat ad celebrationem eſſe deſtinata; quia convenit illis ratio Altarium, Et addunt Trull. & Henriq. quod etiamſi non habeant actualiter aram, ut contingit ſæpius in Altaribus pagorum, aut locorum deſertorum, quin per abſentiam aræ dubitetur, quod ſufficiat iſta Altaria viſitare, nec examinetur, an habeant aram, necne?

10. Quod ſi alicubi remanſit Altaré, in quo quondam Miſſam celebrare licuit, ſed jam non licet, non ſufficiat viſitare Altare hoc ad obtinendas Indulgentias. Mend. *n.* 37.

11. Diem ſtationum computari à media in mediam noctem, & in quacumque diei hora viſitentur Altaria, poſſint indulgentiæ conceſſæ pro illo die obtineri. Idem *n.* 43. cum Vill. Rodr. Quint. &c.

12. Quod qui viſitat unum Altare quinquies, non egeat diſtinguere viſitationes ſurgendo, vel genuflectendo aut inclinando caput; aut alio motu quovis corporis, ſed ſufficere intentionem orandi quinquies: Quod idem ſentio de viſitante quinque Altaria ex loco uno, quo ſe habendo poteſt moraliter adeſſe cunctis: quia in Bulla non requiritur talis diverſa mutatio, & ſine illa intelligitur ſufficienter viſitatio Altarium, directa tantùm intentionaliter oratione ad illa. Aliqui ſentiunt contrarium, & quamvis eorum opinio ſit minus probabilis, eſt magis ſecura. Idem *num.* 4. cum pluribus, & eſt comm. ſententiæ.

13. Poſſe viſitari Eccleſiam, aut Altaria, adhuc cum ſit viſitans extra Eccleſiam, modo quis moraliter Altaribus adſit; quia ſi hæc præſentia ſufficit ad audiendam Miſſam, quare non ſufficiet ad Altaria viſitanda? Idem *n.* 51.

14. Non eſſe neceſſarium continuare viſitationes quinque Eccleſiarum, aut Altarium, ſed poſſe interrumpi, viſitando alia una hora, & alia altera; qui in Bulla non repetitur talis continuatio; ſed nequeunt viſitari hodie Altaria una, & cras alia, ut vult Quintanadvenas; quia Indulgentiæ aſſignantur pro diebus propriis, & indulgentia, quæ hodie obtinetur, non obtinebitur craſtina die, ſed alia diſtincta. Qui ergo divideret inter hodiernum, & craſtinum diem viſitationem Altarium, neque hodiernam, éeque craſtinam obtinebit Indulgentiam; quia in nullo iſtorum dierum adhibet requiſita ad Indulgen-

gentiam obtinendam, nempè viſitare quinque Altaria.

15. Orationem in quocumque Altari habitam poſſe eſſe mentalem, aut vocalem. Si vocalis fuerit, Trull. docet ſufficere ſemel Pater noſter, & ſemel Ave Maria: Mendo ſuadet, bis ad minus eaſdem orationes dicendas. Conſuetudo quinquies repetendi eaſdem eſt laudabilis. Si oratio ſit mentalis, ſufficit durare idem tempus, quod vocalis. Vel una ergo, vel alia ſit, debet haberi devotè; ſufficietque devotio illa, quæ neceſſaria eſt ad ſatisfaciendum præcepto audiendæ Miſſæ, vel Horis Canonicis recitandis, juxta opiniones varias.

ARTICULUS VI.

An Indulgentia, quam obtinet viſitans quinque Eccleſias, aut Altaria, poſſit applicari defunctis?

Certum eſt: Quod diebus iiſdem, quibus Romæ ſtatio pro eruendis è Purgatorio animabus habetur, etiam eadem ſtatio, & animarum liberatio à Purgatorii pœnis habeatur apud nos viſitando quinque Eccleſias, aut Altaria modò dicto: quinam dies ſint illi, ſufficienter patet omnibus tam per Bullam, quam per tabellas, quæ pro Eccleſiæ foribus appenſæ de tali Indulgentia admonent.

Ultra, certum eſt: Quoties poteſt obtineri Indulgentia viſitando quinque Altaria, poſſe etiam hanc Indulgentiam aplicari defunctis per modum ſuffragii; quia quamvis in Bulla ſcripta lingua vulgari hoc non exprimatur, exprimitur tamen in Latina Bulla. *Unde reſolvitur*.

1. Diebus illis, in quibus anima è Purgatorio eruitur, una & eadem Altarium viſitatione obtinere quemquam duas Plenarias Indulgentias, aliam pro anima, & aliam pro ſe ipſo.

2. Quod reliquis diebus non poteſt quis una, & eadem Altarium viſitatione obtinere Indulgentiam pro anima Purgatorii, & pro ſe ipſo ſimul, ſed disjunctivè, vel pro ſe, vel pro anima.

3. Quod ab obtinendas Indulgentias iſtas, vel pro ſe vel pro animabus, non debeat otare neque pro ſe, neque pro animabus, ſed pro victoria contra infideles, & pro unione inter Chriſtianos Principes; quia hæc cōditio in Bulla eſt appoſita.

4. Quod cum hæc Indulgentia poſſit obtineri toties quoties Altaria in die viſitantur, in diebus illis, qui eruendis è Purgatorio animabus non aſſignantur, poſſit quis viſitare Altaria pluries, & applicare Indulgentiam unam ſibi, alteram Animæ, &c. Mend. *d.* 20. *n.* 9.

5. In diebus, quibus anima eruitur, eadem una Altarium viſitatione poſſe quemlibet duas animas è Purgatorio eruere, ſi Indulgentiam, quam ſibi obtinere poterat, applicet animæ.

Quæritur primò: An quando quis alio indulto poteſt eximere animam è Purgatorio, vel ſibi Indulgentiam obtinere, iſte talis viſitans Altaria, poſſit una & eadem viſitatione duas animas è Purgatorio eripere, aut duas Indulgentias obtinere, aliam per Bullam, aliam per Indultum? Et Generaliter quæritur: An uno & eodem opere poſſint obtineri plures Indulgentiæ conceſſæ per diverſa Indulta?

Reſp. Probabilem eſſe affirmativam ſententiam, quemadmodum uno & eodem opere poteſt duplici obligationi fieri ſatis, præcipuè ſi opus non eſſet iterabile eodem die, ut jejunium, & communicatio. Itaque expedit habere intentionem obtinendi omnes, & quaſcumque Indulgentias, quas poſſit cuis opere quolibet obtinere. Cord. de Indulg. *q.* 25. Fauſtus de Jubil. *l.* 2. *qu.* 39. Hoſt. Gr. Sanct. Henriq. Sà, Leander de Sacramentis, Lugo, & alii.

Quæritur ſecundò: An ad obtinendas Indulgentias ſit neceſſarium eſſe in gratia?

Reſp. primò: Quod quando quis ſibi ipſi lucraturus eſt Indulgentias, requiritur quod ſit in gratias: quando vero animabus Purgatorii applicat Indulgentias, non requiritur.

Probatur prima pars. Per Indulgentiam remittitur pœna pro culpis debita: quæ quidem pœna ita cum peccatis connectitur, ut ſi culpæ, & peccata non dimittantur, neque etiam debita pro illis remittatur pœna. Jacenti ergo in lethali culpa non poteſt pœna remitti debita, nec ſimiliter iſte poterit Indulgentiam obtinere, qua pœna illa debita remittitur.

Secunda pars probatur. Quia ſtatus gratiæ ſolùm requiritur in obtenturo Indulgentiam, ad tollendum obicem: requiritur itaque gratia ut diſpoſitio in illo fine

ſine qua non poreſt relaxari pœna, dum peccatum per gratiam non deletur; qui applicaturus eſt Indulgentiam pro defuncto, non accepturus eſt in ſe ipſo effectum Indulgentiæ, ſed in defuncto, qui non haber obicem, cum animæ cunctæ, quæ in Purgatorio patiuntur, gratiæ ſtatus ad obtinendam Indulgenriam in eo, qui obtentam applicat animabus in Purgatorio exiſtentibus, Mend. *d.* 36. cum pluribus.

DUBIUM XI.

Quanam privilegia obtineantur per Bullam pro tempore interdicti?

Reſpondetur: Quod vel interdictum ſit Apoſtolicum, vel Ordinariorum, conceditur tempore illius habentibus Bullam, primò quod poſſit audire Miſſam in Eccleſiis, aut Monaſteriis, aut in Oratorio privato aſſignato, & approbato ab Ordinario: Conceditur etiam, quod poſſint celebrare Miſſam, & alia divina officia, vel per ſe, ſi Presbyteri fuerint, vel alios curare ut celebrent coram ſe, & in præſentia ſuorum familiarium, & conſanguineorum. Secundò: Quod poſſint accipere Sacramentum Euchariſtiæ, & reliqua Sacramenta, excepto die Paſchatis, modò ipſi non dederint cauſam interdicto, nec per ipſos ſteterit, quod non fuerit ſublatum: & quotieſcumque dicto Oratorio pro obtinenda Indulgentia uſi fuerint oratione, prout Deus devotionem dederit, pro victoria, & unione repetita faciant. Tertiò quod dicto tempore interdicti poſſint defuncti ſepeliri in loco ſacro, moderata funeris pompa.

Hic advertendum eſt: Quod in Bulla ſcripta lingua vulgari non fit mentio alterius privilegii, quod inter alia refert Bulla Latina, nempe quod poſſint & celebrare Miſſam, & audire una hora ante ſolis ortum, & alia hora poſt meridiem; quia hoc privilegium non concedir ipſa Bulla, niſi habenti licentiam à Commiſſario Generali, ut in Latina Bulla legitur.

ARTICULUS I.

Reſolutiones circa celebrandam Miſſam, & audiendam, & circa officia divina.

Reſpond. 1. Sufficere familiæ Dominum habere Bullam, ut tempore interdicti poſſint coram eo, & rota familia, & conſanguineis celebrari, & audiri Miſſæ, & divina officia; & hoc in Eccleſiis, Oratoriis, & quolibet alio loco, qui nomine Eccleſiæ intelligatur, ut explicatum eſt reſolutione ſexta articuli quinti.

2. Quod hoc nomine, *Familiares*, intelliguntur commenſales, ſervi, & qui regulariter comitantur Dominum familiæ, & qui vivunt expenſis ejus, tam habirantes domum propriam Domini, quam extra, Adminiſtratores ſtatuum Procerum, Gubernatores, & Judices ab eis præfecti; ſed non intelliguntur hi, qui ſimulam ſe eſſe Domini ſervos ſolum, & cum fraude ad gaudendum privilegio iſto, quia iſti non ſunt verè ſervi, ſed fingunt ſe ſervos ad effectum iſtum. Mend. *d.* 25. *n.* 10.

3. Per hoc nomen, *Parientes*, intelligi tantùm conſanguineos; quia in Bulla Latina legitur hoc verbum, & in lingua vulgari non eſt verbum aliud magis proprium, quam *Parientes*, ut conſtruatur; & communi plauſu hoc verbum, *Parientes*, ſine additamento aliquo ſignificat conſanguineos; quia quando volumus ſignificare affines, dicimus *Parientes per afinidad*. Idem *n.* 11.

4. Per conſanguineos intelligi uſque ad quartum gradum, & non ultra; quia jam in jure, & reſcriptis non extenditur ultra conſanguinitas. Idem *n.* 12. cum aliis.

5. Per nomen conſanguineorum intelligi virum, & uxorem ejus; quia ſunt duo in carne una: itaque ſi illorum quilibet habeat Bullam, alter etiam iſto gaudet privilegio: idem *n.* 11.

6. Contra Trull. Quod in Eccleſia ſpecialiter interdicta poſſint habentes Bullam audire Miſſam, ſi aliquando in illa celebratur ad renovandam Euchariſt. quia quando Bulla concedit privilegium iſtud, non diſtinguit inter interdictum generale, & locale.

7. Quod Presbytero non concedatur per Bullam privileg. ut tempore iſto celebret Miſſam, & officia divina, quia habet à jure, ſed concedatur illi, ut poſſit celebrare, & celebrari facere coram ſuis familiaribus, & conſanguineis.

8. Illi, qui dedit cauſam interdicto, vel per quem ſtat, ut non tollatur, non concedi privilegia iſta.

9. Quod qui utitur Oratorio ad dictos effectus, debet orare mentaliter, aut vocaliter ad arbitrium ſuum pro victoria, & unione

unione repetitis; ſed ſi non oraverit, non ideo audiendæ Miſſæ præcepto non ſatisfaciet, neque peccabit ultra veniale, quia eſt præceptum Pontificis in materia levi. Henr. Avil. Trul. Dian. Jurist. & Thuſ. Sal. & quidem com. Cruc. allegat. à Mendo, *n.* 17.

Quæritur an habens Bullam teneatur audire Miſſam diebus feſtis tempore interdicti.

Reſpondetur probabile eſſe, atque ſecurum in praxi, non teneri. Ratio, quia nemo tenetur uti privilegio conceſſo; quia jam non eſſet privilegium, & honor, ſed onus. Sed probabilior, & ſecurior eſt opinio affirmativa. Ratio, quando præceptum inſtat, & quis poteſt adimplere, tenetur ad impletionem; ſed in die feſtivo inſtat præceptum audiendi Miſſam, & qui habet Bullam poteſt adimplere; ergo tenetur audire. Rationi opinionis contrariæ reſpondetur, privilegium non obligare ad uſum ejus, ſed conceſſum jam & acceptatum, ſi removet impedimentum aliquod, ut præceptum poſſit obſervari, obligare tunc ad obſervantiam præcepti; quia nihil eſt, quod impediat illam. Mend. *n.* 19. & alii. *Hinc reſolvitur.*

1. Quod in hac ſecunda opinione conſequenter debeat aſſeri, Familiares, & conſanguineos habentes Bullam teneri, quamvis iſti non habeant illam, audire Miſſam diebus feſtivis, tempore interdicti; quia æqualiter remotum habent impedimentum, ac ille qui Bullam habet; ſed ſi non poſſunt iſti audire Miſſam, quam ille audit ſimul cum illo, non tenebitur ille audire ſecundam, aut tertiam Miſſam, ut illi audiant, ſed tenebitur non impedire illos ſine juſta cauſa, ne audiant eam Miſſam, quam ipſe audit. Et peccabit graviter, ſi impedierit, ut peccaret in tempore, quo non foret interdictum, impediendo ſine cauſa juſta ne obligatus die feſtivo, potens, & volens audiret Miſſam.

2. Tempore ceſſationis à divinis non teneri habentem Bullam audire Miſſam, quamvis in aliqua Eccleſia celebretur; quia privilegium dumtaxat conceſſum eſt ad tempus interdicti; quia quamvis liceant aliqua in tempore ceſſationis à divinis, quæ etiam licent tempore interdicti, ſed nec ea, quæ dependent à privilegio. Cov. Nav. Med. Lop. Henr. Trull. Rodr. & alii citati à Mend. n. 25.

3. Habentes aliud quàm Bullæ privileg. ad audiendam Miſſam tempore interdicti, non teneri audire Miſſam die feſtivo, neque adhuc poſſe audire illam die aliquo durante interdicto, ſi non habent Bullam; quia quodlibet privileg. ſuſpendit Commiſſarius, & revalida: poſtea qui accipit Bullam: excipiuntur privileg. oneroſa, & lucrativa, & privileg. Religionum, de quibus poſtea agemus.

ARTICULUS II.

De privilegio accipiendi Sacramenta, & poſſe ſepeliri in loco ſacro cum moderata funeris pompa tempore interdicti.

Sacràmenta, quæ tempore interdicti accipi non poſſunt, ſunt, Euchariſtia, Ordo, Extrema unctio, & benedictiones nuptiales Matrimonii; & ut iſta poſſint accipi, concedit Bulla privilegium, modò accepturus illa nec dederit cauſam interdicto, nec per ipſum ſtet, quod non tollatur. Circa quod reſolvitur. Lud. à Cruc. Trull. Suar. Vill. Herinq. cum aliis, quos citat Mend. *d.* 15. *n.* 36.

1. Privilegium accipiendi Sacramenta non ſolùm concedi ad eorum acceptionem in Oratorio, quamvis ponatur poſt privilegium audiendi Miſſam in eodem, ſed etiam accipiendi Sacramenta in Eccleſia qualibet; quia conceſſo eo, quod majus eſt, conceditur id, quod minus privilegium eſt, quod accipiantur in Eccleſia, quàm in Oratorio.

2. Has facultates, quæ conceduntur tempore interdicti, non concedi, niſi eo modo, quo ſunt licitæ in ipſo interdicti tempore; itaque Benedictiones nuptiales non poſſunt accipi virtute privilegii in tempore Adventus, & Quadrageſimæ, ſed in tempore, quo forent licitæ, ſi interdictum non obſtaret. Nec Ordines poſſunt accipi, niſi à proprio Epiſcopo, nec Extrema unctio, & Benedictiones nuptiales, niſi à proprio Parocho.

3. Sacramentum Euchariſtiæ virtute hujus privilegii non poſſe accipi, niſi à cujus manibus licet accipi extra tempus interdicti. In Hiſpania cuncti Sacerdotes approbati ſunt ad hujus Sacramenti adminiſtrationem vel conſuetudine, vel facultate à Prælatis videntibus, & conſentientibus accepti, quando non miniſtratur pro Viatico; ſed ſi in aliqua Provincia, aut loco non eſſet iſta generalis Sacerdotum appro-

approbatio, nequiret Euchariſtia niſi è Sacerdotis approbati manibus accipi.

Coarctationem non accipiendi Euchariſtiam in Oratorio in die Paſchatis, non cadere ſupra interdictum, quia quamvis non ſit interdictum, non poteſt accipi Euchariſtia in Oratorio ad ſatisfaciendum præcepto annuæ Communionis in Paſchate: itaque abſolutè excipitur dies iſte, & potiori jure tempore interdicti. Dubio ſequenti videbimus, an tempore Paſchatis poſſit pro devotione in Oratorio communicari, ſatisfaciendo aliùs præcepto communicandi in Parochia.

Ultra quæ, conceditur in Bulla, habentem illam, ſi moriatur tempore interdicti, ſepelliri poſſe cum moderata pompa funerali.

Circa quod reſolvitur.

1. Ad gaudendum hoc privilegio, opus eſſe quod defunctus accepiſſet defunctorum Bullam; niſi fortè poſt mortem commendaſſet ſibi de aliquo accipiendam ad hunc effectum, ut dictum eſt *art.* 4. *d.* 4.

2. Morientem excommunicatum non poſſe gaudere hoc privilegio, quin poſt mortem ab excommunicatione abſolvatur.

3. Moderatam pompam funeralem eſſe dimidium ejus pompæ, quæ habetur de more, quando non eſt interdictum. Ita Card. Sed Rodr. Vill. & Trull. citati à Mendo *n.*47. ajunt debere taxari ab Epiſc. vel ejus Vicar. vel à Parocho in abſentia eorum.

4. Clericos, qui de jure communi poſſunt ſepeliri clauſis foribus, & cum officio divino in Eccleſiis, quæ non ſunt interdictæ, & in his quæ interdictæ ſpecialiter ſunt, ſine divino officio, egere Bulla, ut ſepeliantur pompa funebri moderata.

5. Etiam pueros, & amentes egere Bulla, ut gaudeant ſepultura Eccleſiaſtica tempore interdicti, & habentes poſſe ſepeliri dicta mediocri pompa.

6. Laicos habentes Bullam poſſe ſepeliri dicta pompa adhuc in Eccleſia interdicta; quia non excipit eam privilegium.

DUBIUM XII.

De Privilegiis Oratoriorum.

Non ſit mentio Oratoriorum in Bulla, præter eam, quæ ſit in privilegio antecedente, quod poſſit tempore interdicti audiri, & celebrari Miſſa in iis, ſi approbata ſint, & viſitata ab Ordinario. Occaſione hujus privilegii, variè opinantur auctores. Dicemus id, quod probabilius videbitur.

Quæritur primò: An virtute Bullæ poſſit quis erigere domi ſuæ Oratorium, in quo poſt approbationem Ordinarii poſſit celebrari Miſſa?

Trul. ſuppoſito nomine refert aliquos, qui affirmativè reſpondent, & addit Rod. id inſinuaſſe, ſed falsò. Lud. de la Cr. affirmativam tenet ſententiam, & quod poſſit habens Bullam compellere Ordinarium, ut approbet Oratorium, in Bull. *d.* 1. *c.* 5. *d.* 1.

Reſp. Hanc opinionem parum habere probabilitatis. Primo quia non habet in Bulla fundamentum; quia concedere, quod tempore interdicti poſſit audiri Miſſa in Oratorio, eſt ſupponere Oratorium erectum jam per privil. aliud, non verò concedere, ut denuo erigatur; ſicut concedere, ut audiatur Miſſa in Eccleſia tempore interdicti, ſupponit jam Eccleſiam, non verò concedit, ut denuo fiat. Quapropter incredibile eſt, hoc privilegium tam indiſcretè concedi omnibus accipientibus Bullam; cum penè nullus inveniatur infimæ plebis homuncio, qui non accipiat; quando Pontifices, ut concedant Oratorium, tantas nobilitatis, & neceſſitatis requirant circumſtantias.

Quæritur ſecundò. Quid liceat in uſu Oratoriorum privatorum virtute Bullæ.

Reſp. 1. Omnia, quæ diximus dubio antecedente circa audiendam, & celebrandam Miſſam, & accipienda Sacramenta licere in Oratoriis tempore interdicti, licita eſſe etiam quocumque alio tempore, excepto die Paſchatis; quia illa clauſula, *Aun en tempo de entre icho* habet vim in omni tempore, quamvis ſit tempus interdicti.

Reſp. 2. Si privil. eſt coarctatum, ne ultra unam Miſſam in Orat. celebretur, poſſunt virtute Bullæ celebrari, quot voluerit Oratorii Dominus.

3. Si privil. coarctatum eſt, ut nullus ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam per illam auditam in Oratorio, niſi Dominus ipſius Oratorii, quicumque habuerint Bullam, poſſunt per illam Miſſam ſatisfacere præcepto; & etiam non habentes, ſi familiares, aut conſanguinei ſint habentis Bull. & audiant Miſſam una cum illo.

4. Si privil. coarctatur, ne quibuſdam diebus feſtis celebretur Miſſa, nec accipiantur Sacramenta in Oratorio, poſſunt cele-

Digitized by Google

celebrari Miſſæ, & Sacramenta accipi virtute Bullæ in ipſis diebus feſtis, excepto die Paſchatis; de quo poſtea. Ratio, quia hæc omnia, quæ dicimus, colliguntur ex ipſis Bullæ verbis, in quibus nulla coarctatio præfigitur: itaque quamvis inferiores Prælati coarctaverint privilegia Oratorium; has coarctationes infringit conceſſio Bullæ, utpotè à Pontifice; & quamvis ipſe Pontifex coarctaſſet, per conceſſionem annuam Bullæ, coarctationes revocat; & quamvis poſt acceptam Bullam daret cum limitationibus his privilegium Oratorii, debet intelligi coarctatio pro non habentibus Bullam.

Addo: Quod quamvis fieret in limitationibus expreſſa Bullæ mentio, non poteſt Pontifex revocare privilegia Bullæ, quin ſatisfaciat quantum potuerit; quia ſunt privilegia oneroſa, ut diximus in dubio tertio. Sed attendendum eſt, ut horum privilegiorum modeſtus ſit uſus, ad vitanda inconvenientia, & præcipue in feſtis potiſſimum, in quibus conſentaneum eſt, ut cuncti Eccleſias frequentent.

Quæritur tertio: An die Paſchatis poſſit audiri Miſſa, & accipi Euchariſtia in Oratorio, virtute Bullæ?

Reſp. 1. Poſſe audiri Miſſam, quia in Bulla tantùm excipitur Euchariſtiæ acceptio.

Reſp. 2. Etiam pro devotione poſſe Euchariſtiam accipi, modò alio die ex aſſignatis ad implendum annuæ communionis præceptum, in propria Parochia accipiatur. Ratio, quia die Paſchatis licet, ut in conſuetudine apparet fidelium, accipere Euchariſtiam pro devotione in Eccleſia qualibet; ergo etiam in Oratorio privato; neque Bulla per exceptionem intendit aliud, niſi quod communio annua ex præcepto in propria Parochia fiat, ut Paſtor ovium ſuarum agnoſcat faciem.

DUBIUM XIII.

De privilegio veſcendi carnibus ex conſilio utriuſque Medici, & ovis, & lacticiniis in diebus, quibus prohibentur.

ARTICULUS I.

De Privilegio veſcendi carnibus.

Verba Bullæ ſunt hæc: *Que concede à todas las perſonas, que la tomarem; Que puedam durante el dicho anno, de conſejo de ambos Medicos eſpiritual, y corporale, comer carne in Quareſma, y otros tiempos de ayuno, y dias prohibidos de comer carne per todo el anno.*

Is, cujus neceſſitas eſt evidens, non indiget privilegio, ut veſcatur carnibus, in diebus, quibus prohibentur, & cum privilegium hoc in opinione communi omnium ſupponat neceſſitatem, quia aliàs fruſtra foret conſilium utriuſque Medici, quod requiritur; ideo quæritur, in quonam caſu privilegium iſtud locum habeat?

Reſp. Quod in caſu dubio, quando quis dubitat an indigeat eſu carnium, necne? & Medicus etiam dubitat, an cauſa ad eſum carnium ſit ſufficiens? Poteſt Epiſc. aut in ejus abſentia Vicarius, aut Parochus, abſente utroque, licentiam præbere ad eſum carnium. Igitur ut tunc poteſt quis diſpenſatione Prælati carnibus veſci, ita etiam ſine tali diſpenſatione, virtute Bullæ, de utriuſque Medici conſilio. Henriq. Rod. Vill. Ant. Gomez, Lopez, Sanch. Trul. & alii, quos citat, & ſequitur Mendo *d.17. n.6.*

Putabit aliquis, hoc jam non eſſe privilegium, cum ad ejus uſum requiratur conſilium Medici ſpiritualis, qui eſt Parochus, & hic etiam cum non habente Bullam poſſit in caſu dubio pro carnium eſu diſpenſare, non tantùm in abſentia Epiſc. & Vicarii, ut ſuprà diximus, ſed adhuc illis præſentibus, vel per tacitam Epiſcoporum conceſſionem, vel per conſuetudinem legitimè jam præſcriptam, ad eſum carnium non opus eſt privilegio Bullæ; itaque erit inutile.

Reſp. Quod ad minus, ubi non eſt introducta conſuetudo, ut diſpenſet Parochus, Privilegium habebit locum. Ultra hæc in diſpenſationibus, ut cauſa diſpenſationi adæquetur rei diſpenſatæ, imponitur aliquod gravamen, quod virtute hujus privilegii excuſatur; quia jam hic non datur diſpenſatio à Parocho, ſed tantum conſilium. Ultimò. Nomine Medici ſpiritualis non intelligitur dumtaxat Parochus, ſed etiam Confeſſarius quilibet: Neque conſilium eſt dandum in Confeſſione, ſed extra illam; unde jam privilegium hoc non habebitur inutile. *Circa quod reſolvitur.*

1. Quod è quolibet Confeſſario, quamvis non proprio, poſſit accipi conſilium; quia non requiritur in Confeſſario, niſi ſcientia, & prudentia, ut agnoſcat an verè ſit dubia cauſa, quæ ſibi proponitur, & non

non apparens, ne contemnatur facile Eccleſiaſticum præceptum, & carnes abſque neceſſitate comedantur: Quæ ſcientia ſupponitur in confeſſario quolibet, quia putatur Confeſſarius omnibus numeris abſolutus, & conſilium ejus non requiritur ut juriſdictionis actus, ſed ut hominis timorati, & docti, cauſam diſcernere valentis.

2. Quod Medicus corporalis, cujus conſilium expetitur, proponere debeat ſincerè dubium, prout ille intelligit, quin exaggeret cauſam, ut petenti licentiam morem gerat.

3. Quod ubi non eſt Medicus, nec ad illum eſt facilis recurſus, ut accidit in locis parvis, poſſit accipi conſilium ab aliquo homine experto, vel ab ipſo Confeſſario, ſi intelligit quidquam in infirmitatibus, aut languoribus, & fere nullibi eſt, qui aliquid non intelligat. Addo hominem timoratæ conſcientiæ, prudentem, & expertum, ita ut poſſit circa neceſſitatem uſus carnium arbitrari, poſſe iis veſci abſque alicujus medici conſilio. Ratio, quia nullius ex dictis Medicis in hoc caſu diſpenſat, ſeu declarat ſecundum ſcientiam, & conſcientiam, inveniri verum dubium; ergo qui pollet ſcientia, & conſcientia ad noſcendum dubium, poteſt carnibus veſci abſque alicujus Medici declaratione; ſed quia quis in propria cauſa non ita integer judex eſſe ſolet, ideo utriuſque Medici conſilio ſtandum eſt, cum haberi poteſt. Mendo *num. 9.*

4. Quod ille, qui carnibus veſcitur, hujus privilegii virtute, quamvis in reliquis formam jejunii obſervet, non jejunat: quia deeſt jejunio una pars eſſentialis, quæ eſt abſtinentia à carnibus.

ARTICULUS II.

De privilegio veſcendi ovis, & lacticiniis in Quadrageſima.

Ecce Bullæ verba: *Y que aſſimiſmo puedan libremente à ſu alvedrio comer huevos, y coſas de leche: demanera, que los que no comieren carne, guarando en lo demas la forma del ayuno Eccleſiaſtico, ayam cumplido, y ſatisfecho al dicho ayuno.*

Indultum hoc non conceditur per Bullam iſtam: *A los Patriarcas, Primados, Arcobiſcos, Obiſpos; ni otros Prelados inferiores, ni, à quale ſquira perſonas Regulares, ni à los Clericos ſeglare Presbiteros en dias de Quareſma.* Quinam iſtorum indulto per aliam Bullam gaudere poſſint? dicetur poſtea.

Sed ſi omnes iſti fuerint ſexagenarii, per hanc Bullam conceditur illis hoc privilegium, quemadmodum etiam cunctis Militarium Ordinum equitibus. *Unde reſolvitur.*

1. Eum, qui habet ſpeciale privil. ad veſcendum ovis, & lacticiniis tempore Quadrag. quamvis ſit Regularis, aut Presbyter, poſſe veſci ovis etiam accepta Bulla, quia non veſcitur iis virtute acceptæ Bullæ, ſed virtute alterius ſpecialis privilegii, cujus uſus liber illi per Bullam remanet, quæ derogat privilegia cuncta, & revalidat accipienti. Lud. à Cruce *d.1. c.3. dub.18. n.10.*

2. Quod ſi privilegium concedit, quod omnes, qui diſcumbunt ad menſam, vel ad expenſas habentis privileg. aluntur, poſſint comedere ova, & lacticinia in Quadrag., licet comedere iſta etiam Sacerdotibus, & Regularibus ad ejus menſam, vel ad ejus expenſas comedentibus etiamſi Bullam non habeant; quia ſupponimus quod privilegium valeat, & iſta liceant; & ſufficit illum, cui privil. conceditur, habere Bullam. Et, ut notat Trul. & habetur in re, aliquæ familiæ nobiles gaudent hoc privileg. in Aragonia.

3. Locis illis, ubi conſuetudo jam introducta eſt, quod ob defectum olei, ova, larido, aut pinguedine condiantur, non opus eſſe alio privilegio præter iſtud Bullæ, ut hoc condimento parata comedi poſſint, v.g. in Sicilia, Gallecia, & Peruano Regno. Et quoad uſum pinguedinis, aut laridi attendi debet loci conſuetudo.

4. Nomine Prælatorum, qui in hoc privileg. excipiuntur, eos intelligi, qui habent Eccleſiaſticam juriſdictionem.

5. Clericos ſæculares non Presb. gaudere hoc privileg. in virtute Bullæ, quamvis ſint Diaconi.

6. Card. non Presb. aut Regulares gaudere etiam hoc privilegio: quia in odioſis nomine Prælatorum non comprehenduntur.

7. Novitios, cujuſcumque Religionis ſint, non comprehendi nomine Regularium in exceptione; unde etiam gaudent hoc privilegio.

8. Epiſc. electum, qui non eſt Presb. aut Regularis, poſſe etiam hoc privilegio gaudere, ſed non ita poſt confirmationem à Papa: Ratio, quia in primo caſu non eſt Prælatus, poſt confirmationem vero jam eſt Prælatus.

V 2 9. Epiſ-

9. Epiſcopum conſecratum non Presbyterum, etiamſi renunciet Epiſcopatui, non poſſe gaudere hoc privilegio; quia remanet adhuc verè Epiſcopus, quamvis juriſdictione careat; ſed ſi electus, & confirmatus à Papa renuntiaret Epiſc. antequam conſecraretur, poſſet tunc privilegio gaudere; quia tunc non remaneret Epiſcopus, neque cum juriſdictione, quæ ſemel obtenta poteſt ceſſare, quamvis Epiſcopalis dignitas per conſecrationem obtenta nequeat amitti.

10. Quod ut hoc privilegio gaudeant hi, qui ob ſexageſimum ætatis annum excipiuntur, non eſt opus ut ſexageſimum compleverint, ſufficit attigiſſe; quia ſavores ſunt ampliandi.

11. Quod extra Quadrageſimam, in quibuſcumque diebus jejunii, licet ovorum, & lacticinorum eſus ſine Bulla, ubi in contrarium conſuetudo non extat.

12. Quod quamvis Th. Sanchez probabile putet, illum, qui ex voto, aut ex pœnitentia impoſita tenetur jejunare in Quadrageſima, ſatisfacturum jejunio comedendo ova, & lacticinia ſine Bulla, aut ſinè neceſſitate; probabilius tamen eſt contrarium; itaque non peccabit ſolùm contra præceptum Eccleſiaſticum abſtinendi ab ovis, & lacticiniis, ſed contra votum, & contra præceptum Confeſſarii; quia votum, aut præceptum Confeſſarii de jejunio non eſt de jejunio quomodolibet, ſed de jejunio Quadrageſimali. In ſum. *lib.* 4. *c.* 11.

13. Probabilius eſſe, non eſſe dies Quadrageſimales, Dominicas Quadrageſimæ, & ita in illis cunctos poſſe ovis veſci, & lacticiniis: Advertit Mendo, ſe audiviſſe à viro docto, & gravi, quod declaraviſſet Pontifex in Bulla ſpeciali, ſuam mentem eſſe comprehendere etiam Dominicas Quadrageſimæ nomine dierum quadrageſimalium: ſed ipſe Mendo reſpondet benè, de tali declaratione authenticè non conſtare, ac per conſequens non obligare; quod ſi aliquando conſtaret, illi ſtandum eſſet. Nec obſtat quod Commiſſarius Bullæ, pro jejuniis in Bulla Caſtellana, ſcripſerit dies quadrageſimales, ut etiam Dominicæ comprehenſæ dicantur; quia Commiſſarius non poteſt mutare ſubſtantiam Bullæ latinæ, ſed tantùm explicare dubia, ſi fortè ſint; & in hoc puncto non eſt dubium in Bulla Latina, ut conſtat ex verbis. Attamen contraria ſententia prohibens ova, & lacticinia in Dominicis Quadrag. eſt tuta magis, *diſp.* 18. *n.* 30. *&* 31.

14. Quod quando Bulla concedit hoc privilegium Religioſis Ordinum Militantium, intelligatur concedere non ſolùm Equitibus, ſed etiam Regularibus earundem Religionum utriuſque ſexus; quia neminem excipit Bulla Latina, præter Presbyteros, aut Prælatos. Mendo *diſt.* 18. *n.* 19. *&* 17. Affet Baſil. Leg., & alios DD. Salmant.

ARTICULUS III.

De privilegio, quod Eccleſiaſticis datur per aliam Bullam, ut ovis, & lacticiniis veſcantur.

In hac Bulla conceditur Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Prælatis, Clericis, Presbyteris ſæcularibus, quod, excepta hebdomada ſancta, poſſint veſci in Quadrageſima ovis, & lacticiniis, data eleemoſyna à Commiſſario taxata. *Circa quod reſolvitur.*

1. Quod quamvis hæc Bulla non concedatur niſi ad tempus Quadrageſimæ, durat tamen unum annum, aut naturalem, aut Eccleſiaſticum, prout diximus de Bulla vivorum dubio tertio. Itaque ſi promulgaretur hæc Bulla media Quadrageſima, licebit uſus Bullæ non ſolùm pro dimidio illo anno, ſed pro prima etiam medietate anni ſequentis.

2. Quod in hebdomada ſancta, ad quam hoc privileg. non extenditur, Dominica etiam Palmarum comprehendatur; unde qui non ſequeretur opinionem aſſerentem, quod ova, & lacticinia non licent Dominicis Quadrag., non poſſet per hanc Bullam comedere ea in Dominica Palmarum.

3. Quod nomine Prælatorum non intelligendi ſint Abbates, aut Priores Monachales, quamvis per accidens habeant in aliquo loco juriſdictionem ſæcularem; intelliguntur tamen Abbates benedictini, qui habent Eccleſiaſticam juriſdictionem. Mend. *d.* 31. *n.* 11.

5. Quod neque etiam gaudent hoc privilegio Canonici Regulares, quia ſunt verè Religioſi, & vivunt in Religione approbata; & hæc Bulla non conceditur Religioſis. Idem *n.* 10.

Quæritur: Quonam pretio Commiſſarius Bullam taxaverit?

Reſpond. primò: Quod à Patriarchis, Pri-

Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus benedictis vigintiquatuor exigerit argenteos. Et ſi in aliqua Eccleſia Cathedrali, aut Collegiata foret Abbas, ſed ſine ampliori juriſdictione, quam habent Decani, aut Priores in aliis Eccleſiis, non tenetur viginti quatuor illos argenteos portigere, ſed eam tantùm eleemoſynam, quam alii, qui ſunt Dignitates, elargiri tenentur: quia quamvis iſte nomine appelletur Abbatis, in re tamen non eſt plus quam Dignitas.

Reſp. ſecundò: Dignitatibus, & Canonicis Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum argenteos octo taxaviſſe. Quæ taxatio non intelligitur impoſita Coadjutoribus Dignitatis, aut Canonicatus; quia hi non ſunt propriè Dignitates, aut Canonici, ut docent Gar. Bar. & Trull. citati à Mendo, *n.*13.

Reſp. tertiò: Quod his, qui in Eccleſia Cathedrali, aut Collegiata habent portionem integram, aut dimidiam, etiam Parochis, & gaudentibus beneficio ſimplici, aut aſſiſtentiam petente, ſi redditus beneficii trecentorum ducatorum attingat, argenteos ſex pro Bulla taxaverit. *Hinc reſolvitur.*

1. Quod iſtorum nullus debeat ſex argenteos erogare, ſi beneficium trecenta ducata integra non attingat, etiamſi parum deſit; quia hæc taxatio eſt odioſa, & debet reſtringi.

2. Probabile eſſe, conditionem illam, ſi trecenta ducata attingit, cadere non ſolùm ſupra Beneficiatos ultimos, ſed etiam ſupra Portionarios, & Parochos; itaque ſi redditus eorum ad trecenta non pervenerint ducata, non debere huic ſtare taxationi, ſed alii viliori; quia hic eſt favor, & ideò ampliandus.

3. Quod redditus trecentorum ducatorum debeat remanere illis, exceptis oneribus, & expenſis beneficii. Itaque debent excipi & penſiones, ſi quas ſolvunt, & ſubſidium, & excuſatum, & quarta decima, etiam eleemoſyna pro Miſſarum earum numero, quas beneficiatus pro beneficii onere celebrare nequit. Trull. cit. à Mendo *d.* 31. *n.* 18.

4. Quod ad computationem trecentorum ducatorum, numerari debeant diſtributiones; quia ſunt redditus, quamvis non ſint fructus. Sed non eſt annumeranda eleemoſyna pro Miſſis, quæ non debentur beneficio; quia iſtas liberè poteſt beneficiatus celebrare per ſe, vel per alium, vel abſolutè non celebrare. Nec etiam annumerandum eſt quidquam aliud, præter redditus illos, qui beneficiato obveniunt ratione beneficii, non verò quos per accidens, & alia via obtinuerit.

5. Quod ſi dat partem redditum beneficii alii, qui pro ſe beneficio inſerviat, illa pars, quæ datur, annumeranda eſt trecentis ducatis, ac ſi ipſe beneficiatus inſerviret.

6. Quod hæc taxatio non intelligitur impoſita his, qui habent Capellanias, quamvis iſtarum redditus trecenta ducata attingant; quia quamvis intelligantur vulgò nomine beneficiorum, Commiſſarius tamen diſtinguit utroſque: iſtis Capellanis ſequentes aſſignationes.

Reſp. quartò: Habentibus Capellanias, cujuſcumque conditionis exiſtant, aut Beneficia, penſiones, aut alios redditus Eccleſiaſt. ita ut annuatim ex eis ducenta ducata percipiant, aſſignari pro eleemoſyna quatuor argenteos.

Unde reſolvitur.

Quod omnes reſolutiones, quæ dictæ ſunt poſt tertium reſponſum, excepta ultima reſolutione, debeant accommodari proportionaliter ad hoc quartum reſponſum.

2. Quod Capellaniarum nomine non intelligantur hic laicales, & quæ non obligant ad Horas Canonicas, nec officium parvum; quia hæ Capellaniæ non ſunt ſtrictè Eccleſiaſticæ; & ita quamvis iſtarum redditus ad ducenta ducata pertingant, taxatione dicta non tenentur.

3. Per redditus Eccleſiaſticos intelligi eos, qui percipiuntur aliquo titulo Eccleſiaſt. ut Præſtimonio, aut alio ſimili. Et hic includuntur Beneficia curam animarum habentia, & portiones, quæ ducenta ducata non traſgrediuntur; quia verè ſunt redditus Eccleſiaſtici.

Reſp. quartò: Cæteros quoſcumque Clericos, prædictis taxationibus non comprehenſos, quia neque dignitatem, neque redditus habent ſupradictos, teneri pro Bulla argenteos duos erogare. Et Clericorum nomine ſemper hic intelliguntur Sacerdotes; quia alii non indigent ſpeciali hac lacticiniorum Bulla, ut dictum eſt.

DUBIUM XIV.

De electione Confeſſarii approbati ab Ordinario, qui conceditur per Bullam.

Hæc ſunt verba Bullæ: *Que puedam elegir per Confeſſor a qualquier Presbytero Secular, o Regular aprobado per el Ordinario, el quales puedo abſolver una vez en la vid. y otraen el articulo de la muerte, de quale ſequiera pecados y cenſuras, aun de los reſervados, y reſervado a la Sede Apoſtolica, y de los declarados en la Bula in Cœna Domini excepto crimen y delicto de la heregia, y que conſignan, y ayan indulgencia plenaria de ellos.* Et a cenſura, & à peccatis non reſervatis Sedi Apoſtolicæ poſſint abſolvi toties quoties confeſſi fuerint, ſalutaribus pœnitentiis pro qualitate peccatorum impoſitis. Et caſu, quo opus ſit ſatisfactione ad conſequendam abſolutionem dictam, ſatisfaciant per ſe ipſos, & ſi aliquid obſtiterit, poſſint hæredes, aut alii pro eis ſatisfacere.

ARTICULUS I.

De approbatione neceſſaria in Confeſſario, ut per Bullam eligi poſſit.

Suppoſito quod approbatio, & juriſdictio diſtinguantur, ut conſtat ex dubio ſecundo, & tertio capituli 3. tract. 6. l. 6. Suppoſito etiam Bullam concedere juriſdictionem Confeſſario electo ab habente Bullam, dico quod, ut Confeſſarius poſſit eligi, debet eſſe approbatus ab Ordinario approbatione illa, quam exigit Concil. Trid. *ſeſſ. 23. c. 15. de ref.* Quia privilegium hoc Bullæ non approbat Confeſſarium, ſed requirit approbatum forma ſupradicta. Et quamvis citato loco actum fuerit jam de approbatione neceſſaria in Confeſſario agetur hic de iis, quæ de ratione Bullæ præcipuè occurrunt.

Quæritur: An approbatus in una Diœceſi, vel cum limitatione, pro aliquo tantùm loco, tempore, aut perſonis, poſſit eligi per Bullam in cunctis Diœceſibus, locis, temporibus, & pro perſonis quibuſcumque.

Reſp. 1. Primam opinionem aſſerere, Confeſſarium approbatum cum limitatione non poſſe eligi per Bullam, niſi in illa Diœceſi, loco, & tempore, in qua, & pro quibus eſt approbatus, & non extra ea, & pro perſonis tantùm, ad quarum confeſſiones eſt approbatus, & non pro aliis. Ratio, quia quando Bulla requirit approbatum illo eodem ſenſu, quo à Conc. Trid. diſponitur; Qui ſenſus debet ita intelligi, conſentaneè ad declarationem quandam Congregationis ejuſdem Concilii, & Breve expeditum ab Urban. Oct. Mend. cum aliis *d. 22. c. 4.*

Reſp. 2. Secundam opinionem aſſerere, approbatum ſemel, quamvis cum limitatione quacumque, poſſe eligi ſemper per Bullam. Ratio: Quia Bulla non exigit niſi Confeſſarium approbatum ab Ordinario; ergo ſufficit approbatio quæcumque; & cùm Bulla non coarctet, debet favor extendi latius. Hæc opinio eſt plurium, quos apud Mendo videre licet. Prima opinio tutior eſt, & probabilior. Secunda habet multùm probabilitatis ad minus extrinſecæ, quam poteſt quis tutè amplecti cum reſtrictionibus quibuſdam, quæ reſolutionibus ſequentibus adſcribentur.

Reſolvitur 1. Parochum ubilibet, & pro quibuſcumque perſonis poſſe per Bullam eligi, in utraque opinione; quia ex quo conſtitutus fuit Parochus, approbatus fuit ab Eccleſia, ut miniſter publicus ejus, ſine reſtrictione aliqua.

2. Quod quamvis animarum curæ renuntiaverit, poſſit eodem etiam modo eligi; Quia per renuntiationem non amittit approbationem, ſed juriſdictionem tribuit ei Bulla in ordine ad eligentem; quamvis Buſembaum ſentiat loc. cit. ſummæ, amiſiſſe approbationem; ſed ſi non renuntiavit animarum curæ, ſed talis cura ablata eſt ei ob culpas, aut dementiam, aut ignorantiam, quæ ſupervenit, non poterit eligi; quia tunc etiam ablata eſt ei approbatio, quæ conceſſa fuit in collatione Beneficii, & remanet ipſe ſine illo publico aptitudinis teſtimonio.

3. Quod ſi coarctatio, qua quis approbatur pro quibuſdam perſonis audiendis, ver. gr. pro viris, & non pro fœminis, nititur in levitate, & fragilitate morum ipſius Confeſſarii, præcipuè ſi convictus ſit, quod parum cautum in Confeſſionibus audiendis ſe geſſerit, non poſſit eligi per Bullam ad audiendas fœminarum Confeſſiones. In quo conveniunt utriuſque opinionis auctores; quia approbatio non ſolùm eſt teſtimonium ſcientiæ, ſed etiam prudentiæ, & gravitatis morum, quam approbationem abſolutè non habet

bet, qui ob defectum modeſtiæ, & cautelæ coarctatam habuit approbationem: ſed quando approbatio reſtringitur ob id tantùm, quod ad quadrageſimum ætatis annum non pervenerit, ut communiter ſolet à Prælatis coarctari. Secunda opinio docet, à quibuſcumque eligi poſſe perſonis. Quam opinionem, ultra plures ejus auctores, probabilem etiam docent Thomas Sanch. & Dian. citati à Trull. Boſio, & Lugo citat. à Leand. quamvis Lugo contrarium ſequatur, ut videre licet apud Mend. *d.* 22. *n.*68.

4. Quod ſi quis approbatus eſt pro uno loco, v. g. ruſticorum, quamvis multi ſentiant poſſe ubique per Bullam eligi, ſed alii advertunt, alii ſupponunt, quod ſi coarctatio pro uno loco eſt ob ſcientiæ defectum, non poſſit eligi niſi ab incolis ejus loci: Leander tamen ſentit, quod quamvis coarctatio ſit ob defectum ſcientiæ, poſſit eligi in tota Diœceſi; & conſequenter poterat aſſerere, ubique eligi poſſe; quia ratio Leandri æqualiter probat utrumque; ſed conſequentius reliqui negant auctores; quia approbatio eſt æquè teſtimonium ſcientiæ, ac gravitatis morum: & qui ob hujus gravitatis defectum non approbatur niſi ad audiendos homines, ſentiunt omnes ipſum non poſſe à fœminis eligi per Bullam. Ergo qui ob defectum ſcientiæ non approbatur niſi pro uno loco, qui eſt ruſticorum, non poterit eligi ab iis, pro quibus judicatur ignarus. Leand. *t* 5. *tr*.5. *d*.11 *q*.69.

5. Eum, qui approbatus fuit pro determinato tempore, poſſe per Bullam eligi, tempore adhuc tranſacto. Et quamvis opinionem iſtam non ſentiant communiter auctores ſecundæ opinionis; tamen hanc docet Acoſta *in Bull. quæſt.* 39. & Leand. *ubi ſup. q.* 71. Sed hic non abſolutè, ſed caſu, quo illa temporis coarctatio à ſola tantùm Prælati voluntate fluxerit, non autem ſi ab alia cauſa non proceſſerit. Quamvis conformius ad principia conſequentius affirmare poſſet magis abſolutè Leand. Minus habet probabilitatis in hoc puncto ſecunda opinio.

6. Quod quamvis nequeat eligi, qui poſt approbationem reprobatus fuit juſta cauſa; quando tamen evidenter abſque cauſa reprobatus fuit, eligi poſſe ſentiunt multi. In dubio an cauſa ſit juſta, vel non, debet judicari juſta; quia præſumptio debet eſſe pro Prælato.

7. Confeſſarium Regularem Ordinis Mendicantis (quod idem ſentio de quocumque alio Ordine privilegia participante Mendicantium) ſatis eſſe, ſemel approbatum eſſe pro una Diœceſi, ut poſſit eligi in ea, durante vita, & juriſdictione Epiſcopi, à quo fuit approbatus: niſi fortè aliqua urgentiſſima extiterit cauſa juridicè probata, ut ipſe reprobetur; quia dicti Mendicantes gaudent hoc privilegio, ut approbati ſemel ab uno Epiſcopo pro una Diœceſi, non poſſint in eadem reprobari ab eodem Epiſcopo ſine cauſa. Itaque in revocationibus generalibus, quas promulgat Epiſcopus circa approbationes Confeſſariorum, non revocantur Mendicantium approbationes, quos ſemel approbavit. Quare adhuc poſt revocationes eas, poſſunt iſti eligi, virtute Bullæ. Et hæc eſt omnium communis opinio.

8. Quod cùm in Bulla Latina leguntur verba iſta: *Et quod Regulares, qui ſemel approbati fuerint*: Videtur ſufficere, quod Regularis ſemel approbetur, ut ſemper, & in qualibet Diœceſi, & ſine limitatione aliqua poſſit eligi; quia privilegia Bullæ explicanda ſunt ea latitudine, qua favores; & illa verba in hoc ſenſu ſine violentia interpretationem iſtam admittunt.

9. Quod Regularis, quem Superiores ſui ab audiendis prohibent Confeſſionibus, ſi approbatus eſt ab Ordinario, poſſit eligi virtute Bullæ; quia in illo concurrunt omnes requiſitæ conditiones. An peccet, necne, audiens Confeſſiones contra Superioris præceptum, colligi poteſt ex circumſtantiis, & modo, quo tale præceptum impoſitum fuit.

10. Poſſe etiam eligi Confeſſarium Regularem, qui approbatus eſt ab Ordinario, quamvis à Superiore proprio non fuerit præſentatus. Suar. *t*.4. *in* 3. *p. d*.28. *ſ*.5. *n*.15.

11. Viaticum Parochi, poſtquam Parochus deſinit Parochus eſſe, niſi habeat approbationem alio titulo, non poſſe eligi virtute Bullæ, quia etſi Parochus, qui voluntariè renuntiavit animarum curæ, poſſit eligi, ut dictum eſt, hoc ideo accidit, quia habet approbationem ab Eccleſia, ut miniſter ejus publicus; Vicarius autem non habet talem approbationem, niſi quatenus gerit Parochi vices. Hæc dicta ſint conſequenter ad opinionem primam, quia in ſecunda opinione aſſerendum conſequenter eligi poſſe.

12. Evidenter ineptum, quamvis approbatus ſit, non poſſe per Bullam eligi, vel ineptitudo ſupervenerit, vel anteceſſerit ipſam; quia ſi præceſſerit, debet approbatio cenſeri ſubreptitia; Et ſi conſtitit de ineptitudine ipſi Epiſcopo, data etiam approbatio non valet; quia non habet juriſdictionem approbandi in deſtructionem, ſed in ædificationem: itaque non cenſetur habere juriſdictionem ad approbandum ineptum. Si dubitaretur de ineptitudine, deberet cenſeri aptus; quia præſumptio debet ſtare pro approbante. Mend. *d.* 22. *n.* 105.

13. Non poſſe eligi Confeſſarium approbatum ab Ordinario excommunicato non tolerato, neque à ſuſpenſo ab Officio, & juriſdictione; quia verè ille Confeſſarius non eſt approbatus; nam approbatio eſt actus juriſdictionis, quam Epiſcopus ita excommunicatus, & ſuſpenſus exercere non valet.

14. Poſſe eligi eum, qui approbatus eſt univerſaliter ab Epiſcopo ad Sacramenta adminiſtranda. Item eum, qui approbatus eſt ab Epiſcopo approbatione tacita, aut ratihabitione; v. g. ſi Epiſcopus vidit eum audientem confeſſionem, & non prohibuit, vel permiſit eum audientem. Mend. *d.* 22. *n.* 114. cum aliis.

15. Confeſſarium electum virtute Bullæ, & ſufficienter approbatum conſentaneè ad opinionem probabilem, quamvis ſit minus tuta, & revera falſa, abſolutum validè; quia in hoc caſu tribuit Eccleſia approbationem, ut in ſimilibus juriſdictionem, quando opus ſit cum opinione probabili. Neque peccabit Confeſſarius contra charitatem, neque juſtitiam; quia non exponit pœnitentem periculo gravis detrimenti, quod non eſt quando confeſſio, & abſolutio ſunt validæ. Sal. Vaſq. Bon. Sanc. & plures alii relati à Leand. de Sac. *t.* 1. *tr.* 5. *d.* 15. *q.* 79.

16. Approbationem neceſſariam in Confeſſario, ut poſſit eligi virtute Bullæ in ordine ad Confeſſionem, eſſe etiam neceſſariam ad gaudium aliorum privilegiorum, quæ concedit Bulla cum interventione Confeſſarii.

17. Non eſſe neceſſariam formulam aliquam verborum, ut eligatur, ſed ſufficere pœnitentem habere Bullam, & quod ſciat Confeſſarius, ut operari poſſit benefaciendo pœnitenti, quidquid concedit Bulla.

ARTICULUS II.

De poteſtate Confeſſarii electi virtute Bullæ quoad abſolutionem culparum reſervatarum, & non reſervatarum.

Poteſt Confeſſarius virtute Bullæ electus abſolvere pœnitentem ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis à quibuſcumque peccatis quocumque modò Apoſtolicæ Sedi reſervatis, excepto crimine hæreſis. A non reſervatis verò, toties quoties pœnitens confeſſus fuerit. Si autem peccatum, aut cenſura, à qua cupit abſolvi, ſatisfactionem expoſtulat, præmonet Bulla non abſolvendum forè, quin prius per ſe, aut ſi ipſe non poteſt, per hæredes ſuos ſatisfactionem reddat. *Hinc reſolvitur.*

1. Quod privilegium, quo gaudet habens Bullam, ut abſolvatur à peccatis, non tantùm intelligitur de abſolutione à peccatis commiſſis poſt acceptionem Bullæ, ſed de illis etiam, quæ ante acceptionem commiſſa ſunt. Ratio, quia Bulla non diſtinguit alia peccata ab aliis, ſed ejus verba peccata omnia generaliter comprehendunt. Th. Sanc. *in ſumm. t.* 1. *l.* 4. *c.* 53. *n.* 26. cum multis aliis.

2. Abſolvi poſſe per Bullam, qui in fide Bullæ peccavit, ita ut non peccaret, niſi ſperaret virtute Bullæ abſolvi poſſe; quia exceptio firmat regulam in contrarium; & cum excipiatur dumtaxat privilegium componendi bona habita mala fide, quæ incerti ſunt Domini, & privilegium Indulgentiæ in articulo mortis, ne poſſint eo gaudere, qui operati ſunt, vel ſocordes fuerunt in fide Bullæ, reſtat aliam partem eſſe firmatam. Con. Sanct. Fil. allegati à Mend. *d.* 23. *n.* 6.

3. Quod ſi caſus Sedi Apoſtolicæ reſervati ſunt occulti poſſit pœnitens virtute Bullæ abſolvi ab illis toties, quoties confeſſus fuerit; quia quando ſunt occulti, non reſervantur niſi Epiſcopo, ut conſtat ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de ref. c.* 6. excipitur crimen hæreſis, de quo poſtea.

4. Quod in locis, ubi Bulla valeret, Tridentinum tamen non eſſet acceptum, non poſſet abſolvi pœnitens virtute Bullæ à peccatis Apoſtolicæ Sedi reſervatis, quamvis occultis, toties quoties confiteretur, ſed ſemel in vita, & ſemel in morte: Quia ibi non eſſet ablata reſervatio reſpectu Epiſcoporum, & ita non poſſent illi abſolvere

ab

ab his occultis caſibus; quia ubi non admittitur Concilium ad onus, neque etiam admittitur ad favorem.

5. Poſſe abſolvi quoſque à prædictis caſibus virtute Bullæ, toties quoties confeſſi fuerint, non ſolùm quando ſunt occulti, ut nemo poſſit eos probare, ſed etiam quando conſtant aliquibus, modo vulgo non ſciantur, neque in forum contentioſum ſint deducti; quia occultum hic accipitur quatenus opponitur publico, & notorio; & ita accipitur à Tridentino, ut etiam in jure uſitatur. Quod autem à caſibus occultis in prædicto ſenſu poſſint Epiſcopi abſolvere, quamvis ſint Pontifici Summo reſervati, docent D. D. citat. à Mend. *d. 23. n. 68.*

6. Quod quamvis dicti caſus ſint publici in uno loco: ſi in alio ſunt occulti, in quo non timentur faciendi publici, & divulgandi, poſſit ibi ab illis abſolvi pœnitens, virtute Bullæ. Quod etiam dicimus, quamvis deducti fuerint ad contentioſum forum, modo alia via non ſint publici, & reus ſententiam declaratoriam pro ſe obtinuerit; quia tunc caſus illi adhuc remanent occulti. Idem cum aliis, *n. 69.* Et Diana putat veram hanc ſententiam, quamvis reus per turpia media ſententiam ſibi faventem obtinuerit, & quamvis non obtinuerit ſententiam definitivam, ſed interloquatoriam, in qua ſolùm abſolutus fuerit ab inſtantia, ita ut poſſit iterùm pro eodem delicto vocari in judicium; quia tunc caſus iſte adhuc remanet occultus, & per illam ſententiam deletur infamia, quæ orta erat ex crimine ad forum deducto contentioſum, & cauſa reſtituta permanet ſtatui antiquo. Ratio, quia poteſt Epiſcopus abſolvere à culpis Pontifici reſervatis, quando aliquo ex dictis modis ſunt occultæ. Henriq. Caſp. Trull. Suar. Caſtr. Palao, & alii, quos affert Mendo, *numero 70.* Diana *p. 7. tractat. 1. reſol. 18.*

7. Quod eſt probabile, poſſe quemquam abſolvi virtute Bullæ, toties quoties confeſſus fuerit, à peccatis Pontifici reſervatis, pro quibus fuit jam in foro contentioſo caſtigatus; quia probabile eſt, poſſe ab illis abſolvi ab ipſo Epiſcopo, Mend. *d. 23. n. 71.* cum aliis.

8. Quod quamvis crimen hæreſis excipiatur, non intelligitur hæc exceptio de hæreſi purè interna; quia hæc non eſt reſervata: & ita à peccatis iſtis poteſt quilibet reprobatus Confeſſarius abſolvere ſola juriſdictione ordinaria.

9. Quod neque etiam intelligatur de hæreſi naturali, aut purè externa, quando aliquis, v. g. ſignis, aut verbis, declarat hæreſim, ob aliquem externum metum, aut convenientiam, conſervando in corde fidem. Itaque poteſt quis ab hac hæreſi abſolvi à quocumque Confeſſario approbato; quia qui in talem hæreſim incidit, nec hæreticus eſt, neque excommunicatus; ſi vero qui exterius negat fidem, idolatrat, incurrit excommunicationem impoſitam à Papa Joanne vigeſimo ſecundo in Extravaganti *ſuper illius ſpecula*, à qua poteſt quilibet Confeſſarius approbatus abſolvere; quia non eſt reſervata. Syl. Navarr. Sayr. Bard. Lud. à Cruc. Thom. Sanchez, Azor. Trull. & alii, quos citat Mend. *n. 90.*

10. Hæreſim, à qua non poteſt quis abſolvi virtute Bullæ, eſſe hæreſim formalem externam, vel ſit publica, vel occulta. Quæ ut ſit externa, opus eſt, quod verbis, vel ſignis declarata ſit, ita ut ſi aliquis audiret, vel videret, poſſet cognoſcere hæreticum animum pronuntiantis, aut facientis. Nec opus eſt, quod aliquis videat ſigna, vel audiat verba, ut hæreſis ſit externa; ſufficit poſſe videri, aut audiri ab aliquo, ſi adeſſet, quamvis per accidens non adſit. Quando hæc hæreſis formalis externa eſt occulta, videtur quod ſi poteſt ab ea Epiſcopus abſolvere, ut docent plures, quod etiam poſſet abſolvi quis ab ea, virtute Bullæ, ut diximus de caſibus reliquis Pontifici reſervatis, quando ſunt occulti; & hæc abſolutio poſſet obtineri toties quoties quis confiteretur. Sed conceſſo etiam, quod Epiſcopi poſſent abſolvere ab illa, quando eſt occulta, & quod per Bullam *in Cœna Domini* non derogetur illis facultas, quam habent à Concilio Tridentino, ut poſſint abſolvere ab ea, quod negant plures, quos apud Mendo *n. 8.* videre licet: adhuc dico, quod virtute Bullæ non poteſt abſolvi ab hæreſi occulta dicta, quia expreſsè excipitur in Bulla, & hæc eſt mens Pontificum, & praxis communis. Et quamvis videatur exceptionem non cadere niſi ſuprà hæreſim publicam, & ſemel in vita, & ſemel in morte non poſſit abſolvi ab illa; ut poteſt abſolvi à cæteris peccatis Pontifici reſervatis; Aſſero, cadere etiam ſupra hæreſim occultam, ne poſſit quis abſolvi ab ea

toties

Digitized by Google

toties quoties quis confiteatur: Quia tota abſolvendi facultas vel à peccatis publicis vel occultis legitur in eadem clauſula, in qua legitur exceptio, & fit obviam, dexteritate prudenti: nam conſtat ex dictis, potentem abſolvere à peccato Pontifici reſervato, quando eſt occultum toties quoties poſſe virtute Bullæ abſolvere ab eodem, quando eſt publicum ſemel in vita, & ſemel in morte: Ergo qui non poteſt ab hæreſi publica, & ſemel in vita, &c. ut non poteſt Confeſſarius virtute Bullæ, neque etiam poteſt abſolvere ab eadem, quando eſt occulta, toties quoties. Idem *d.* 23. *c.* 24.

11. Idem, quod dicitur quoad abſolutionem à crimine hæreſis, debere dici quoad apoſtaſiam à fide, potiori jure.

12. Quod à reliquis peccatis, excepta hæreſi, & apoſtaſia, quamvis reſervata ſint peccata Inquiſitoribus, poteſt quis abſolvi virtute Bullæ, & etiam ab iis, quæ non ſunt Apoſtolicæ Sedi reſervata, toties quoties confeſſus fuerit.

Quæritur primò: Quodnam ſit privilegium Bullæ, quando concedit, quod ſemel in articulo mortis poſſit quis abſolvi à caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis?

Ratio dubitandi eſt: Quia in illo articulo neque caſus eſt, neque cenſura ulla reſervata: ergo nihil per iſtud privilegium conceditur.

Reſp. 1. Quoad iſtos caſus reſervatos Pontifici, qui omnes habent annexam cenſuram, concedi, abſolutum ab illis virtute Bullæ in articulo mortis, manere ſine obligatione præſentandi ſe Pontifici ratione cenſuræ, caſu quo ille mortem evaſerit. Quæ obligatio remanet, quando in illo articulo abſolvitur à Confeſſario, de juriſdictione tantùm ordinaria, qui abſolutus, ſi non præſentatur, reincidit in eandem cenſuram. Quod idem dicimus de caſibus cum cenſura reſervatis aliis Superioribus inferioribus Pontifice: Quod abſolutus ab illis virtute Bullæ in articulo mortis, non teneatur ſe præſentare poſtea Superiori; abſolutus verò à Confeſſario, de juriſdictione tantùm ordinaria remaneat ſine obligatione iſta. San. Vaſquez, Lugo, Gaſp. Hurt. Leand. quos citat Mend. *n.* 102.

Reſp. 2. Quoad caſus ſine cenſura reſervatos, verum eſſe privilegium iſtud nihil operari; quia obligatio, qua tenetur præſentandi ſe abſolutus in articulo mortis, tantùm eſt ratione cenſuræ, non ut abſolvatur ab eadem cenſura, quia jam fuit ab illa abſolutus, ſed ut ſuperior videat, an oporteat imponere illis ſatisfactionem aliam, vel applicare illi aliam ſpiritualem medicinam?

Unde reſolvitur.

Hoc privilegium abſolvendi in articulo mortis poſſe haberi in uſu, in articulo etiam mortis, & quod hoc periculum debeat intelligi in caſibus ſupradictis, *d.* 10. *art.* 3. *in reſ. ad quæſitum* 5. *& reſolutione ejus.*

Quæritur ſecundò: Quibuſnam verbis, aut forma abſolvendum ſit virtute Bullæ à peccatis, & cenſuris.

Reſp. Quamvis in Bulla vulgari ponatur forma, non tamen neceſſarium eſſe illam obſervare, ſed ſufficere, Confeſſarium abſolvere in forma, quæ communiter uſitatur, advertendo tamen abſolvere virtute Bullæ. Hic debebant adſcribi caſus Pontifici reſervati; ſed cùm nullus ſit reſervatus, qui non habeat annexam cenſuram, ponuntur iſti caſus in tractatu de cenſuris *l.* 7. *cap.* 2. *d.* 4. *art.* 3. 4. 5. ubi videre licet.

Qui autem antiquo jure reſervati erant Epiſcopis, jam non ſunt reſervati; quia conſuetudo abrogavit reſervationem: itaque inquirendi ſunt ii, qui in qualibet Diœceſi ſunt reſervati.

ARTICULUS III.

Unde poſſint Regulares eligere virtute Bullæ Confeſſarium, qui eos abſolvat à peccatis reſervatis, & non reſervatis?

Reſp. 1. Non poſſe quoad caſus reſervatos, neque Confeſſarium ordinarium Monaſterii, vel domus poſſe abſolvere ab illis virtute Bullæ. Hæc ſententia eſt communis; & quamvis ante decretum Urbani Octavi, Doctores aliqui graves contrarium ſenſerint, poſt illud tamen decretum nemo audet eam defendere; quia parum jam, aut nihil habet probabilitatis. Fundamentum robuſtum, & Achilles noſtræ ſententiæ nititur in Bulla, quam decimo nono die Junii anni 1630. expedivit Urbanus VIII. & refert Mend. *n.* 122. *diſp.* 24. Ubi declarat: Non eſſe mentem Apoſt. Sedis, quando Bulla Cruciatæ conceditur concedere Regularibus privilegium, ut ab-

abſolvi poſſint à reſervatis. Videatur Mend. c. 11. d. 24.

Reſp. 2. Quoad caſus non reſervatos poſſe Regulares gaudere privilegio Bullæ, ut poſſint eligere Confeſſarium approbatum, quem voluerint, ut abſolvantur; quamvis erit non præſumere privilegium renitente Prælato. Ratio deſumitur ex ipſa Urbani Bulla, in qua dumtaxat excipitur, quod Regulares non poſſint gaudere privilegio Bullæ quoad caſus reſervatos ergo poſſunt gaudere quoad non reſervatos, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Mend. cum pluribus, quos citat d. 24. n. 185.

Quæritur primò: An Novitii poſſint gaudere virtute Bullæ quoad caſus reſervatos?

Reſpond. affirmativè: Quia novitii non comprehenduntur nomine Religioſorum, quoad odioſa.

Quæritur ſecundò: An Regularibus Ordinum Militantium prohibeatur, per decretum Urbani, gaudere Bulla quoad abſolutionem à reſervatis?

Reſp. affirmativè, ſi forſan in Regionibus his caſus ſint reſervati; quia Bulla comprehendit Regulares Mendicantes, & non Mendicantes, quin excipiat quoſquam quamvis ſpeciali nota aliqui ſint digni. Dixi, *Si forſan in Religionibus his caſus ſint reſervati*, quia Mendo *nn.* 173. aſſerit ſe audiviſſe à perſonis fide dignis, & habentibus interiorem notitiam ſtatutorum dictarum Religionum, nullos in his haberi caſus reſervatos.

DUBIUM XV.

De poteſtate Confeſſarii in virtute Bullæ quoad abſolutionem à cenſuris.

ARTICULUS I.

De Cenſuris in generali.

Concedit Bulla, quod poſuit quis eligere Confeſſarium approbatum, qui poſſit eligentem abſolvere à cenſuris Apoſtolicæ Sedi reſervatis, ſemel in vita, & ſemel in morte; à non reſervatis verò Sedi Apoſtolicæ toties quoties confeſſus fuerit.

Unde reſolvitur.

1. Quod ea, quæ dicta ſunt quoad abſolutionem à caſibus reſervatis tam Pontifici, quàm aliis inferioribus Prælatis, dicenda ſunt proportionaliter quoad abſolutionem à cenſuris.

2. Quod cùm ab his, quæ Papæ non ſunt reſervatæ, licet abſolutio toties quoties, etiam à reſervatis Papæ liceat abſolutio toties quoties, ſi fuerint occultæ excepta illa cenſura, quæ incurritur per hæreſim formalem externam; quia hæc quamvis ſit occulta, non poteſt abſolvi, ut diximus de crimine hæreſis reſervatos.

3. Quod quamvis non ſit neceſſarium ad abſolvendum à cenſuris, eſſe ordinatum in ſacris: ad abſolvendum tamen ab illis virtute Bullæ, neceſſarium eſſe Confeſſarium approbatum; quia ſoli iſti committitur Bullæ facultas.

4. Quod à cenſuris poſſit abſolvi abſens neque *in foro conſcientia* non eſt abſolutus; quia virtute Bullæ non conceditur abſolutio ad forum externum; ergo conceditur ad internum tantummodò. Quamvis videbimus poſtea, an aliquibus caſibus poſſit etiam ad externum forum?

5. Quod ſi eſt pars læſa, debeat abſolutus à cenſuris virtutis Bullæ ſatisfacere per ſe, aut per hæredes ſuos. Et pro hac ſatisfactione reddenda, debeat præſtare cautionem ſufficientem judicio prudentis Confeſſarii: quod poſſit per hæredes ſuos ſatisfacere, intelligitur quando ſatisfacturus abſolvitur in mortis articulo; quia extra articulum hunc, non debet ad hæredes ſatisfactio tranſire, quando ſtatim poteſt adimpleri ſatisfactio.

6. Quod virtute Bullæ poſſit Confeſſarius abſolvere in foro conſcientiæ à cenſuris generalibus *ab homine*, quamvis qui excommunicationem impoſuit, abſolutionem ſibi reſervaverit. Etiam à cenſuris particularibus *ab homine* poteſt quis abſolvi in eodem foro, quando ſatisfactum eſt parti læſæ, vel data eſt ſufficiens cautio, aut quando ſatisfactio eſt impoſſibilis, vel cum parte conventum eſt; quia in Bulla non excipiuntur cenſuræ particulares *ab homine*; & ita non debet coarctari facultas abſolvendi ab illis, obſervatis debitis requiſitis. Henr. Thom. Sanch. Acoſta, Sayrus, Dian. Cov. Navar. Lud. à Cruc. Trull. quos citat, & ſeq. Mendo *d.* 25. *n.* 121.

7. Quod quamvis delictum, per quod cenſura Papæ reſervata contracta eſt, ad forum contentioſum deductum ſit, verb. gr.

gr. percuſſio Clerici, ſi parti ſatisfactum fuerit, vel cautio data ſufficiens, poſſit quis virtute Bullæ abſolvi ab eo ſemel in vita, ſed non ultra; quia eſt delictum publicum.

8. Quod ſi pœnitens reddit ſufficientem cautionem judicio prudentis Confeſſarii, quam tamen cautionem læſa pars non vult admittere, quia non videtur ſibi ſufficiens, non debeat iſtius læſæ partis malitia beneficio abſolutionis obſtare: Poteſt itaque virtute Bullæ abſolvi in foro interno reſervata cenſura: ſed in his omnibus caſibus, & ſimilibus, in quibus juriſdictio judicis perturbari poſſet, debet Confeſſarius admonere pœnitentem, ut in exterioribus ut cenſura ligatum ſe gerat. Quod ſi videatur Confeſſario, pœnitentem præ ignorantia, vel alia quacumque ratione admonitionem non obſervaturum, non debet abſolvere; ſed ſi tamen abſolveret, quamvis illicitè faceret, abſolutio teneret. Mend. *n.* 230.

9. Quod abſolutus in foro interno à cenſura, ſi habet beneficium, antequam abſolvatur in foro externo, validè poſſit beneficium retinere, ejuſque fructus percipere, quamvis judex poſſit eum reconvenire, & beneficio privare; quia quamvis in foro conſcientiæ fuerit collatio valida, in externo foro non judicatur de occultis.

10. Abſolutionem datam virtute Bullæ ſine ſatisfactione partis, aut cautione, validam eſſe, quamvis illicitam. Ratio, quia clauſula, quæ legitur in Bulla, quod parti fiat ſatis, non eſt ad coarctandam facultatem abſolvendi, ſed ad formam juris advertendam, ut obſervetur. Auctores plures, quos apud Mendo *num.* 219. videre eſt, contrarium ſentiunt. Quia Pontifex non tribuit facultatem abſolvendi per Bullam, niſi appoſita conditione illa, ut parti fiat ſatis: ergo ſi deficit conditio illa, deficit etiam facultas. Hæc ſententia eſt tutior, quamvis prima ſententia probabilior, quia ejus ratio robuſtior. Thom. Sanch. Barb. Val. Avila, Dian. citati à Mend. *n.* 138.

11 Quod cautio, quæ ante abſolutionem debet dari, vel ſit pignoratitia, vel ſit fidejuſſoria, danda ſit parti, vel partis jure gaudenti, ut videat an ſibi pignus, vel fidejuſſio pro cautione ſufficiant? Et ſufficiet quod Confeſſario detur pignus, quia eo ſecuritas habetur. Quando per juſjurandum præſtatur cautio, ſufficit Confeſſarium accipere talem cautionem, & hoc confirmat communis praxis.

Quæritur primò: An abſolutio, quæ tribuitur in foro conſcientiæ virtute Bullæ, poſſit valere in externo foro ad effectum aliquem?

Reſp. Affirmativè; quando parti realiter ſatisfactum eſt, vel conventio ad ejus arbitrium facta fuit, aut quando non eſt pars læſa, vel cauſa ad forum contentioſum non eſt deducta, excepto caſu publicæ percuſſionis Clerici. Ratio, quia verè tollitur cenſura per abſolutionem in foro interno: ergo ſi non eſt ſcandalum, neque ordini judiciali præjudicatur, ſi de abſolutione conſtet, poteſt ad externum valere forum. Ne ſcandalum fiat, qui incurrit cenſuram, debet non ſe gerere ut abſolutum, quouſque de abſolutione conſtiterit, vel per fidem adhibitam à Confeſſario, obtenta licentia ab ipſo abſoluto, ſi abſolutio fuit in confeſſione facta, vel abſolvendo eum coram teſtibus, & Notario, vel tradendo pœnitenti teſtimonium manu propria ſubſcriptum, adhibita fide Notarii, quod litteræ illæ, & ſubſcriptio ſit ipſius Confeſſarii, vel alio quovis modo, quo abſolutio publicari, & fidem facere poſſit. Neque præjudicatur ordini judiciali, ſi parti ſatisfactum fuerit; quia judicialis ordo inſtitutus fuit pro tali partis ſatisfactione; quod ſi pars non eſſet, adhuc poteſt judex habere ſe benignè, & admittere in ſuo foro abſolutionem illam expellendo accuſatorem. Et adhuc Valerus addit, Judicem teneri admittere illam; quia ſatisfactum eſt parti, & ſit illi injuria: unde infertur, hanc eſſe Pontificum mentem, ſiquidem volunt, abſolutionem virtute Jubilæorum conceſſam, ad forum valere externum ſatisfacta parte: & ita declaravit Greg. XIV. anno 1501. & Pius V. anno 1648. Sed cum ſit probabilis opinio, quod abſolutio in foro conſcientiæ data non valeat in exteriori foro, poteſt judex illam non admittere arbitrio ſuo. Itaque quando dicimus, talem abſolutionem ad forum valere exterius, volumus intelligi ſi judex non repugnet in caſu jam ad ejus forum deducto, quia intelligentia ordo judicialis perturbari nequit. Med. Rodr. Ferr. Sim. Dec. Paul. Pari. Henr. Cand. Avil. Trul. Mend. *n.* 158.

Quæ-

Digitized by Google

Quæritur ſecundò: An per Bullam poſſit abſolvi ad reincidentiam, ita ut abſolutus in eamdem cenſuram reincidat, niſi adimpleat quod ſibi fuit impoſitum?

Reſp. negativè, quia ſolùm poteſt abſolvere ad reincidentiam qui poteſt ferre cenſuras: Confeſſarius autem virtute Bullæ non poteſt cenſuras ferre, ſed abſolvere.

ARTICULUS II.

De Cenſuris in particulari?

Triplex eſt cenſura, excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. Hic aſſignandæ ſunt quæ uniuſcujuſque ſpeciei ex aſſignatis reſervantur Pontifici, ne Confeſſarius à poteſtate ſibi per Bullam conceſſa excedat, abſolvens ab illis ulterius quam ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, quando cenſuræ incurſæ ſunt publicæ.

Excommunicationes reſervatæ Pontifici apud Bullam *in Cœna Domini*, apud jus, & extra illud, invenientur, ut diximus, *l. 7. c. 2. d. 2. a. 3. n. 4. & 5.* ſuper quibus nulla hic offertur difficultas ratione Bullæ, de qua agendum ſit.

Suſpenſiones communiores, quæ inveniuntur in jure, habentur in hac ſumma, *l. 7. c. 3. d. 2.* Quibus addo duas: Primam capitis primi *de ordinatis, ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui.* Ubi ſuſpenditur ab ordinum executione, qui accipit ordines ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui: Quod ſi acceperit ordines ſciens & prudens renunciationis, ſuſpenſio hæc reſervatur Papæ; ſi autem ignarus renunciationis, reſervantur Epiſcopo. Secundam: Si evenerit, ut Pontifex diſpenſaret cum Diacono ad contrahendum matrimonium, & juſtè etiam ſuſpenderet illam ab uſu ordinis Subdiaconatus finito matrimonio, ſolus Pontifex poſſet talem ſuſpenſionem auferre ſed ſi eſt matrimonium ratum, & diſſolvitur per ingreſſum Religionis, Diœceſanus Epiſcopus poteſt abſolvere.

Cunctæ ſuſpenſiones impoſitæ à jure in pœnam alicujus criminis, prout communis fert ſententia, Pontifici reſervantur. Quod idem de ſuſpenſionibus extra jus à Summis Pontificibus impoſitis ſentiendum eſt. Panor. *c. 2. de ſol. n. 5.* Sylv. verb. Suſp. *n.* 8. Fel. *ibid.* Mendo *d. 26. n. 96.* & alii plures.

Quæ autem imponuntur in jure non in pœnam, ſed pro contumacia, & non reſervantur, poteſt abſolvere Epiſcopus: Quia cum non ſit pœna, ſed medicina, neque Pontifex eas ſibi reſervet, patitur lex hanc benignam interpretationem.

Interdictum aut eſt locale, aut perſonale. Certum eſt autem, locale non poſſe Bullæ virtute tolli, ſed perſonale; quia Bulla eſt privilegium perſonæ, non loci.

Interdicta à jure ſunt multa, quæ refert Mendo in *c. 9. d. 25.* remittens ad ſpeculationem ipſius juris, diſcutere an ſint reſervata, vel non? Quæ interdicta cum non innitantur caſibus frequentèr occurrentibus, ideò non hic adſcribuntur, & ne etiam excedamus affectatam in hac materia brevitatem. Quoad abſolutionem ab eis, & ſuſpenſionibus, & excommunicationibus, obſervandum eſt id, quod ſæpiùs advertimus: Nempe contracta per delictum publicum, ſi Pontifici reſervantur, poſſe virtute Bullæ abſolvi non ulterius quàm ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis: Contracta autem per delictum occultum, & reliqua etiam non reſervata, vel reſervata Superiori, qui ſit Pontifice inferior, poſſe abſolvi toties quoties.

Quæritur: an virtute Bullæ irregularitas aliqua tolli poſſit?

Reſp. negativè. Quia irregularitas non eſt cenſura, ut communis fert ſententia, & cenſuræ dumtaxat ſolvuntur virtute Bullæ. Trull. vero aſſerit, contrariam ſententiam non eſſe improbabilem, & quod in praxi poſſit quis illam ſequi, quando neceſſitate urgente non datur facilis ad Superiorem recurſus. Plures etiam, quos refert Diana, ſentiunt virtute Bullæ poſſe abſolvi ab irregularitate, quæ purè eſt pœna, non verò ab alia. In Bull. *l. 1. p. 7. c. 2. d. 17. n. 4.* Dia. *1. p. tr. ſeſ. 27.*

DUBIUM XVI.

De poteſtate commutandi virtute Bullæ.

Verba Bullæ ſunt hæc: *Podrà tambien el dicho Confeſſor, commutarles qualeſquiera votos, aunqueſean con juramento, dando la limoſna, que pareciere en favor, y beneficio de la bulla de la Santa Cruzada, exceptos los de Caſtidad, y Religion, y Ultramarino.*

AR-

ARTICULUS I.

Reſolvuntur dubia aliqua.

Primum dubium: *An in facultate, quæ conceditur commutandi vota virtute Bullæ, concedatur etiam diſpenſandi?* Reſpondetur negativè. Eſt ſententia communis: Ratio, quia in facultate minori, ut eſt facultas commutandi, non includitur facultas major, qualis eſt diſpenſandi Sotus tamen tenet affirmativam partem: Leander etiam pro hac opinione refert Tabienam, & Toletum: ſed hi auctores non loquuntur de commutante cum poteſtate delegata, qualis eſt Bullæ poteſtas, ſed de commutante cum poteſtate ordinaria, quod longe diverſum eſt. Sor. *l. 7. de juſt. qu.* 4. verſu Poſt hæc.

Quæritur ſecundò: Quiſnam Confeſſarius poſſit commutare vota virtute Bullæ, & an commutatio facienda ſit in confeſſione?

Reſp. Quemlibet Confeſſarium ab Ordinario approbatum, juxta opiniones à nobis relatas circa approbationem neceſſariam, ut quis eligi poſſit virtute Bullæ. Quod autem commutatio poſſit extra confeſſionem fieri, eſt communis ſententia.

Tertiò: An ad commutandum virtute Bullæ requiratur cauſa?

Reſpond. Non requiri aliam cauſam præter eam, quæ imbibitur in ipſa facultate, & exercitio commutationis, nempe eleemoſynam, quæ tribuitur ad ſubveniendum intentioni ipſius Cruciatæ. Hæc eſt plurium, quos refert Mendo *diſt.* 20. *numer.* 183.

Quartò: An per Bullam poſſint vota commutari in opus non æquale, ſed minus?

Rèſp. Undique eſſe auctores & negantes, & aſſerentes. Leander utramque opinionem æquè aſſerit probabilem, *t.* 1. *tr.* 5. *diſ.* 4. *q.* 156.

Quintò: An virtute Bullæ tota commutatio fieri debeat in ſubſidium Cruciatæ.

Reſpond. Non eſſe neceſſarium ita fieri commutationem; quamvis bene poſſet fieri, ſi cenſeretur expedire.

Sexto: Quanam ſumma danda ſint in ſubſidium Cruciatæ?

Reſpondetur: Hanc ſummam in arbitrio prudentis Confeſſarii relinqui poſitam. Debet autem detrahere ab aliis piis operibus, quod in ſubſidium Cruciatæ in commutatione addiderit.

Septimò: An in commutatione, pro eleemoſyna temporalis, his, qui non poſſunt talem eleemoſyna elargiri, poſſit Confeſſarius eleemoſynam nam ſpiritualem, v. gr. Orationes, & alia pia opera ſubſidium expeditionis Cruciatæ?

Reſp. Plures Auctores affirmativam tenere ſententiam, quos videre eſt apud Mendo; & ipſe quamvis illam non ſequatur, aſſerit ſecuram in praxi, *d.* 46. *num.* 117. & 118.

Octavò: An virtute hujus privilegii juramenta poſſint commutari.

Reſp. affirmativè: Et non ſolùm quando juramenta cadunt ſupra votum ad firmandum illud, in quo non poteſt eſſe dubium, quia exprimitur in Bulla; ſed etiam quando juramentum fit ſeorſim, & ſeparatim à voto: quia juxta regulas juris, quidquid diſponitur in altero duorum æquivalentium, cenſetur etiam in alio diſponi: Votum, & juramentum procedunt ab eadem virtute Religionis, & fiunt in Dei honorem, & cultum; ergo quemadmodum votum poteſt per Bullam commutari, ſic & juramentum. Trull. Candid. Tho. Sanch. Suar. Fill. Dian. Baſil. De Leon. Hinc reſolvitur.

1. Quidquid in commutatione voti obſervatur, debere etiam in commutatione juramenti obſervari. Lay. Leand. & Mend. *d.* 26. *n.* 62.

2. Quod ſi aliquis feciſſet votum juramento confirmatum, commutato per Bullam voto, quod eſt præcipuum, manere deobligatum à juramento, quod eſt acceſſorium.

3. Quod ſi vota, aut juramenta ſunt in favorem tertii, non poſſint per Bullam commutari, ſi tertio jam acceptata ſint; quia Pontifex non concedit privilegium uni in alterius præjudicium; bene tamen poſſunt commutari, antequam acceptentur, quamvis in ſubſidium pauperum, vel operum piorum fuerint facta. Et addit: Trul. *lib.* 1. *parag.* 7. *capitulo* 7. *diſt.* 7. Vota etiam acceptata poſſe non improbabiliter per Bullam commutari, ſi adſit juſta cauſa; quod non admittit

in

Digitized by Google

in juramentis. Et Fag. *libro* 2. in Decalog. *capitulo* 19. cum pluribus ſentit idem refertque Cajetan. & Petr. de Navar. Baſil. de Leon. Barboſ. Lay. Mend. *diſt.* 26. *n.* 147.

Quaritur primo: An ſi quis fecit votum, impoſuitque ſibi pœnam aliquam pecuniariam in pœnam violati voti, poſt violationem illius poſſit iſta pœna per Bullam commutari?

Reſp. affirmativè; quia major eſt obligatio, quæ reſultat ex violatione voti, quam ea, quæ reſultaret ex voto abſoluto, & directo quod quis feciſſet dandi illam pecuniam: ſed hæc obligatio ex voto abſoluto, & directo poteſt commutari per Bullam: ergo etiam illa, quæ eſt minor. Mend. *n.* 25. *n.* 149. cum multis.

Quaritur ſecundo: An votum faciendi quidquam, & non petendi commutationem illius voti, poſſit per Bullam commutari?

Reſpond. affirmativè: Quia is, qui votum facit, non poteſt derogare auctoritati Superioris potentis commutare votum, & delegare facultatem commutandi, ut per Bullam Pontifex delegat.

Quaritur tertio: An facienti votum cum intentione, ut ſoli votum Pontifici reſervetur, & quod nullus illius votum poſſit diſpenſare, neque commutare per privilegium quodvis, poſſit votum illud commutari per Bullam?

Reſp. affirmativè: Quia illa intentio neque efficit, neque efficere poteſt quod intendit; quia reſervatio voti dependet unice à poteſtate reſervatis.

ARTICULUS II.

De votis, quæ virtute Bullæ commutari nequeunt?

Tria ſunt hæc vota, nempe Caſtitatis, Religionis, & Ultramarinum, de quibus ſuo ordine diſſeretur.

Quaritur primo. Quodnam Caſtitatis votum nequeat per Bullam commutari?

Reſp. Votum abſolutum caſtitatis perpetuæ, & perfectæ; quod ſequentibus declarabitur reſolutionibus.

1. Votum conditionale caſtitatis commutari poſſe per Bullam ante, & poſt purificatam conditionem; quia hoc votum poteſt commutari ab Epiſcopo; ergo etiam virtute Bullæ, ſiquidem per iſtam virtutem poſſunt commutari cuncta, præter tria aſſignata. Th. Sanch. Trull. Ant. Gom. Dian. Tolet. Lean. Mend. *n.* 85. & alii.

2. Votum caſtitatis conditionale pœnale poſſe etiam commutari per Bullam. Probatur eadem ratione, & quia non eſt votum caſtitatis perfectum: quia non fit propter affectum ad id, quod promittitur.

3. Votum caſtitatis conditionale, quod non pendet à conditione contingenti, ſed certa, non eſſe conditionale, ſed abſolutum, & ita non poſſe per Bullam commutari: v. g. ſi quis voveret Caſtitatem ſub conditione, quod Sol oriretur craſtina die.

4. Neque etiam per Bullam commutari poſſe votum pœnale de materia reſervata, quando tale votum fit in pœnam peccati jam commiſſi, vel quod committitur, quod ſit votum: Ratio, quia conditio non ſuſpendit conſenſum, nec eſt contingens ita, ut ab ejus contingentia at etiam contingens ſubſtantia, & obligatio voti; quapropter votum cenſetur abſolutum.

5. Non poſſe commutari votum Caſtitatis ad centum annos; quia cenſetur perpetuum; quia ab annis his, in quibus tale votum poteſt fieri, non poteſt quis prudenter ſibi permittere vitam ultra centum annos.

6. Poſſe commutari votum Caſtitatis, quod factum eſt ad aliquod tempus, v. g. quatuor, aut decem annos; quia non eſt reſervatum Pontifici, quod non eſt perpetuum; ſed ſi vovens eſſet jam ætatis multum provectæ, v. g. nonagenarius, aut centenarius, conſiderandæ ſunt iſtius & valetudo, & vires, an prudenti judicio poſſit vivere ultra decem, aut quatuor annos, ad quos facit votum; quia ſi iſtius vita prolixior non ſperatur: debet cenſeri perpetuum; & conſequenter nequit per Bullam commutari.

7. Illum, qui virginitatem vovit, animo dumtaxat abſtinendi ſe à primo actu venereo, quia violatur virginitas, poſſe per Bullam obtinere commutationem voti, quia hoc votum eſt Caſtitatis partialis.

8. Votum non petendi debitum poſſe commutari alterutri conjugum, & utriſque; quia eſt votum caſtitatis partialis.

Etiam

Digitized by Google

Etiam poteſt commutari alteri conjugum votum caſtitatis, quod fecit ſine licentia alterius poſt matrimonium conſummatum quia non eſt votum caſtitatis perfectæ; ſiquidem remanet cum obligatione ſolvendi debitum: ſed utriſque conjugibus non poteſt commutari votum, quando de communi conſenſu voverunt; quia eſt votum perfectum caſtitatis, ita ut eorum neuter poſſit nec petere debitum, nec reddere.

9. Votum non contrahendi matrimonium per Bullam poſſe commutari; quia non eſt votum caſtitatis perfectæ: Neque contra votum faceret; quia non contrahendo peccaret contra ſextum Decalogi præceptum. Poteſt etiam commutari votum accipiendi ordinem ſacrum; quia non eſt votum caſtitatis, ſed ſtatus cujuſdam, cui caſtitas annexa eſt. Itaque non peccaret contra votum, qui graviter circa caſtitatem delinqueret ante ordinem ſuſceptum.

10. Votum conjugale caſtitatis poſſe commutari; quia eſt votum caſtitatis partialis: Niſi forte, auctoritate Pontificia, hoc votum ſtatui alicui annexum fuerit, v. g. Ordinis Militaris, in quo Equites, qui profeſſionem emittunt caſtitatem conjugalem vovent; quamvis videatur probabile, juxta opinionem negantem hoc eſſe veros Religioſos, quod votum iſtud caſtitatis conjugalis poſſit commutari in his, quemadmodum in aliis conjugibus.

11. Reſolutio. Quod votum disjunctivum eſt commutabile per Bullam, quamvis una ejus voti pars ſit Pontifici reſervata, dummodo alia non reſervetur; quia eſt in voluntate ejus qui vovit eligere partem illam materiæ reſervatæ, quæ commutabilis eſt; ſed ſi elegiſſet partem materiæ reſervatæ, communior opinio negat commutari poſſe, quamvis Maldero defendat contrariam ſententiam, & Diana dicat, cum probabilitate magna defendi poſſe. Mendo etiam id affirmat, modo poſtquam materiam reſervatam elegerit, non denuo voveat; quia votum illud non fuit à principio reſervatum; ergo ſi non denuo fiat votum, non poteſt electio materiæ reſervatum facere. Mald. *t.* 2. *t.* 10. *c.* 5. *d.* 10. Mendo *diſp.* 25. *n.* 115.

12. Quod probabile, & tutum ſit, commutari poſſe per Bullam votum caſtitatis factum propter metum levem ab extrinſeco cauſatum; quia ſimpliciter non eſt perfectum, ſiquidem deeſt illi perfectio libertatis, & ſpontanei, juxta coactionem, & involuntarium. Bonac. Leſſ. Ang. Navarr. Fun. Dia. Trull. Mend. *n.* 117.

13. Quod ſi quis faciat plura vota caſtitatis partialis, verbi gratia votum non contrahendi matrimonium, & poſt hoc, votum etiam abſtinendi ſe ab una ſpecie luxuriæ, & poſtea ab alia ſpecie, &c. ita ut in omnibus votis ſimul junctis includatur obligatio ſervandæ caſtitatis perfectæ; vota non poſſint commutari per Bullam, ſi vovens voluit jungere votum ultimum cum reliquis votis, ita ut foret ultimum votum complementum omnium, ut vovens omnimoda, & perfecta caſtitate teneretur; ſed ſi non habuit talem intentionem, ſed fecit quodcumque votum quaſi ſeorſim & unumquodque cum affectu ſolo ad materiam partialem ejus, commutari poſſunt hæc vota, unumquodque ſeorſim; quia ſingula ſunt vota caſtitatis partialis.

14. Quod ſi votum caſtitatis, aut cujuſvis materiæ reſervatæ commutavit Pontifex in aliam materiam non reſervatam, hæc ſecunda obligatio voti poſſit virtute Bullæ commutari; quia commutatio delevit reſervationem. Leſſ. Arag. Suar. Th. Sanch. & alii, quos citat, & ſeq. Mend. *n.* 125.

15. Quod votum caſtitatis factum ante contractum matrimonium non poſſit cuiquam commutari per Bullam, ut petere debitum poſſit. Ratio, quia illud votum fuit abſolutum caſtitatis perfectæ; & ita non poteſt commutare partem illius, qui non poteſt commutare totum: unde Pontifex ſolus poteſt.

Quæritur ſecundò: Quodnam Religionis votum nequeat per Bullam commutari?

Reſpondetur: Votum abſolutum, & perfectum Religionis. *Unde reſolvitur.* Tho. Sanch. Drull. & alii, quos citat Mendo, *n.* 129.

1. Quod in circumſtantiis, in quibus dictum eſt in reſolutionibus ſupradictis, quod votum caſtitatis commutari poſſit. Religionis etiam votum commutari valeat, accommodatis caſibus proportionaliter unius materiæ, & quæſtionis ad aliam.

2. Quod votum hoc debet eſſe votum Religionis, approbatæ, ne commutari poſſit. Itaque poteſt commutari votum ingrediendi domum aliquam, vel Hoſpitium,

tium, vel Collegium, ubi viri, aut fœminæ commorantur divino cultui dediti: & etiam eſt commutabile votum ingrediendi Religionem approbatam, non ut ibi quis Religioſam vitam degat, ſed ut habitu incedat Eremitæ, &c. Quia iſti non ſunt verè Religioſi. Hinc eſt communis omnium Bullæ Expoſitorum ſenſus.

3. Poſſe commutari vota paupertatis, & obedientiæ, quæ quis facit in ſæculo, aut Religione non approbata; quia iſta non ſunt vota Religionis.

4. Poſſe commutari votum accipiendi habitum in Religione Divi Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, & aliis Religionibus militaribus, excepta Religione Divi Joannis; quia hæc eſt verè Religio, utpote in qua caſtitas, paupertas & obedientia voventur. Ratio, quia cum alii defendant, Religiones illas non eſſe verè, & propriè Religiones, alii verò contrarium ſentiant, reſtat in opinione, an ſint propriè, & verè Religiones? Et conſequenter an reſervatum ſit votum ingrediendi eas; quod ſufficit, ne hoc votum cenſeatur reſervatum; nam odia reſtringenda ſunt. Mend. *d. 26. n.* 132.

5. Poſſe commutari vota ingrediendi Religionem auſteriorem in ingreſſum Religionis laxioris; votum ingrediendi in hoc Monaſterium, in ingreſſum alterius Monaſterii; votum etiam differendi ingreſſum quoad certum tempus; votum perſeverandi in Religione, prout votum iſtud diſtinguitur à voto ingrediendi Religionem: Quia in cunctis iſtis caſibus non commutatur ſubſtantia voti, ſed qualitas. Mendo in variis *n. c.* 12. in quo citat alios.

Quæritur tertiò: Quodnam votum Ultramarinum non valeat per Bullam commutari.

Reſp. Votum dumtaxat abſolutum, & perfectum peregrinationis ad viſenda loca Sancta Hyeroſolymorum, vel eorum aliquem, in quo omnes Bullæ conveniunt Expoſitores.

Hinc reſolvitur.

1. Quod hoc votum poſſit commutari per Bullam in caſibus, quibus egimus de voto Caſtitatis, & Religionis proportionaliter: v. g. quando hoc votum eſt conditionale, pœnale, vel factum eſt ob metum cauſatum ab extrinſeco, &c.

2. Quod quidquid non eſt de ſubſtantia voti, ſed tantùm de qualitate, commutari poſſit; v. g. ire peditem, vel mendicando.

3. Hoc votum non poſſe commutari, quamvis ob devotionem ſolam ſit factum. Eſt communis ſententia, ut poteſt videri apud Mendo, *n.* 143. contra Graffium, & Sà, qui putarunt, votum hoc tunc dumtaxat reſervari, & incommutabile eſſe per Bullam, cum in ſubſidium fiebat terræ Sanctæ.

DUBIUM XVII.

De aliquibus difficultatibus Bullæ quæ explicanda reſtant.

ARTICULUS I.

An debeat obſervari ſummarium Bullæ, & inſcribi nomen accipientis.

Hæc ſunt verba Bullæ: *Y declaramos, que los que la tomaren, ayan de guardar, y recibir eſſe ſumario, y Bulla, que và impreſſo de molde, y ſellado, y firmado de nueſtro nombre, y ſello, porque de otra manera no ganan, ni gozan de la dicha bula, ni gracias de ella, y por quanto vos N. piſteis dos reales de plata que es la limoſina, que auemos taſſado, y declarado, y recibiſteis eva dicha bula, y eſcrito en ella vueſtro nombre, declaramos que aveis conſeguido, y ſeos conceden la dicas gratias, &c.* Circa quod reſolvitur.

1. Opinionem eſſe communem, quod ad obtinendas Bullæ gratias, neceſſarium accipere ſummarium, taxatamque eleemoſynam erogare.

2. Communiter etiam ſentire omnes Bullæ Expoſitores, non eſſe neceſſarium afferre ſecum Bullam, ſed ſufficere habere domi aſſervatam, vel ſub alterius confidentia.

3. Quod quamvis communiter ſentiant plures, quod ſi quis abſque culpa perdiderit ſummarium, ejus tamen gaudeat gratiis, non verò ſi culpabiliter; probabile tamen eſt, accepta Bulla & erogata eleemoſyna obtineri gratias, ſi perdatur inculpabiliter, vel culpabiliter, etiamſi voluntariè ſcindatur: Quia, ut ſentiunt Trullenc, & Mend. *d.* 25. *n.* 3. non eſt præceptum Pontificis, ſed conſilium quando dictat ſummarium aſſervandum. Baſil. Ponce in manuſcriptis, Mendo eodem *n.* 3.

4. Non eſſe etiam de præcepto inſcribere in Bulla vivorum nomen accipientis, nec in defunctorum Bulla nomen ejus, pro cujus anima accipitur. Quamvis debeat

fieri præcipuè in Bulla vivorum; quia ſi fortè quis in articulo mortis obmuteſceret, conſtet per ejus inſcriptum nomen, ipſum habere Bullam, & poſſit ei applicari Indulgentia, & tempore interdicti poſſit in loco ſacro cum moderata pompa ſepelliri.

ARTICULUS II.

An acceptis Bullis duabus poſſint aliqua privilegia obtineri duplicata.

Reſpondetur affirmativè; quia ita declarat expreſsè ipſa Bulla. *Circa quod reſolvitur.*

1. Non poſſe accipi pro uno tam vivo, quàm defuncto plures Bullas; quia ita diſpoſuit Gregorius XIII.

2. In ordine ad privilegia, quæ conceduntur indefinitè, non eſſe neceſſarium duplicatam accipere Bullam v.g. ad privilegium lacticiniorum, eſus carnium de conſilio utriuſque Medici, eligendi Confeſſarium, qui abſolvat à caſibus Pontifici non reſervatis, & ad alia ſimilia; quia iſta privilegia unica tantùm Bulla obtinentur, toties quoties quis vult, aut indiget.

3. Privilegia, quæ conceduntur ad unicam dumtaxat vicem, poſſe obtineri bis, acceptis Bullis duabus. Itaque qui duas accepit, poteſt abſolvi bis à caſibus Pontifici reſervatis; poteſt Indulgentiam plenariam, quæ conceditur ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, ſibi applicare bis in utroque caſu; poteſt etiam in opinione aſſerentium Indulgentias ſtationis ad Altaria non obtineri niſi ſemel per dies ſingulos, ipſe obtinere bis duplicando ſtationes, &c.

4. Poſſe accipi duas Bullas pro eodem defuncto; eſt autem utilius non accipere eas ſimul; quia poteſt accidere, quod in prima vice non applicetur Indulgentia defuncto, ob defectum alicujus requiſiti, quod requiſitum ſuppleatur in ſecunda vice.

ARTICULUS III.

De ſuſpenſione, & revalidatione Indulgentiarum, & gratiarum, quæ Bulla Commiſſarius concedit.

Commiſſarius Cruciatæ Generalis, virtute facultatis ſibi à Pontifice conceſſæ, ſuſpendit durante anno publicationis Bullæ, cunctas gratias, & Indulgentias ubique terrarum, in quibus Bulla promulgatur, exceptis illis, quæ ſuperioribus Ordinum Mendicantium in ordine ad Religioſos conceſſæ ſunt; & poſteà Commiſſarius declarat in favorem Cruciatæ, quod qui acceperit Bullam, poſſit gaudere cunctis ante ſuſpenſis Indulgentiis, & gratiis: quæ declaratio eſt revalidatio. Finis intentus per hanc ſuſpenſionem eſt, ne deficiat Cruciatæ ſubſidium eleemoſynarum, quæ à fidelibus erogantur; quia ſi poſſent ſine Bulla alias obtinere gratias, & Indulgentias, plures Bullam non acciperent; & ita data eleemoſyna pro Bulla, revalidantur Indulgentiæ ſuſpenſæ, ut poſſit accipiens obtinere. Circa hoc videbis ſequentes reſolutiones.

1. Reſpectu accipientis Bullam, ſtatim ac promulgatur, non ſuſpendi gratias, nec Indulgentias ullas; quia iſte nec locum, nec tempus ſuſpenſioni tribuit, & quamvis dicatur revalidari indulgentias, & quia ſuſpendendæ erant, caſu quo iſte non eſſet tam ſedulus in accipiendo Bullam.

2. Commiſſarium ſuſpendere has gratias, & indulgentias in locis illis, ubi Cruciata non valet; quia nec illo attingit ejus poteſtas, nec ad finem intentum ſuſpenſio talis conducit.

3. In opinione aſſerente annum durationis Bullæ eſse naturalem, poſse inveniri aliquos dies, in quibus ſine Bulla indulgentiæ aliquæ obtineantur, & gratiæ: v. g. promulgata fuit Bulla anno ſuperiore in aliquo loco Kalendis Februarii: Hoc anno promulgatur decima die menſis in eodem loco; in diebus illis qui reſtant à Kalendis Februarii, uſque ad decimam diem menſis, poſsunt obtineri prædictæ Indulgentiæ ſine Bulla. Nam ſuſpenſio pro anno ſuperiore expiravit prima die Februarii, & ſuſpenſio pro anno præſenti non incipit niſi à decima.

4. Jubilæum, quod quandoque Pontifices concedunt pro duabus ſeptimanis obtinendum poſse obtineri ſine Bulla; ſi Pontifex contrarium non expreſserit; quia hæc eſt mens Pontificum, & animus, ut omnes tale Jubilæum obtineant, & neque pauperes, quibus ab Bullam accipiendam pecunia non ſuppetit, à Jubilæo excludantur obtinendo: itaque Commiſsarius nunquam hoc jubilæum ſuſpendit. Fern. Villal. Rodrig. Trull. Dian. citati à Mend. *d.* 29. *n.* 10.

5. Fa-

5. Facultates, & gratias in jure communi contentas non ſuſpendi à Commiſſario Bullæ; quia communis doctrina eſt, id, quod eſt de jure communi, non revocari, ſi clarè non exprimitur.

6. Neque etiam ſuſpendi Indulgentias, & facultates, quæ conceduntur ab Epiſcopis; quia tantùm ſuſpenduntur gratiæ, & facultates, quæ immediatè à Sede Apoſtolica dimanant, ut conſtat ex Bullæ procemio.

7. Suſpendi gratias, & Indulgentias, quæ conceduntur poſt promulgationem Bullæ: Praxis, & ſtilus eſt, quod Commiſſarius illas examinet, & faciat copiam, ut promulgentur, & quod non poſſint obtineri ſine Bulla, *lib. primo*, §. 5. *d.* 4. *num.* 3.

8. Trullenc ſentire, Gratiam conceſſam pro anima è Purgatorio eruenda per Miſſam in privilegiato Altari celebratam, non ſuſpendi per Bullam; quod etiam Diana probabile cenſet: ſed communior, & probabilior eſt contraria ſententia; & illa favet magis expeditioni Cruciatæ. Itaque ad obtinendam hanc gratiam eſt opus Bulla. Ludovicus de la Crux ait, quod ille, qui Miſſam commendat, debeat habere Bullam. Melius Rodriquez aſſerit, teneri celebrantem; quia Bullam debet habere, qui indulgentiam obtinet; obtinet vero qui celebrat, non qui celebrare commendat: Religioſus autem, qui celebrat in Altari Monaſterii ſui, non indiget Bulla; quia Religioſi abſque Bulla gaudent gratiis ſibi conceſſis, ut ſtatim videbimus.

9. Non ſuſpenduntur per Bullam gratiæ, & facultates, quæ non habent ſimilitudinem aliquam, aut æquivocationem cum gratiis, & facultatibus Bullæ; v. g. ſi Epiſcopus aliquis haberet teſtandi licentiam: & gratiæ illæ, quæ pertinent ad honorem, & juriſdictionem; ut ſunt gratiæ illæ, quibus fruuntur docentes, & ſtudentes in Univerſitatibus, Miniſtri Sancti Officii, & alii conſtituti in aliqua dignitate, aut officio. Ratio, quia quando in litteris Apoſtolicis revocantur aliquæ gratiæ, quæcumque ſint, intelliguntur revocari dumtaxat gratiæ illæ, quæ obviare, vel opponi poſſent his gratiis, quæ in dictis litteris revocantibus conceduntur, ut advertit Mendo, citatis Felino, & Bartolo: gratiæ, quas pro exemplo appoſuimus, non opponuntur gratiis in Bulla conceſſis, neque Bullæ expeditioni: ergo iſtæ non revocantur per Bullam. Eſt plurimorum, quos citat Mend. *d.* 29. *num.* 33.

10. Neque etiam ſuſpendi per Bullam gratias conceſſas Religionibus Mendicantibus quoad Religioſos earum; quia expreſsè excipiuntur à Commiſſario in ſuſpenſione aliarum; ſed neque etiam poteſt illas ſuſpendere, quia Pontifex non tribuit ei facultatem hanc in Bulla Latina. Quod etiam dico de gratiis conceſſis Religionibus non Mendicantibus, ſi iſtæ participes fuerint privilegiorum illarum. Quod de Religioſis dicitur, debet etiam intelligi quoad novitios; quia in favorabilibus nomine Religioſorum comprehenduntur; non vero includuntur Donati, quia non ſunt Religioſi; neque etiam Tertiarii Franciſcani, quia utrique indigent Bulla, ut gratias Religioni conceſſas obtineant. Mend. cum aliis, *num.* 44. & 45.

11. Quod de Religioſis viris, intelligendum eſt de Religioſis fœminis, id eſt Monialibus cum proportione: ſi ſunt Ordinis Mendicantis, non egent Bulla ad obtinendas Ordinis ſui gratias, quia iſtæ non ſuſpenduntur; ſi vero non ſunt Mendicantes, neque participant privilegia eorum, egebunt Bulla.

12. Sæculares etiam egere Bulla ad obtinendas gratias aliquas conceſſas in favorem Religionum Mendicantium, quæ immediatè attinent etiam ad favorem ipſorum ſæcularium, v. g. Indulgentias, quæ conceduntur viſitantibus Altaria, aut Eccleſias dictarum Religionum.

13. Alias gratias, quæ præcipuè, & immediatè conceduntur in favorem dumtaxat Religionis, & redundant etiam in beneficium ſæcularium, poſſe etiam à ſæcularibus obtineri ſine Bulla: quia non ſuſpenduntur, v. gr. facultas, quam habent Mendicantes abſolvendi à caſibus reſervatis, commutandi vota, diſpenſandi in quibuſdam rebus, & aliæ ſimiles facultates, quæ in unaquaque Religione videndæ ſunt, quæ, & quales ſint. Quod etiam dico de Religionibus non Mendicantibus, ſi participant privilegia earum. Hæc reſolutio eſt contra Navarr. Lop. Acof. & Trull., ſed aſſentiunt ei ſupra decem, & octo, aut viginti Authores, quos citat, & ſequitur Mendo *num.* 63. Qui etiam addit, Pium V. conſultum reſpondiſſe: Mentem ſuam non eſſe revocare per Bullam hæc privilegia; & expreſſit anno 1571. in Privilegiis Ordinis Prædicatorum; & putan-

dum eſt, hunc fuiſſe, & eſſe animum reliquorum Pontificum.

ARTICULUS IV.

De ſuſpenſione interdicti dum Bulla promulgatur.

Commiſſarius Generalis virtute facultatis ſibi à Summo Pontifice conceſſæ ſuſpendit interdictum, ubicumque fuerit, per octo dies ante, & poſt Bullæ promulgationem, ut ſolemnius fiat promulgatio. Circa hæc, quædam difficultates reſolvuntur.

1. An ſuſpenſio interdicta duratura ſit ſexdecim, aut decem, & ſeptem dies, ideo quia Commiſſarius ſuſpendit interdictum octo dies ante, & totidem poſt promulgationem Bullæ: Videtur eundem diem promulgationis non eſſe numerandum incluſivè cum aliis antecedentibus, & conſequentibus. Reſpondetur hoc eſſe probabile, v. g. illum diem non eſſe incluſivè numerandum, & quia favorabile eſt, poſſe extendi ſuſpenſionem uſque ad dies decem, & ſeptem. Mend. *d.* 30. *num.* 2.

2. Suſpendi interdictum poſitum à quocumque judice; quia Pontifex eſt ſuperior cunctis, & delegat quoad hoc Commiſſario propriam poteſtatem.

3. Quod ſi in aliqua Civitate populoſa promulgetur in diverſis Eccleſiis, & diverſis diebus Bulla præ multitudine populi, interdictum ſuſpendatur octo diebus ante, & totidem poſt promulgationem in unaquaque Eccleſia; & Parochiani illius Eccleſiæ, in qua adhuc edictum non ſuſpenſum eſt, frequentare poſſint Eccleſiam illam, in qua eſt ſuſpenſum. Idem *n.* 6.

4. Excommunicatos, aut publicè denunciatos, propter quos interdictum poſitum fuit, non manere abſolutos per illos dies, quibus ſuſpenditur interdictum; quia vinculum excommunicationis diſtinguitur à vinculo interdicti, quod ſuſpenditur.

5. Neque interdictum perſonale particulare ſuſpendi; quia hoc non obſtat promulgationi ſolemni Bullæ, qui eſt finis intentus in ſuſpenſione interdicti, neque hoc vocatur abſolutè interdictum. Idem *n.* 12.

6. Interdictum generale perſonale, comprehendens cunctos vicinos loci, ſuſpendi, quamvis non ſit locale; quia hoc obſtat ſolemni Bullæ promulgationi.

7. Quod ſi interdictum poſitum eſt in Eccleſia loci, in qua non eſt promulganda Bulla, adhuc ſuſpendatur; quia Commiſſarius loquitur abſolutè, non dicens ſuſpendi interdictum in Eccleſia, in qua promulganda eſt Bulla, ſi ibi fuerit interdictum, ſed ſuſpendi in loco toto, in quo Bulla promulgatur.

8. Idem dicendum eſſe, ſi aliqua Regularium Eccleſia interdicta foret in loco illo, in quo Bulla promulgatur, etiamſi omnes in tali communitate commorantes eſſent interdicti generaliter; quia illud interdictum eſt publicum, & non particulare, ac ſi una Paræcia, & cuncti Paræciani interdicti eſſent.

9. Quod finitis diebus ſuſpenſionis, iterum reſurgit interdictum, quin denuò ponatur.

CAPUT II.

De Bulla Compoſitionis.

COmmiſſarius Generalis Bullæ, in virtute facultatis ſibi à Pontifice conceſſæ, poteſt facere conventionem ſuper bonis malè habitis aut uſurpatis, quando de Domino eorum non conſtat: Quam facultatem poteſt ipſe Commiſſarius ſubdelegare, ut de facto ſubdelegant Commiſſarii Bullæ in Indiis: & quia difficile erat, & moleſtum pro minoribus quibuſdam quantitatibus ad Commiſſarium recurrere, ad debita iſta componenda, expedit Bullas.

DUBIUM I.

De bonis in communi, de quibus Commiſſarius poteſt compoſitionem facere.

ARTICULUS I.

Quanam quantitas componi poſſit?

Reſp. 1. Singulis quoque annis componi poſſe quantitatem duorum millium nongentorum quadraginta, & unius argenteorum, & ſex maravediſiorum cum quinquaginta Bullis Compoſitionis acceptis, quæ ſingulis annis accipi poſſunt; quia per unamquamque Compoſitionis Bullam componuntur quinquaginta argentei, & viginti, & octo maravediſii; & ita cum quinquaginta Bullis Compoſitionis acceptis, dicta quantitas componitur.

Reſp. 2. Quod ſi inveniatur major quantitas

titas, componenda, quam ea quæ cum quinquaginta Bullis componitur poteſt, recurri debeat ad Commiſſarium, qui ſolet exigere pro compoſitione decimam partem ejus quantitatis, quæ componenda eſt, & hanc in ſubſidium Cruciatæ; quod etiam ordinat exigendum Commiſſariis in Indiis ſubdelegatis.

Hinc reſolvitur.

1. In uno anno non poſſe accipi plures, quàm quinquaginta Bullas Compoſitionis, vel ſumantur ſingulæ ſeorſim, vel plures, vel omnes ſimul.

2. Quod ſi quidam debet ultra id, quod per quinquaginta Bullas componere poſſit, non valeat differre compoſitionem, aut reſtitutionem ad ſequentem annum, ut componat quantitatem acceptis novis Bullis, ſed ſtatim debeat reſtituere, aut componere cum Commiſſario reſtantem illam bonorum quantitatem. Peccavit autem graviter differendo, niſi dilatio aliàs prudentis judicio juſtificata fuerit.

3. Quamvis peccaverit differendo culpabiliter reſtitutionem, aut compoſitionem, poſſe tamen in ſequenti anno, acceptis Bullis, debitum componere. Neque obſtabit diſtuliſſe, intuitu per Bullas componendi; quia quamvis Bulla non proſit his, qui in fide Bullæ aliena uſurpavere bona, illis tamen, qui Bullæ fidentes, reſtitutionem diſtulerunt, videtur valitura; quia valdè diverſa ſunt hæc duo, nempe uſurpare in fide Bullæ, & differre reſtitutionem in fide ejuſdem; & cum aliàs hoc quod eſt non valere Bullam, ſit odioſum, non debet ampliari; & ſi fiducia privaret hoc beneficio, adhuc perſpiciendum eſt, an compoſitio dilata fuerit in fiducia, aut cum fiducia Bullæ; quia ſi dilata fuit cum fiducia, adhuc compoſitio poteſt fieri per Bullam. Mend. *d.* 42. *n.* 51.

4. Quod ſi quis per unam Bullam componat minorem quantitatem, quam componere potuiſſet, v.g. triginta argenteos, ſi poſtea contraheret aliud debitum, cujus incertus eſſet Dominus, v.g. debitum viginti, & octo argenteorum, non poſſint componere hos viginti & octo argenteos per illam eandem Bullam, per quam compoſuerat triginta; quamvis nec illi triginta, neque iſti viginti & octo argentei excedant quantitatem, quæ per unam Bullam componi poteſt, quia Bulla non valet ad debitum de futuro contrahendum, ſed ad debitum jam de præterito contractum; & compoſitio finitur, quando accipitur Bulla, nec poteſt ultra extendi.

5. Quod ſi unus debet alicui Domino incerto triginta argenteos, & alius debet alicui Domino incerto viginti, non liceat utriſque accipere unam Compoſitionis Bullam pro debito utriuſque; quia unaquæque Bulla conceditur uni ſoli, & hæc eſt praxis, ſed eorum quiſque poſſet ſuſcipere debitum alterius, pro quo ſatisfaceret, quod impleret accipiens Bullam Compoſitionis.

Quæritur, Quanam eleemoſyna pro Compoſitionis Bulla erroganda ſit?

Reſp. Duos errogari argenteos; ſed ſi compoſitio fiat de bonis, quæ debentur pro commiſſione Officii Divini, erogandi ſunt & alii duo ad Eccleſiæ fabricam, ejus Eccleſiæ, in qua beneficium habet qui Officium omiſit.

ARTICULUS II.

Cujuſnam qualitatis futura ſint bona, ſuper qua fieri poſſit compoſitio?

Reſp. Hæc bona debere eſſe incerta, vel hanc compoſitionem fieri de bonis incerti Domini, vel de bonis, quæ debentur Eccleſiæ, pauperibus, aut operibus piis: Quia Pontifex eſt Adminſtrator horum bonorum, & poteſt de illis compoſitionem facere, aliiſque compoſitionem delegare: Dilucidatur autem hoc magis reſolutionibus ſequentibus.

1. Cum ſit probabilis opinio, & tuta in conſcientia, bona incerti Domini, quæ quis non acquiſivit injuſtè, ſed invenit, v.g. poſſe ſibi applicare, ſi poſtquam ſufficientem diligentiam adhibuerit pro inveniendo, Dominum non invenerit; Neque teneri ad compoſitionem, aut reſtitutionem, niſi fortè Dominus Inventus fuerit ante neceſſarium præſcriptionis tempus, quo impleto, jam non tenetur reddere Domino: Quæritur ergo, quodnam temporis ſpatium ad hanc præſcriptionem requiratur? Hæc eſt materia Juriſconſultorum *in tit. præſcript. & in tit. de uſucapion.* Theologorum etiam in tractatu *de juſtitia, & jure*; ſed in opinione aſſerentium prædicta bona deberi operibus piis, poteſt fieri de iis bonis compoſitio.

2. An aliqua bona cenſeantur incerti Domini, neceſſarium eſſe, habentem illa bona ſufficientem prudentum virorum ju-

Digitized by Google

dicio diligentiam adhibere pro Domino certo inveniendo, Quod ſi facta ſufficienti diligentia, Dominus non comparuerit, habenda ſunt illa bona pro bonis Domini incerti, & poteſt fieri de illis compoſitio, In hoc Auctores conſentiunt.

3. Quod quando conſtat bona iſta eſſe alicujus ex tribus, aut quatuor Dominis, non tamen conſtat cujuſnam ſint eorum, hæc bona non ſunt incerta, neque de illis poteſt fieri compoſitio; ſed debent tradi tribus illis, aut quatuor, de quibus eſt dubium, ut illi inter ſe dividant, & inter ſe componantur: Neque poſtea ſi verus Dominus appareret, tenerentur alii conſortes reſtituere vero Domino id, quod in partitione acceperunt; quia quando diviſio facta fuit, unuſquiſque ceſſit juri ſuo. Mend. cum aliis, quos citat *d.33. n. 12.* Dicaſt. *t.1. de juſt. & jure l. 2. tr. 2. d. 9. dub. 15.*

4. Non eſſe incerta bona illa, quæ jura, aut leges cujuſque Regni diſponunt ſic, vel ſic applicanda, quamvis de Domino non conſtet; quia hæ leges obligant in conſcientia, utpote juſtæ, & ita non poteſt fieri de illis compoſitio.

Quæritur primo: An in caſu quo compareret Dominus bonorum, de quibus per Bullas facta eſt compoſitio, vel cum Commiſſario conventum fuit, is, qui compoſuit illa bona, debeat reſtituere, aut juſta conſcientia poſſit ſibi retinere?

Reſp. In conſcientia non teneri reſtituere facta jam legitimè compoſitione, & remanere in conſcientia ſecurum; quamvis Dominus ipſe in externo foro poſſit coram judice iſta bona expoſtulare, & ipſe judex ad reſtitutionem compellere. Probatur prima pars: Quia Pontifex præ dominio excellentiæ poſſet auctoritatem dare ad transferendum per compoſitionem dominium talium bonorum, quando talis compoſitio ad animarum ſalutem conducit, & talia bona ſunt in tali ſtatu, quod ad pauperes pertineant; ergo in conſcientia non debet reſtituere ille, ad quem per compoſitionem dominium talium bonorum translatum fuit. Secunda pars probatur, quia horum bonorum compoſitio dumtaxat eſt ad forum conſcientiæ; ergo in externo foro repeti poſſunt. Hinc fit ſatis aſſerentibus non poſſe fieri hanc compoſitionem tuta conſcientia, quia eſt præjudicium tertii, nempe bonorum Domini. Satisfit, inquam, quia remanet Domino jus, & actio, ut in externo foro ſua bona expoſtulet; irrationabiliter autem invitus erat Dominus bonorum, quod is, qui eorum compoſitionem per Bullam feciſſet, ab onere reſtitutionis in conſcientiæ foro maneret immunis; cum ipſe bonorum Dominus ſit Pontificis ſubditus, ejuſque bona ſubjiciantur ſupremæ Pontificis poteſtati, quando eorum adminiſtratio ſpirituali ſaluti conducit, ut conducebat quando illorum dominium in foro conſcientiæ per compoſitionem fuit translatum: Neque hæc compoſitio, aut translatio Dominii in præjudicium Domini cenſeri debet facta; quemadmodum neque præſcriptio cenſetur in præjudicium, quamvis poſt præſcripta bona compareat illorum Dominus: natu quemadmodum Reſpublica, eo quod habeat poteſtatem ſuper temporalia bona, quatenus utilitati civili conducunt & publicæ, concedit præſcriptionem bonorum, quin Domino injuriam inferat; ita Pontifex, eo quod habeat poteſtatem ſuper bona incerta quatenus ſpirituali ſaluti conducunt, concedit juſtè eorum compoſitionem in conſcientiæ foro, quin bonorum Domino præjudicium fiat.

Quæritur ſecundo: Quibuſnam perſonis poſſit valere compoſitio per Bullas, aut cum Commiſſario?

Reſp. Cunctis, quibus diximus vivorum Bullam poſſe valere in cunctis articulis dubii quarti, poſſe etiam valere compoſitionis Bullam, quin excludatur defunctus, qui ante mortem injunxit hæredi pro exoneranda conſcientia, ut neceſſaria compoſitionis acciperet Bullas.

Quæritur tertio: Quibuſnam perſonis Bulla hæc valere non poſſit?

Reſp. Illis non valere, qui in fiducia Bullæ aliena bona uſurparunt; ſed poſſe valere his, qui cum fiducia Bullæ uſurparunt. Quod ut intelligas, ille in fiducia Bullæ uſurpavit, qui ſi non ſperaret ſe compoſiturum ea bona per Bullam, non uſurpaviſſet ea: Ille verò cum fiducia Bullæ uſurpavit qui motus eſt ad uſurpanda bona per cupidinem; aut motivum aliud; quia quamvis non ſperaret ſe compoſiturum illa bona tamen eodem modo uſurpaviſſet, quamvis aliquod habuerit ſolamen, quod per Bulla compoſitioni daretur locus.

Hic advertendum eſt: Quod quamvis bona malè habita in fiducia Bullæ componi nequeant, poteſt tamen recurri ad Commiſſarium Generalem pro compoſitione eorumdem, qui poteſt committere talem com-

Digitized by Google

compoſitionem Epiſcopo, cujus facultatem non coarctat Commiſſarius. Mendo *d.* 33. *num.* 43. & 44.

DUBIUM II.

De particularibus caſibus, quibus Bulla compoſitionis intrat.

Decem, & octo caſus particulares aſſignantur, in quibus Bulla compoſitionis habet locum. In quibus omnibus duo ſupponuntur, quæ jam animadverſa relinquimus: Primum, quod non conſtet de Domino bonorum, quæ componuntur: Secundum, quod facta fuerit ſedulò diligentia prudentum judicio ſufficiens, ut eorum Dominus inveniatur. In Bulla Latina additur à Pontifice alia conditio, nempe quod à volente ſe componere exigatur juramentum, quod ſufficientem diligentiam adhibuerit in quærendo bonorum Domino, & non invenerit; ſed juramentum hoc dumtaxat exigitur, quando fit compoſitio cum Commiſſario, non verò quando fit per Bullas; quia tunc ſufficit, quod quis in conſcientia ſibi perſuadeat, quod ſufficientem curam in Domino quærendo habuerit. Et ita in praxi acceptum eſt.

ARTICULUS I.

De primis ſex caſibus, qui ponuntur in Bulla.

Primus caſus. Poteſt fieri compoſitio de bonis malè obtentis, & habitis, de acceptis, & acquiſitis per lucra, & uſura, vel alio quolibet modo, ſi facta ſufficienti diligentia non comparuerint Domini, quibus legitima reſtitutio fieri debeat.

In hoc caſu advertendum eſt, quod videatur Dubium 7. tractatus 5. in l. 3. ſummæ, ubi agitur de uſura, & in quibus caſibus debetur ejus reſtitutio, poterit compoſitio per Bullam habere locum, modo de Domino, cui reſtitutio facienda eſſet, poſt diligentiam ſufficientem non conſtiterit, neque uſuræ obtentæ fuerint in fiducia Bullæ. Quod idem advertendum eſt in reliquis quibuſcumque caſibus, ne iterum repetere cogamur.

Diximus componi poſſe id, quod obtinetur per *lucra*, quæ exſurgunt ex accommodatione fructuum obtentorum per *uſuras*, quod reſultat ex accommodatione pecuniæ in ſignificatione ſtricta, & in lata ſignificatione in accommodatione cujuſvis mercis. Diximus, *Quolibet modo*, id eſt modo ſimili uſuræ, ut mohatra.

Secundus caſus. Poteſt fieri compoſitio de fructibus beneficiorum, & aliorum redituum Eccleſiaſticorum, malè habitis ob defectum in Horis Canonicis recitandis.

Circa quod reſolvitur.

1. Quod quando ob defectum in recitando fit horum bonorum compoſitio, tribuenda eſt tanta pars ad fabricam Eccleſiæ, ubi eſt beneficium, quanta Cruciatæ: V. Gr. ſi accipitur pro compoſitione Bulla una, tribuendi ſunt Eccleſiæ argentei duo; ſi duodecim Bullæ accipiantur, viginti argentei tribuendi ſunt Eccleſiæ, & proportionaliter.

2. Quia cum fructus beneficii percipiantur etiam aliis titulis, & obligationibus oneroſis à recitatione diverſis, hinc fit, ſolùm id debere reſtitui ob defectum in recitando, quod recitandi oneri correſpondet, debita ſpectata proportione. Thom. Sanchez, Henriquez, & Mendo, *d.* 34. *n.* 25. aſſerunt, Epiſcopum recitare omittentem ad quintam fructuum partem reſtituendam teneri: Canonicum vero, & Parochum ad quartam: Reliquos Beneficiatos, & qui gaudent beneficio ſimplici, Præſtamo, Capellania, aut penſione ſufficienti ad onus recitandi, teneri ad tertiam partem: qua via quiſque poſſet hanc partem per Bullas componere: V. G. Habet quis Beneficium ſimplex, ex quo trecenta ducata recipit annua, omittit recitare officium per totum annum, debet reſtituere fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus ducata centum, quæ eſt tertia pars redituum; quam partem componere poteſt, acceptis decem, & novem Compoſitionis Bullis, erogando Cruciatæ triginta, & octo argenteos, & totidem fabricæ Eccleſiæ. Si omittit officium per menſem, aut per dies quindecim, illam partem reſtituere tenebitur, quæ menſi, aut diebus quindecim ex reditu correſpondet, quam partem per Bullam, aut Bullas componere poteſt.

3. Omittentem Officium parvum, ad quod tenetur pro penſione, eodem modo ad reſtitutionem obligari. Quod ſi per Bullas velit componere debitum, tantam partem debet reſtituere fabricæ Eccleſiæ, ubi eſt beneficium, ex quo illi penditur, quantam Cruciatæ. Quod ſi penſio fuerit

ſuper Epiſcopatum, probabile eſt, partem dandam fabricæ poſſe tribui vel in fabricam Eccleſiæ Matricis, vel alterius cujuſcumque Eccleſiæ, in qua Epiſcopus habeat Eccleſiaſticos proventus.

4. Habentem beneficia in diverſis Eccleſiis, ſi componat per Bullas, quod omiſſione officii debitum contraxit, id quod fabricæ Eccleſiæ tribuendum eſt, teneri diſpertiri inter illas Eccleſias omnes, in quibus habet beneficia, majorem partem illi, unde majores percipit redditus, tribuendo.

Tertius caſus. Poteſt etiam fieri compoſitio ſuper dimidium legatorum, quæ facta fuere pro exoneranda conſcientia à bonis malè habitis, ſi perſonæ, quibus talia legata facta ſunt, negligentes fuerint per annum integrum in percipiendis legatis, quamvis de legatariis conſtet, & perſonis.

Circa quod reſolvitur.

Negligentiam legatarii in perceptione rei legatæ non debere numerari à tempore, quo factum eſt teſtamentum, vel teſtator obiit, ſed à tempore, quo ipſe certus factus eſt legati ab hærede, vel teſtamentario; quia ubi de re non conſtat, non poteſt quis accuſari de negligentia in re. Itaque ſi à tempore, quo habuit notitiam, numeretur annus, & ille negligenter ſe habuerit in recuperando legato, poterit hæres dimidium legati per Bullas componere.

Si legatarius vero fuerit aliquis locus pius, debet admoneri is, qui talis loci curam habet. Si legatarii fuerint pauperes in communi, Procurator pauperum debet admoneri: Quod ſi iſti poſt admonitionem negligentes fuerint per annum, poteſt fieri compoſitio de legati dimidio.

Quartus caſus. Poteſt etiam fieri compoſitio ſuper legatis factis antea, vel tempore durationis Bullæ, quorum legatarii facta ſufficienti diligentia non inventi fuerint.

Circa quod reſolvitur.

1. Quod ſi non invento legatario, invenitur hæres ipſius, legatum abſolutum debet dari iſti hæredi, legatum quoque conditionatum, purificata conditione, & ſuper hoc legatum nequit hæres per Bullam componi.

2. Idem quod conceditur circa legata non inventis legatariis, poſſe applicari fideicommiſſis, & donationibus, quando non inveniuntur partes; itaque poſſunt etiam per Bullas componi.

Quintus caſus. Si aliquis judex Ordinarius, aut Delegatus, vel Aſſeſſor perceperit nummos, vel aliquid aliud pro ferenda mala, aut injuſta ſententia, vel pro cauſa protrahenda in præjudicium partis, aut pro alia injuria inferenda, vel aliquid aliud faceret, quod non deberet, tunc poſſent omnes iſti malè parta per Bullas componere, ſalvo ſemper jure partis, ut illi ſatisfiat.

Circa quod reſolvitur.

1. In opinione plurium aſſerentium non debere reſtitui, quod pro actione turpi, aut injuſta acceptum eſt, quando tale obſequium eſt pretio æſtimabile, nullum iſtorum judicum, qui in re mala perpetranda peccaverunt, teneri ad compoſitionem pretii pro re mala perpetrata; in opinione verò tutiori aſſerentium contrarium teneri, ſi non reſtituunt, componi per Bullas. Quod obſervandum eſt in ſequentibus caſibus huic ſimilibus.

2. Idem, quod dicitur de judicibus, qui revera ſunt judices, debere intelligi de quibuſcumque potentibus ſententiam ferre pro officio, aut ſubdelegatione, aut partium conſenſu.

3. Damnum, quod parti intulerunt, ipſos non poſſe componere per Bullas, ſed teneri reſtituere, etiam dato caſu quod non deberent id, quod pro injuſta acceperunt ſententia.

Sextus caſus. Si aliquis Advocatus accepit quidquam pro advocando in cauſa injuſta, ſciente parte cauſæ injuſtitiam, poteſt iſte Advocatus per Bullas componi; ſed parti, cui præjudicavit, pro damno ſatisfacere tenetur. Circa hunc caſum reſolvitur idem, quod in reſolutione prima, & tertia præteriti caſus. Ultra notandum eſt, quod ſi pars, quam defendit Advocatus, neſcit cauſam ſuam eſſe injuſtam, juraque pro ſe trahi violenta, tunc Advocatus reſtituere tenetur parti id, quod pro patrocinanda cauſa accepit, & damna, quæ ex tali ſuſcepta cauſa fuerunt orta.

ARTICULUS II.

De ſex aliis caſibus, qui ponuntur in Bulla.

Septimus caſus. Si quis teſtis pro falſo teſtificando, aut Fiſcalis, vel accuſator pro accuſatione falſa, vel quod omiſerit accuſare, cum teneretur, acciperet quidquam, poſſe componi de acceptis, ultra ſatiſ-

ſatisfactionem, quam tenetur reddere parti præjudicatæ.

Octavus caſus. Officiales, Scribæ, Notarii, aut Secretarii, qui pro aliqua re in officio ſuo injuſtè perpetrata perciperent quidquam, poſſunt componi ſuper accepto; ſed præjudicatis partibus ſatisfacere tenentur.

Hi duo caſus ſequentes coincidunt cum caſibus ſupradictis Judicis, & Advocati; & ita eadem regula utendum eſt.

Nonus caſus. Poſſunt omnes judices & ſæculares, & Eccleſiaſtici in cauſis temporalibus componere per Bullam ea bona, quæ ob adminiſtrandam juſtitiam pro jure debitam à litigantibus acceperunt, vel iſta bona ſint pecuniæ, vel ſpecies alia.

Dicitur, *in cauſis temporalibus*: Quia eſt ſimonia accipere quidquam pro cauſis ſpiritualibus; & etiam eſt ſimonia, id per Bullas componere. Et quamvis advertat Trull. Pontificem dumtaxat prohibere compoſitionem, & diſpenſationem in ſimonia incurſa ratione Beneficii, Apoſtaſiæ, Hæreſis, Homicidii, aut Ordinum non ritè acceptorum; inde tamen tantummodo infertur, Commiſſarium habere poteſtatem ad componendum pretium acceptum in aliis ſimoniis; non vero quod hoc pretium poſſit componi per Bullas; ſiquidem hæ non conceduntur, niſi ut componatur id, quod pro cauſis temporalibus acceptum eſt.

Dicitur, *Ratione juſtitiæ adminiſtrandæ, &c.* Quia non poteſt judex pro juſtitia adminiſtranda ſtipendium accipere, neque pretium; ſi quidem pro ejus adminiſtratione ſalarium accipit, quod bis ſolveretur, ſi ultra id, pretium acciperet.

Unde reſolvitur.

1. Quod in caſibus, in quibus Doctores probabiliter à reſtitutione judicem excuſant, non tenetur judex ad compoſitionem pretii accepti pro adminiſtratione officii ſui, ſi ipſe judex Doctorum ſequitur opiniones; contraria vero pars ſecurior eſt.

2. Quod quando litigans dedit judici aliquid pro redimenda vexatione, quia aliàs judex non ferret ſententiam juſtam pro eo, tenetur judex acceptum reſtituere litiganti; in quo negotio non datur compoſitioni locus. Hæc eſt omnium ſententia communis.

3. Quod quando litigans dat bona fide aliquid judici, vel quia putat teneri dare, vel quia ad dandum cogitur, debet judex reſtituere ipſi litiganti, quin habeat in hac cauſa locum compoſitio.

4. Quod quando litigans dat aliquid animo corrumpendi judicem, & attrahendi illum, ut pro ſe ferat ſententiam, quia putat litigans jura pro ſe in tali negotio non ſtare, quamvis in rei veritate favorabilis ſententia ſibi debeatur; tunc judex agnoſcens ſe ferre ſententiam juſtam, & debitam in favorem litigantis, non poteſt retinere ſibi id quod accepit, ſed tenetur reſtituere ipſi litiganti, antequam exequatur actionem, pro qua pretium accepit; ſed poſt actionem jam exequutam tenetur reſtituere pauperibus; in quo caſu compoſitio per Bullam habet locum. Quia quando litigans intendit corrumpere judicem muneribus, aut ſtipendio, conſentit tunc in transferendo dominio munerum pro ferenda in ſuum favorem ſententia, & non aliter; ergo data in favorem ſententia, quæ eſt conditio poſita, litigans caret jam titulo, & jure, ut reſtituantur ſibi munera, quæ dedit; quia jam ſe dominio illo abdicavit. Ex alia parte non poteſt judex id quod accepit retinere; quia cognoſcit datum fuiſſe ſibi pro eo ipſo, quod ipſe tenebatur facere, nempe pro ferenda ſententia juſta, & debita: ergo tenetur retribuere pauperibus; & conſequenter poteſt id per Bullas componere. Tol. Fag. Mald. Nav. Salon. Leſſius, Vill. Trull. quos citat, & ſequitur Mend. *d. 14. num. 138.*

Decimus caſus ſic jacet in Bulla Caſtellana: *Se pueden componer los Eſcrivanos, Notarios, y Secretarios, y los Oficiales de juſticia, que huvieren recibido, y llevado derechos demaſiados por razon de oficios contra las leyes, y ordenancas, que les eſtan dadas, no ſabiendo las perſonas à quien devien reſtituir.* Circa quod reſolvitur.

Quod in tutiore opinione lex, quæ taxat ſtipendium prò quolibet inſtrumento ſolvendum, non ſolùm eſt pœnalis, ſed etiam abſoluta, & obligans in conſcientia. Itaque debent Notarii reſtituere id, quod ultra legis taxationem accipiunt; præcipuè ſi ad taxationis legem ſe ſtaturos cum juramento promiſerunt; ſed ſi ignoratur cuinam injuria illata ſit, poterunt per Bullas id, quod ultra taxationem acceperunt componere. Non tamen caret probabilitate contraria opinio; nempe legem illam eſſe tantummodo pœnalem, & ita non obligare in conſcientia; & conſequenter non teneri reſtituere, neque componere id,

id, quod acceperunt ultra taxam, niſi fortè excederet juſtum laboris pretium, quia tunc teneretur reſtituere, quamvis lex non adeſſet.

Undecimus caſus ſic in Bulla Caſtellana: *Si alguno, iniuſto, ò indevidamente, por rogar, y favorecer que no ſe haga juſticia, ò que ſuelten à el que juſtamente eſtava preſo por delitos llevò dineros, ò otras coſas algunas, ſe podrà componer en lo que aſſi llevò, ſatisfaciendo el dano de la parte, à quien ſe hizo el agravio.*

Hic caſus ponitur, ſupponendo id quod accipitur pro cauſa injuſta, aut turpi, reſtituendum eſſe pauperibus; qui verò opinioni adhæſerit contrariæ excuſanti à reſtitutione, non eget compoſitione, ut dictum eſt. Hic adverto, quod ſi ſequatur parti contrariæ damnum, non ſolùm debet accipiens ſatisfacere tale damnum, ſed etiam is qui largitus eſt aliquid pro illa interceſſione injuſta; quia tam agens, quàm intercedens ad damnum concurrerunt.

Duodecimus caſus: *Se pueden componer de lo quo por juegos fueren obligados à reſtituir à pobres; pero aviendo intervenido engaño en ellos, ò ganando à perſonas que no pudiſſen enagenar lo quo perdieron, no ſe pueden componer, y ſabiendo à quien ſe lo ganaron, ſon obligados à lo reſtituir, y no lo ſabiendo, ſe pueden componer en eſto caſo, como en el de ariba.*

Vide dubium 13. tr. 5. l. 3. ubi agitur de ludo, & de caſibus, in quibus malè parta per ludum reſtitui debeant; in quibus caſibus locum habet compoſitio, quando ignoratur cuinam fieri debeat reſtitutio.

ARTICULUS III.

De ſex ultimis caſibus, qui ponuntur in Bulla.

Decimus tertius caſus: *Si alguno, diſſimulando enſido, que no ay en el, ò otra coſa ſemiante de lo que en eſte color huvier recepido, ſe puede componer, y el que pide limoſina fingiendo ſer pobre no lo ſiendo, de lo quo por eſta cauſa huviere recibido ſe puedo componer no ſabiendo en ambos eſtos caſos, à quien como dichos es ſe deve reſtituir.* Hinc reſolvitur.

1. Acquiſitum per eleemoſynam, ficta paupertate, poſſe per Bullas componi, quamvis ſciatur, quiſnam tales eleemoſynas erogaverit; quia eſt multorum opinio, hanc reſtitutionem non deberi niſi pauperibus; quia erogantes tales eleemoſynas intendunt erogare illas Chriſto in pauperibus ad levandas illorum miſerias; & ita eleemoſynarum dominium transferunt in pauperes. Et quando Commiſſarius coarctationem illam aſſignat, *No ſapiendo à quien ſe deve reſtituir*, loquitur Commiſſarius in opinione aſſerentium deberi eleemoſynas reſtitui ipſis, qui eas erogaverunt, quando paupertate ficta acceptæ ſunt. Trull. Henriq. Navar. Vill. & alii, quos citat Mend. *n.* 169.

2. Quod acquiſitum fuit fictione alia, v. gr. Conſanguinitatis, Sanctitatis, &c. ſi ſcitur, cuinam debeat reſtitui, non poſſe per Bullas componi, benè tamen ſi neſciatur.

3. Si id, quod fingitur, non fuit plus quam impulſiva cauſa, ut aliquis erogaret, non eſſe opus compoſitione; quia non eſt obligatio reſtituendi; quod ſi accipiens cum fictione fuit cauſa motiva, ut alter erogaret, tenetur reſtituere, & ſi ignoraverit perſonam, poteſt componere. Impulſiva cauſa eſt illa, quæ inclinat ad aliquid dandum, vel faciendum, ſed ita inclinat, ut daretur, vel fieret, etiamſi talis cauſa impulſiva non adeſſet: Motiva eſt illa cauſa, ſine qua nec daretur, nec fieret.

Quartus decimus caſus: *Item en todas las coſas, que alguno huviere hallado, hecho primero ſufficiente diligentia, no pariciendo ſus duenos, ni à quien competen de ſer reſtituidas, ſe pueda componer.*

In hoc caſu loquitur Bulla in opinione aſſerentium, non poſſe quemquam inventa bona retinere ſibi poſt inquiſitum diligenter, & non inventum Dominum: ſed jam ſupra diximus, contrariam opinionem eſſe probabilem, & tutam, neque in illa opus eſſe compoſitione. Circa bona vero naufragantium, ſtandum eſt Juris, & Bullæ in Cœna Domini diſpoſitionibus.

Decimus quintus caſus: *Item, el que huviere alguna, ò algunas coſas en ſu poder, de perſona, ò perſonas, que no pueden ſer avidas para reſtituir ſelo, aviendo ſe para ello hecho la devi la diligentia neceſſaria, ſe podra componer de lo que aquello montare.*

Poteſt quis habere aliqua bona alterius pro diverſis titulis, v. gr. Commendationis, Mutui, Oppignorationis, Depoſiti,

aut

nus alicujus alterius contractus, in quo dominium non transfertur. De iſtis igitur bonis poteſt fieri compoſitio, non comparente Domino, cui reſtituenda ſint, nec habita ſpe illius inveniendi.

Hic advertendum eſt: Id quod quis habet in Depoſito judiciali, quod vocatur ſequeſtratio, teneri reddere illi, quem Judex aſſignaverit, nec habentem poſſe pro auctoritate ſua decernere, cuinam illa bona tradenda ſunt. Neque etiam ex ejus arbitrio dependet inquirere, neque curare de inveniendo Domino. Et ſi Judex aſſignaverit Dominum, & talis Dominus non inveniatur, tenetur Depoſitarius tradere depoſitum Judici, ut ipſe decernat depoſito quid ſit faciendum; ſed ſi Judex poſtquam aſſignavit Dominum, & officium ſuum explevit, non repetit depoſitum, ſed committit Depoſitario curam reſtituendi illud, jam tunc depoſitum remanet in poteſtate Depoſitarii, tanquam ſi Dominus ipſe commendaviſſet; & tunc ſi Dominus non compareat, habet locum compoſitio.

Decimus ſextus caſus: *Si pueden componer los danos que ſe ayan hecho andando à caſa, con ſus ganados, ù de otra manera, aſſi en los panos y vinas, como en otros qualeſquier heredamientos, no ſabiendo à quien ſe ha hecho el dano.* Caſus hic per ſe patet.

Decimus ſeptimus caſus: *Todas las mugeres, que no ſon publicamente deshoneſtas, ſe pueden componer, de qualquier dinero, ò oyas, que por cauſa fea huvieren recibido; y los hombres ſi de mugeres, que no tienen maridos; ſe pueden componer por la meſma razon.*

Hic caſus loquitur in opinione paucorum aſſerentium non poſſe fœminas, quæ in occulto turpiter vivunt, referre, nec retinere pro turpitudine pretium; ſed cum probabilius ſit poſſe, non egent compoſitione. Quod idem dico de viris. Sed ſi tam illi, quam illæ ferrent pretium ab eo, qui non poteſt talia bona alienare, tenentur reſtituere; neque componere poſſunt, niſi Dominus, cui facienda eſſet reſtitutio, ignoraretur.

Decimus octavus caſus: *Si alguno ha vendido vino aguado por puro ò medido con falſa medida, ò haviere vendido alguna otra coſa con menores peſos, ò medidas ò vendido una coſa per otra, ò mezclado, ò peſado, ò mal medido, no ſabiendo à quien ſe haviere vendido, ſe pueden componer.*

Caſus hic eſt latiſſimus; & in tractatu de Reſtitutione videndum eſt, quando ob dictas, & ſimiles fraudes teneatur quis reſtituere, & quando excuſari poſſit. Quando verò reſtituere teneatur, poterit componi, ſi certus Dominus ignoretur.

ARTICULUS IV.

Concluſio hujus Bullæ.

Concludit ſic Bullam Commiſſarius Generalis: *En los caſos, y coſas, que aqui particularmente no van expreſſados, atento que la facultad, y comiſſion à Nos dada, y concedida por ſu Santitad es general, y comprende otras mas coſas, en que puede hazer la dicha compoſition, lo remitimos al arbitrio de los Confeſſores, para que ellos como Medicos eſpirituales, digan, y declaren à ſus penitentes, de todo lo que en virtud de eſta Bulla, y facultad Apoſtolica ſe podra componer para el deſcargo, y ſatisfacion de ſus animas, y conciencias, demas de los caſos en eſta Bula declarados.*

Longum eſſet diſcurrere per cuncta officia, artes, & facultates, ut diceremus caſus, in quibus teneantur reſtituere, & componere per Bullas hi, quibus tales artes, & officia prohibentur. De hac materia tractant Mend. *d.* 35. Joannes Machado *t.* 2. De Perf. Confeſſ. Petrus de Onate, *tom. de contract.* qui omnes eruditiſſimè.

Ut regulam propono, Cunctos profeſſores artium tam liberalium, quàm mechanicarum; hos etiam, qui Reipublicæ habent officia, Mercatores, & eos qui quodcumque contractus genus exercent, poſſe componi per Bullas, & eximi ab obligatione reſtituendi, pro defectibus in obligatione ſuarum profeſſionum, aut negotiorum, ſi ignorent cuinam debeatur reſtitutio, nec ipſi injuſtè proceſſerint in fiducia accipiendæ Bullæ. Et ita in qualibet profeſſione debent hæc duo puncta diſquiri.

Solùm hic libet advertere, de quibuſnam redditibus Eccleſiaſticis poſſit fieri compoſitio? & de quibus non poſſit? quando hi redditus tenentur reſtitui alio titulo, quàm ad officium non recitatum; quia de hoc jam ſermo habitus eſt.

Circa quod reſolvitur.

1. Epiſcopum, & Parochum, quando defue-

deſuerunt reſidentiæ ſine cauſis, quas aſſignat Trid. *ſeſſ.* 23. *de Ref. c.* 1. & quando ultra tempus indultum ibi deſuerunt, non poſſe percipere fructus, neque componi pro iis; quia ibidem prohibet Concilium ipſam compoſitionem, neque Bulla derogat prohibitionem.

2. Eccleſiaſticum non aſſiſtentem Eccleſiæ non poſſe percipere diſtributiones, neque componi pro his; quia hæ habent Dominum, cui debeant reſtitui, nempe aſſiſtentes. Ita ſentiunt Expoſitores Bullæ.

3. Omnes Eccleſiaſticos non habentes curam animarum poſſe componi pro fructibus reſtitutioni obnoxiis ob defectum reſidentiæ, niſi hi fructus debeantur reſidentibus; quia tunc nequit fieri compoſitio.

4. Poſſe componi per Bullas, vel ipſum Commiſſarium fructus malè perceptos, aut ex eo quod quis non obtinuerit Canonicè beneficium, aut quod incurrerit in cenſuras poſt beneficii poſſeſſionem, quando iſti fructus ſic malè percepti debentur Eccleſiæ, aut pauperibus; quia Pontifex poteſt iſtos fructus tunc componere aut per Bullas, aut cum ipſo Commiſſario, ut eſt Adminiſtrator ipſorum bonorum, & ita concedit.

Dixi: *Quando debentur Eccleſiæ, aut pauperibus:* Quia ſi juxta conſuetudinem, & ſtatutum deberentur ſucceſſori, non poſſent componi; ſed ſi fieret revalidari titulus beneficii, tunc poſſidens invalidè nihil teneretur reſtituere; quia in hoc caſu ipſe eſt ſucceſſor beneficii reſpectu ultimi poſſeſſoris. Ita Mendo *c.* 34. *num.* 42. *uſque ad* 47.

Quæritur: An dilatio componendi ſe per Bullas, & quanta ſit peccatum mortale?

Reſp. Illam dilationem, quæ in reſtituendo foret peccatum mortale, futuram etiam mortale peccatum in componendo, quando quis habet bona incerti Domini, & intendit componere per Bullam: Et quandoque dilatio minor erit peccatum mortale; quia ſæpè impoſſibilitas, aut difficultas magna reſtituendi excuſat à reſtitutione prompta, quæ impoſſibilitas, aut difficultas non poterit à compoſitione excuſare, cum poſſit parva quantitate fieri.

Quæritur ſecundò: An qui non habet unde pro integro reſtituat, habet tamen, unde per Bullas componatur, accipere Bullas teneatur in caſibus, quibus per Bullas poteſt ſatisfacere?

Reſp. Videri obligatum eſſe; quia debet reſtituere eo modo, quo poteſt. Probabilior eſt tamen contraria opinio; quia compoſitio eſt privilegium; & nullus tenetur uti privilegio, ut reſtituere cogatur.

Quæritur tertiò; An poſſit componi per Bullas qui accipit eleemoſynam pro celebrandis Miſſis, & non meminit à quo accepit, vel cui debeat applicare?

Reſp. negativè. Iſte autem ſatisfacit offerendo ſacrificium pro his, qui eleemoſynas erogaverunt. Mend. cum aliis *d.* 35. *num.* 31.

CAPUT III.

De Bulla Defunctorum.

IN hac Bulla, quam format Commiſſarius Generalis, ex una clauſula Latina concedit Pontifex Indulgentiam plenariam per modum ſuffragii in favorem animæ, cui applicatur iſta Bulla, & pro qua taxata erogatur eleemoſyna.

DUBIUM I.

De Indulgentia plenaria, quæ per Bullam conceditur Animæ in Purgatorio patienti.

Pontificem poſſe concedere Indulgentias tam in favorem vivorum, quam Defunctorum eſt perſpicuum, tum per Conciliorum diffinitiones, tum per continuatam concedendi praxim: ſed vivis concedit, ut ſubditis adhuc ſuis, per modum abſolutionis; Defunctis vero, utpote jam extra juriſdictionem ejus exiſtentibus, per modum ſuffragii; tribuens ex Eccleſiæ Theſauro, cujus opes ipſe diſpenſat, quando Indulgentiam concedit plenariam, id quod ſufficit, ut pro integro ſolvatur debitum pœnæ, quod anima illa tenebatur pro culpis in Purgatorio pati; itaque ſuffragium eſt ſubſidium, aut auxilium, quod illi tribuitur, ut ſolvat in parte, vel in toto, & eripiatur à pœnis, quas patitur.

Quæ-

Quæritur primò: An infallibiliter Indulgentiam lucretur plenariam Bullæ anima, pro qua offertur.

Reſp. affirmativè, concurrentibus cunctis ad applicationem requiſitis.

Quæritur ſecundò: Quandonam hujus Indulgentiæ beneficio fruatur anima?

Reſp. Tunc quando erogans eleemoſynam taxatam pro Bulla applicat illi ſuffragium. Communiter fideles applicant hoc ſuffragium, ubi primùm Bullam accipiunt; ſed poſſunt non ſtatim applicare, præſertim ſi ſe extra ſtatum gratiæ ſenſerint; quia quamvis ſpeculativè loquendo non ſit opus ſtatu gratiæ in applicante, ut animæ proſit indulgentia, qui tamen tutiorem ſemitam cupit ſequi, differet prudentius applicationem, quoad ſe in ſtatum gratiæ reſtituat.

Quæritur tertiò: An ſit utile accipere ultra unam vicem Bullam pro una anima?

Reſp. affirmativè: Quia contingens eſt quandoque deeſſe requiſitum aliquod, quo deficiente non habeat Indulgentia effectum: itaque conducit accipere ſæpius Bullam pro eadem anima, ut ſi ſemel, aut ſæpius defuit requiſitum aliquod, ſuppleatur per aliam Bullam. Singulis annis non poſſunt ultra duas Bullas pro eadem anima accipi; hæ tamen duæ ſingulis annis poſſunt ſumi.

Quæritur quartò: An quando quis accipit Bullam Defunctorum, poſſit determinationem relinquere Deo, ut ipſe eligat animam, quam voluerit, cui applicetur Indulgentia.

Reſp. negativè. Mend. *d.* 36. *n.* 2.

Quæritur quintò: An poſſit accipi Bulla pro pluribus animabus, aut pro omnibus, ut inter eas dividatur Indulgentia, per quam anima una poterat à pœna eripi?

Reſp. affirmativè. Ratio eſt: Quia qui accipit hoc ſummarium, poteſt quidquid illi, qui vadunt, vel mittunt ad bellum contra infideles; ſed illis conceditur, quod poſſint applicare Indulgentiam animabus Purgatorii per modum ſuffragii, quin coarctentur, ut tantùm applicent animæ (quamvis communiter fidelium praxis uni applicet) ergo & ille poterit pluribus applicare.

DUBIUM II.

De aliis difficultatibus circa Bullam.

Quæritur primò: An ſit neceſſarium, quod ſit in ſtatu gratiæ ille, qui applicat ſuffragium hujus Bullæ, aut aliam quamlibet Indulgentiam defunctis, ut eis proſit?

Reſp. 1. Quoad hanc Bullam ſupponere communiter Auctores, ut videre licet in Trull. *l.* 4. *d.* 10. prodeſſe Bullam defuncto, quamvis accipiens, & applicans ei non ſit in gratia; quia Pontifex *ex opere operato* applicat ex Theſauro Eccleſiæ hanc Indulgentiam per modum ſuffragii, apponendo pro conditione, ſolùm ut taxata eleemoſyna erogetur, quod poteſt facere peccator, neque ideo privabit animam defuncti applicatione Theſauri; quemadmodum qui erogat eleemoſynam per manum ſervi, aut eleemoſynarii peccatoris, non privatur merito, & præmio eleemoſynæ.

Reſp. 2. Quoad aliam quamcumque Indulgentiam, quæ defunctis applicatur per modum ſuffragii, quamvis Cajetanus cum aliis ſenſerit applicantem debere eſſe in ſtatu gratiæ, ut proſit illi, cui applicatur, opinionem tamen contrariam eſſe probabiliorem & communiorem. Ratio eſt, quia ſtatus gratiæ tantum requiritur in Indulgentia ad tollendum obicem, & ut poſſit recipi Indulgentiæ effectus, qui eſt relaxare pœnam debitam pro culpa, quæ pœna non poteſt relaxari illi, cui non eſt dimiſſa culpa per gratiam; ergo ſufficit eſſe in gratia illum, qui recepturus eſt effectum Indulgentiæ, nempe animam in Purgatorio exiſtentem, non verò applicantem. Mend. *diſt.* 36. *n.* 12. ubi citat plures.

Quæritur tertiò: Quænam eleemoſyna taxata ſit pro Defunctorum Bulla?

Reſpond. Quod extra Indias eleemoſyna eſt duorum argenteorum, apud Indos vero pro Hiſpanis defunctis argenteorum quatuor, pro Indis vero nigris, Hiſpanis pauperibus, ſervis, Religioſis utriuſque ſexus, argenteorum duorum.

CAPUT IV.

De facultatibus Commiſſarii Generalis Cruciatæ.

SPeciales facultates, quas habet Confeſſarius Generalis à Pontifice, non circumferun-

feruntur Hiſpanico ſermone, ſed Latino, & Brevibus quibuſdam in favorem Commiſſarii: hæ pertinent partim ad animarum ſalutem, partim ad bonam ſubſidii Cruciatæ expeditionem ſpectant. Quæ magis è re fuerint, eas in hoc capite ventilabimus.

DUBIUM I.

De facultatibus Commiſſarii Generalis Cruciatæ.

Quæritur primò: Quamnam facultatem habeat Commiſſarius, ut procedat contra delinquentes in Cruciatam?

Reſp. Poſſe procedere contra illos iiſdem pœnis, quibus qualibet Eccleſiaſtica juriſdictio, uſque ad relaxandum delinquentes ſæculari brachio à pœna capitali judicarit dignos.

Quæritur ſecundò: Quinam putentur in Cruciatam delinquere?

Reſp. Impedientes, aut retinentes promulgationem Bullæ; rapientes, aut occultantes bona ad Cruciatam pertinentia; opponentes ſe privilegiis miniſtrorum Cruciatæ; remorantes, aut malitioſè percutientes eos, qui ad bellum contra Infideles vadunt, ne vadant; & alios ſimiles: Inter eos autem, qui ad bellum pergunt, non ſunt numerandi ii, qui pro ſtipendio pugnant, niſi ſint pauperes, & erant ſubſtituti, & miſſi ab aliis in Cruciatæ ſubſidium; quia hi, qui vadunt pro ſtipendio, ſi non ſunt pauperes, non gaudent Bullæ privilegiis.

Quæritur tertiò: An pœna pecuniaria, quas imponit Commiſſarius, debeant pro integro Cruciatæ applicari?

Reſpond. affirmativè.

Quæritur quartò: An pœna impoſita ab Ordinariis pro quocumque delicto debeant applicari Cruciatæ?

Reſpond. Olim omnes pœnas applicandas fuiſſe, nunc vero dimidium earum: Præcipiturque Ordinariis in virtute Sanctæ obedientiæ, ut applicent eas; Ordinariorumque dictis ſtandum eſt quoad earum quantitatem: Quoad fidelitatem vero Pontifex injicit Religionem Ordinariis, committitque Commiſſario, ut inquirat an fideles ſe gerant, ut poſſit ad fidelitatem compellere.

Quæritur quintò: Quoſnam Officiales poſſit Commiſſarius Generalis eligere?

Reſp. In omnibus Provinciis poſſe eligere Commiſſarios, ſubdelegando eis in toto, vel in parte ſuam juriſdictionem, & Notarios ad quidquid in hoc negotio ſe obtulerit: ſed tam Commiſſ. quam Notarios approbaturus eſt Ordinarius prudenti judicio: poteſt etiam compellere quoſcumque Notarios, ut exhibeant Chirographa ad hoc negotium pertinentia. Commiſſarius autem Generalis non poteſt cogi, ut compareat coram alio judice, quam Pontifice; neque Commiſſarii, & Notarii ſubdelegati coram alio, quam Commiſſario Generali in rebus ad Cruciatam ſpectantibus, dum eis attendit; quamvis hos poſſint punire Ordinarii locorum, in quibus delinquunt, in materia, quæ ad Cruciatam non pertineat.

Quæritur ſextò: Quamnam poteſtatem habeat Commiſſarius in recolligendis Cruciatæ bonis?

Reſp. Poſſe admonere omnes habentes bona Cruciatæ, Chirographa, aut inſtrumenta pertinentia primariò, aut ſecundariò ad Cruciatam, ut manifeſtent Commiſſario, aut alteri perſonæ ab eo deputatæ, ſtatim ac poſſint, ſub pœnis pecuniariis in ſubſidium Cruciatæ adjudicandis; Epiſcopos vero, & alios Prælatos, ſub pœna ſuſpenſionis, & interdicti ab Eccleſiæ ingreſſu; reliquos vero ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ex qua ſolus Pontifex poſſit abſolvere: qui autem aliquod bonorum, quæ diximus, ſcienter retinuerit, non poterit beneficio, neque gratiis gaudere Bullæ.

Aliæ facultates, quas habet Commiſſarius quoad expeditionem Bullæ, vel inſeruntur ſufficienter ex ipſa Bulla, vel jam in hoc libro tractatæ ſunt.

DUBIUM II.

De facultatibus, quas habet quoad animarum ſalutem.

Quæritur primò: An poſſit in irregularitatibus diſpenſare.

Reſp. affirmativè, exceptis illis, quæ procedunt ex homicidio voluntario, ſimonia, apoſtaſia à fide, hæreſi, aut mala Ordinum acceptione, aut ex celebratione Miſſæ, & aliorum divinorum officiorum, cum quis cenſura eſſet ligatus in contemptum

Digitized by Google

prum clavium. Poteſt vero diſpenſare in reliquis, quæ procedunt ex delicto, ut poſſint retinere beneficia, & percipere fructus eorum, delendo infamiam, & inhabilitatem, quæ ab irregularitate proveniebat, & reſtituendo exercitium Ordinum non malè acceptorum.

Quæritur ſecundò: In quanam forma poſſit in his irregularitatibus diſpenſare?

Reſp. Quod diſpenſando, & componendo ſimul, hoc eſt imponendo aliquam pœnam pecuniariam in ſubſidium Cruciatæ, quæ ſuccedit pro pœna irregularitatis.

Quæritur tertiò: An hæc diſpenſatio valeat in foro externo?

Reſp. affirmativè: Quia Pontifex non coarctat facultatem Commiſſario ad forum tantùm internum.

Quæritur quartò: An poſſit diſpenſare Commiſſarius in aliquo impedimento occulto matrimonii, poſtquam invalidè contractum eſt.

Reſp. Poſſe diſpenſare in impedimento affinitatis quoad primum, & ſecundum gradum, quod præceſſit ad matrimonium per fortificationem, ut poſſit matrimonium revalidari: ſed cum his limitationibus, nempe ut contrahentes ſervaverint formam Concilii Tridentini: Quod iſta diſpenſatio valeat ſolùm in foro conſcientiæ; & ita Commiſſarius debet talem diſpenſationem concedere verbo, aut ſcriptis, quæ tradantur Confeſſario, ut lecta ſtatim rumpat. Quod impedimentum ſit occultum: Quod matrimonium ſit jam contractum: Quod ex ejus diſſolutione timeantur gravia ſcandala, ut communiter timeri poſſunt: Quod unus ex contrahentibus proceſſerit bona fide imprudens impedimenti: Quod hic debeat fieri certior de nullitate primi conſenſus, ut occultè iterum contrahant novo conſenſu: Et non debet dici nullitatis cauſa illi, cui redditur ratio nullitatis primi conſenſus.

Quæritur quintò: An ſi hoc impedimentum ſupervenit matrimonio, poſſit in eo Commiſſarius diſpenſare?

Reſp. Poſſe diſpenſare, ut valeat petere debitum, qui contraxit impedimentum.

Quæritur ſextò: An poſſit Commiſſarius legitimare prolem, quæ nata eſt ex matrimonio, durante illo impedimento occulto, quo matrimonium contractum fuit?

Reſp. Poſſe, quia etiam tribuitur illi hæc facultas. Et valet in opinione omnium Doctorum hæc legitimatio ad actus ſpirituales, ut ad Ordines, & beneficia ſuſcipienda: in opinione etiam Henr. Trull. & Mendo valet hæc legitimatio ad ſuccedendum in bonis temporalibus parentum; quia non coarctatur à Pontifice.

Quæritur ſeptimò: An poſſit Commiſſarius Generalis licentiam dare, ut erigatur Oratorium in privatis ædibus, & ut in eo celebretur Miſſa?

Reſp. Poſſe, ſi prius viſitatum fuerit ab Ordinario ipſum Oratorium: Quia ita affirmat Commiſſarius ipſe in facultatibus ſuis, quas promulgari jubet; &, ut advertit Ildephonſus de Lara, affirmatio Commiſſarii facit fidem, debetque illi adhiberi aſſenſus.

Quæritur octavò: An poſſit dare licentiam, ut celebretur Miſſa, & audiatur una hora ante diem, & alia poſt meridiem, & quibus perſonis.

Reſp. Poſſe dare hanc licentiam perſonis nobilibus, & quas ille cenſuerit eſſe ſufficientis qualitatis.

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ continentur in hac Secunda Parte Lucis Moralis.

T, *Notat Tractatum; N*, *Numerum marginalem*.

A

Abſolvere à Cenſuris quis poſſit. Tr. 57. num. 69. & ſeq. ubi plures caſus.
Abſolutionis Forma in Sacram. Pœnitentiæ, qualis ſit de valore, &c. Tr. 61. num. 20. ad 42.
Abſolutio Sacramentalis nequit dimidiari in peccatis mortalibus. Tr. 61. num. 51.
Abſolutio danda moribundo non valenti confiteri ore. Tract. 61. n. 47.
Et ei, qui nullum dedit ſignum certum petitæ Confeſſionis. Tr. 72. n. 28.
Abſolutio quando differenda, vel neganda. *V. Confeſſarius*.
Abſolutio à Reſervatis. *V. Reſervatio Caſuum*.
Abſolutio quò ad alia. *V. Forma Pœnitentiæ*.
Acolytatus. *V. Ordo*.
Altare Privilegiatum. Tr. 45. num. 47.
Animarum Curam habentes. *V. Parochus*.
Apologia Indulg. de toties, quoties Portiunculæ. Tr. 65. in fine.
Applicatio Miſſæ. *V. Miſſa*.
Applicare Miſſam pro populo gratis, an quandoque teneantur Parochi. Tr. 45. numer. 60. in fine remiſſivè.
Approbatio Confeſſarii. Tr. 67. per totum, ubi plura ordinatè.
Aqua requiſita ad Baptiſmum. Tr. 42. n. 9. & ſeq.
Aqua miſcenda vino in Calice. Tract. 44. num. 13.
Articulo mortis ſimplex Sacerdos etiam præſente approbato, an poſſit abſolvere morituram. Tr. 67. num. 13.
Aſylus. De Jure Aſyli quæ? & quinam gaudeant. Tr. 59. num. 17. ad finem, ubi plures caſus.
Attritio. Attritus. *V. Contritio*.
Attentio in miniſtrandis Sacram. Tr. 41. numer. 129. & ſuſcipiendis, ibid.
In Horis Canonicis. Tract. 54. numer. 20. & ſeq.

B

BAPTISMI SACRAMENTUM. Tract. 42. *per totum*.
Ubi
Quid ſit? num. 1.
Quando inſtitutum. num. 2.
Chriſtus an baptizaverit aliquos per ſe. num. 6.
Materia Baptiſmi. num. 9. ubi plures caſus per ordinem.
Forma ejus. num. 17. & ſeq. ubi plura dubia.
Miniſter ejus. num. 28.
Religioſus, Regularis an poſſit baptizare. num. 31.
Obligatio recipiendi Baptiſmum. n. 34.
Parentes quo ad ſuos infantes. numer. 37. & ſeq.
Domi baptizare, quando liceat. n. 42.
Infantes baptizati ab obſtetricibus, an debeant iterùm baptizari ſub conditione à Parochis. num. 43. &c.
Patrinus quando adhibendus. num. 50.
Patrinus quis, ac ejus obligatio. n. 51.
Effectus Sacram. Baptiſmi. n. 54.
Parentes an poſſint ſupplere votum, vel defectum Baptiſmi ſuorum parvulorum, qui non poſſunt realiter baptizari. n. 55.
Attritus cum voto Baptiſmi nequit ſalvari. ibid. num. 60.
Baptiſmus eſt præferendus Confeſſioni. ibid. num. 61.
Beneficiatus, vel Beneficiarius Clericus non recitans Horas Canonic. ad quid teneatur. Tr. 54. num. 17. & 41.
de Beneficiis Eccleſiaſticis, & Beneficiatis. Tr. 55. per totum: ubi plura ordinatè &c.
Bonitas Confeſſarii. *V. Confeſſarius*.

Bonitas Miniſtri Sacramentorum, an neceſſaria ad valorem, aut majorem gratiam, &c. Tr. 41. n. 51. 52. & 175.
Bulla. *Superna*. Tr. 67. n. 99.

C

Caracter. *V. Charačter*.
Caſus Papales in Bulla Cœnæ quot, Tr. 57. n. 74. ad 82.
Caſus reſervati, quo ad abſolutionem, Tr. 67. à num. 98. ad finem, ubi plura ordinatè.
Cauſa Sacramentorum quæ. Tr. 41. n. 164.
Cauſæ excuſantes ab incurrenda Cenſura ſunt duodecim, quarum una ſufficit, Tr. 57. n. 31. & ſeq.
Cauſare gratiam ex opere operato, & operantis, quid, Tr. 41. n. 145. &c.
Cauſare gratiam phyſicè, & moraliter, quid Tr. 41. n. 163.
Celebrare Miſſam. *V. Miſſa*.
Celebrare pro populo Miſſam gratis, an teneantur diebus feſtis Parochi, Tr. 45. n. n. 60. in fine.
Cenſura, Tr. 57. per totum.
Character Sacramentalis quid, & quotuplex. Tr. 41. nu. 177. & ſeq. ubi plura de hoc &c. ad 193.
Chriſtus Inſtitutor omnium Sacramentorum, Tr. 41. n. 7.
Chriſtus Dominus an per ſe baptizaverit aliquos, Tr. 42. n. 6.
Clerici. *Vide Prima Tonſura*. Tract. 49. per totum.
Clerici Beneficiati. *V. Beneficiatus*. Tr. 55. per totum.
Conctè ordinatus. *V. Ordo*. *Ordinari*.
Cognatio carnalis. *Vide Impedimenta Matrimonii*.
Cognatio ſpiritualis, *require in prima Parte*.
Collatio Beneficiorum Eccleſiaſticorum. *Vide Beneficia &c.*
Compater. Compaternitas. *V. Patrinus*.
Complex criminis an poſſit manifeſtari in confeſſione, Tr. 63. n. 53.
SS. Communio. Communicare, *require in prima Parte*.
Frequens Communio an ſit concedenda perſonis ſæcularibus, Tr. 44. n. 60.
Communicare cum Excommunicatis. *V. Excommunicatio*.
Concionator. Prædicator. Examen pro Concionatore, Tr. 52. per totum, ubi plura quæſita ordinatè.
Concionari in peccato mortali an ſit peccatum, Tr. 41. n. 68.
Conditiones requiſitæ ad obtinendum Beneficium Eccleſiaſticum, quæ, Tr. 55. à nu. 27. & ſeq.
Conditiones requiſitæ in Confeſſario. *V. Confeſſarius*.
Conditiones requiſitæ ad bonam Confeſſionem ſunt 16. & declarantur, Tr. 63. à n. 35. ad 52.
Conferre Beneficia Eccleſiaſtica dignioribus, Tr. 55. n. 20. & ſeq.

CONFESSARIUS.
Tr. 66. *per totum*.
Ubi

Conditiones neceſſariæ in Confeſſario, ibid. n. 2. & 3.
Bonitas ejus, n. 4. ad 12. ubi plura.
Scientia ejus, n. 13. ad 45. ubi plures caſus, &c.
Alia requiſita ejus, n. 45. ad 54.
Approbatio, & Juriſdictio ejus. Tract. 67. per totum, ubi multa ordinatè, & caſus varii.
Quo ad Caſus reſervatos, Tr. 67. à n. 56. ad 98. ubi plures caſus.
Quo ad abſolvendum eos, qui ſunt in periculo mortis, ibid. n. 67.
Quo ad abſolvendum eos, qui habent impedimentum perpetuum adeundi Superiorem pro Reſervatis, ibid. n. 69.
Quo ad petendas diſpenſationes à ſacra Pœnitentiaria, Tr. 71. in fine.
Item eos, qui nunc habent neceſſitatem confitendi, vel communicandi, ibid. 73. ad 75.
Confeſſarius errans in ſuo Officio, Tract. 71. n. 26.
Confeſſarius cognoſcens ex Confeſſione pœnitentem contraxiſſe Matrimonium cum impedimento dirimente, quid agere debeat? Tr. 47. n. 51.
Confeſſarius debet accurrere magis ad baptizandum moribundum, quàm ad abſolvendum alium, Tr. 42. n. 61.
Confeſſarius ſollicitans pœnitentem ad turpia. Tract. 69. per totum, ubi per 20. quæſita, & 39. puncta, multi ſunt caſus reſoluti.
Confeſſarius quo ad Sigillum ſervandum, Tr. 70. per totum.
Confeſſarius quo ad prudentiam practicè exercendam in multis, Tr. 71. per totum.
Confeſsarius quo ad examen pœnitenti adjuvandum, Tr. 63. n. 4. & Tr. 71. n. 11. & ſeq.

Quo ad Scrupuloſos dirigendos, Tract. 71. num. 32.

CONFESSARIUS REGULARIS

Quo ad abſolvendum pœnitentes ſæculares à Cenſuris tam Papalibus, quam Epiſcopalibus, Tr. 57. à num. 76. ad 85. & Tr. 67. n. 93. & ſeq.

Quo ad peccata reſervata, vel Caſus reſervatos, Tr. 67. n. 85.

Quo ad alia, Tr. 67. n. 3. 7. 8. 25. 33. & 34.

Quo ad Moniales, Tr. 67. n. 53. ad 56.

Confeſſarius Regularis à quo debeat approbari. Tr. 68. n. 2. & 3.

Confeſſarius erga Fratres Minores de Obſervantia S. P. Franciſci.

Tract. 68. *per totum.*

Ubi

Approbatio Confeſſarii pro Fratribus ſpectat ad Generalem, vel Provincialem, ibid. n. 2.

Superior poteſt concedere facultatem ſuis ſubditis, ut eligant ſibi Confeſſarium etiam ſimplicem Sacerdotem intra, & extra Ordinem, ibid. n. 4.

Licentia confitendi ſe extra Ordinem in caſu alicujus neceſſitatis, ſufficit, quòd ſit tacita, aut præſumpta, ibid. n. 5.

Opinio probabilis de Juriſdictione Confeſſarii dat ei Juriſdictionem certam moraliter, & ſimiliter error communis, ibid. n. 6.

Opinio benigna favens pœnitentibus eſt eligenda in praxi à Confeſſario, ibid. nu. 7.

Quilibet Confeſſarius Ordinis, aut Religionis eſt proprius Sacerdos Religioſorum, ib. n. 9.

Omnes Prælati majores, & minores, ac Superiores locales habent facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, ibid. num. 10. & 11.

Etiam Vicarii Conventuum in abſentia Guardianorum ſuorum, ibid. n. 12.

Omnes, & ſinguli Fratres, vel Religioſi ſubditi habent amplum Privilegium ſemel in vita, & iterùm in articulo mortis eligendi ſibi Confeſſarium, à quo poſſunt abſolvi ab omnibus reſervatis, ibid. n. 13.

Superiores Locales, & etiam Pœnitentiarii fratrum poſſunt pro ſe paſſivè uti facultate in reſervatis, ibid. n. 14.

Guardiani poſſunt toties, quoties petitur, concedere facultatem ſubditis aut Confeſſariis ſimplicibus, ut abſolvantur, aut abſolvant ſuos ſubditos à Reſervatis, ibid. n. 15.

Idem dicendum de Vicariis in abſentia Superiorum localium, ibid. n. 16.

Pœnitentiarius unius Conventus, quamdiu eſt talis, poteſt etiam extra illum Conventum abſolvere fratres omnes à reſervatis ubique reperiatur, Tr. 68. n. 17.

Quando unus Pœnitentiarius vel moritur, vel amovetur, vel diù moratur extra ſuum Monaſterium, loco illius ſuccedit antiquior Confeſſarius ſimplex, ibid. numer. 18.

Confeſſarius ſimplex petens pro ſe, vel pro aliquo Religioſo facultatem à Superiore abſolvendi a reſervatis, etiamſi negetur, valet pro illa vice, ibid. n. 19.

Superior Regularis negans facultatem petitam pro reſervatis, peccat mortaliter, Tr. 68. n. 20.

Superior idem nequit inveſtigare pro quo debeat inſervire facultas petita, neque Caſum determinatum, ibid. n. 22.

Quivis Confeſſarius Regularis, cùm evadit Superior, nequit uti ſcientia habita in Confeſſionibus ad externam gubernationem in gravamen pœnitentium, ibid. n. 23.

Licita, & laudabilis eſt mutua Confeſſiorum activa, quàm paſſiva inter Fratres Obſervantes, & Reformatos ubique locorum ibid. n. 24.

Etiam extra ſuam Provinciam, n. 27.

Religioſi tam Sacerdotes, quàm Clerici, & Laici itinerantes, aut quæſtuantes, aut prædicantes, aut quovis alio motivo de licentia Superioris morantes diuriùs extra Conventum, ubi non eſt copia Confeſſarii Ordinis, poſſunt, & quandoque debent Sacramentaliter confiteri apud quemcumque Sacerdotem Confeſſarium ſive ſæcularem, ſive alterius Ordinis. Tr. 68. n. 28. & ſeq.

Duo Simplices Sacerdotes ſimul itinerantes poſſunt ſe invicem audire in Confeſſione, ibid. n. 35.

Confeſſarius ſimplex Fratrum poteſt audire Confeſſiones Tertiariorum noſtrorum, & hominum inſervientium perpetuò, eoſque abſolvere etiam à reſervatis apud nos, ib. Tr. 68. n. 36. & 37.

Superior ſive Generalis, ſive Provincialis, ſive localis non poteſt aliquid prohibere fratribus ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, ibid. n. 39.

Et dato, quòd poſſet, eo amoto, vel defuncto, ceſſat Cenſura ipſo facto, ibid. num. 40.

Teme-

Temerè abſolvens à reſervatis eſt excommunicandus, ibid. n. 41.
Caſus reſervati in Reformata noſtra Religione ſunt 13. ibid. n. 42.
Quid ſit peccatum proprietatis, ibid. nu. 43.
Quid ſit paupertas Minoritica, ibid. n. 44.
Caſus, vel modi proprietatis ſunt 25. ibid. n. 45.
Frater noſter recipiens pecuniam, aut denarios dupliciter peccat, ibid. n. 47.
Inter denarios, & pecuniam quænam ſit differentia, ibid. n. 48.
Furtum notabile, quid, ibid. n. 49.
Materia notabilis in furto de bonis Monaſterii, quæ, ibid. n. 50.
Religioſus proprietarius, niſi exproprietur, nequit abſolvi, ibid. num. 51. Peccatum complicis inter nos, an poſſit abſolvi, ib. n. 54. 55.
Quomodò Fratres noſtri poſſint licitè aliquid donare Benefactoribus, ibid. n. 56.

CONFESSIO ORIS.

Tr. 63. *per totum.*

Ubi

Quid ſit Confeſſio Sacramentalis, ib. n. 5.
Quotuplex, n. 6.
Formalis, n. 7. Virtualis, n. 8.
Signa Confeſſionis virtualis, n. 9.
An verbis, aut vocibus ſit facienda, n. 10. 11.
Qua lingua, aut loquela, n. 15. & 16.
An ſecretò, n. 17. ad 19.

De Integritate Confeſſionis.

Quotuplex ſit integritas iſta, Tr. 63. n. 21.
Formalis, n. 22. & ſeq.
Materialis, n. 26. & ſeq. ubi plura dubia, &c.
Quæ peccata ſint confitenda ibid. n. 29. & ſeq.
Etiam peccata dubia, ibid. n. 33. & 34.
Qui non poteſt, aut neſcit confiteri ſuum peccatum in ſpecie, niſi indirectè manifeſtando ſuum complicem, tenetur, Tr. 63. n. 53.
Conditiones bonæ Confeſſionis quæ, ibid. à n. 35. ad 52. ubi plura &c.
Confeſſio venialium, quomodo, Tr. 63. n. 55. & ſeq.
Quando ſit repetenda Confeſſio, ibid. nu. 59. & 60.
Jam confeſſus, ſi recordetur alicujus obliti an teneatur illud confiteri ante Communionem, Tr. 44. n. 57.
Confugientes ad Eccleſiam, vel loca Sacra, gaudent Jure Aſyli. *V. Immunitas Eccleſiaſtica localis.*
Confirmationis Sacram. *V. infrà.*
Conjuges ad quid teneantur ex vi Matrimonii Tr. 47. à n. 15. ad 23. *V. Matrimonium.*
Conſecrare Hoſtiam, vel Hoſtias, aut Particulas, Tr. 44. n. 15. 18. & ſeq. ubi plures caſus. *V. etiam Euchariſtia. Miſſa.*
Contactus materiæ in Ordinatione. *V. Ordo, in genere*, Tr. 48. n. 31. & 32.

CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM.

Tr. 43. *per totum.*

Ubi

Quid ſit, n. 1. & ſeq.
Quando fuit inſtitutum, n. 4.
Ejus materia, n. 6. & ſeq.
Ejus forma, n. 9. & ſeq.
Diſpoſitio recipientis, n. 12. & ſeq.
Ætas requiſita, n. 16. & ſeq.
Patrinus, n. 26. 27.
Conditiones Patrini, n. 27. & ſeq.
Alia dubia curioſa, ibid. n. 30. ad 33.
Effectus hujus Sacramenti, n. 35.
Conſtitutio. Superna, Tr. 67. n. 99.

DE CONDITIONE, ATTRITIONE, AC DOLORE REQUISITO AD CONFESSIONEM &c.

Tr. 62. *per totum.*

Ubi

Qualis eſſe debeat dolor de peccatis, nu. 1. ad 4.
Formalis debet eſſe, n. 5.
Virtualis non ſufficit, n. 6. 7.
Efficax debet eſſe, n. 8.
Continens propoſitum, n. 9.
Idem de Venialibus diſcurrendum, ibid. n. 10.
Quid ſit Contritio, n. 13. & ſeq.
Quotuplex, n. 16. & ſeq,
Motivum Contritionis quale, n. 18.
Motiva varia Attritionis, numero 18. ad 23.
Effectus Contritionis, & Attritionis, ibid. n. 24. & ſeq.
Sola Attritio, etiam ut talis cognita ſufficit cum Sacram. n. 29.
Dolor ſenſibilis non requiritur, n. 30.
Non ſufficit dolor naturalis, etiam honeſtus, n. 31.
Dolor de non dolendo, an ſufficiat, n. 33.
Ex attrito fit contritus, qui cum ſola attritione confitetur, &c. n. 37. & ſeq.
Dolor de peccatis quomodò debeat uniri cum Confeſſione, n. 40. & ſeq.
Dolor debet eſſe univerſalis. Tr. 62. n. 47.
Sufficit unus actus, n. 48.
Momentaneus, n. 48.
In quovis gradu, n. 50.

Digitized by Google

Dolor de Venialibus qualis eſſe debeat, n. 51. & ſeq.
Sine debito dolore confiteri ſola venialia eſt peccatum mortale ſacrilegii, ibid. nu. 54.
Propoſitum non ampliùs peccandi includitur in vero dolore, ibid. Tr. 62. num. 57. & ſeq.
In quibuſdam tamen Caſibus requiritur propoſitum expreſſum, & formale, ibid. nu. 60. & ſeq. ubi plures caſus, &c.
Qui non vult deſerere occaſionem proximam mortaliter peccandi non cenſetur habere verum dolorem, neque propoſitum, Tr. 62. n. 70. & ſeq.
Aliter eſt dicendum de occaſione proxima peccandi venialiter, ibid. n. 73.
Corona B. V. Mariæ de ſeptem ſuis gaudiis, & ſeptuaginta duobus ejus annis, quomodò recitanda ad luctandam Indulgentiam Plenariam, à Fratribus Minoribus, & Chordigeris, &c. Tractat. 65. num. 26. & 27.

D

D*Ebita* Religioſi orta ex delicto, vel furto, Tr. 68. n. 58.
Defectus intentionis Miniſtri Sacramentorum, an ſuppleantur à Deo, Tractat. 41. n. 107.
DEUS, an ſuppleat pravam intentionem Sacerdotis in baptiſmo, & aliis Sacramentis, Tr. 41. n. 107.
Diaconus. Diaconatus Examen pro Ordinatione, Tr. 51. à nu. 49. ad 68. ubi plura quæſita.
Diaconus in peccato mortali adminiſtrans in Altari, an peccet, Tr. 41. n. 67.
Differentia inter Sacramentum, & Sacrificium Altàris, Tr. 45. n. 2.
Differentia inter Ordinem, & Ordinationem Tr. 48. n. 2. & ſeq.
Dignior eligendus ad Beneficium Curatum, quinam ſit cenſendus; Tr. 55. n. 20. & ſeq.
Diſpenſationes Sacræ Pœnitentiariæ, Tr. 71. in fine.
Diſpenſare ſuper Irregularitatem qui poſſit de Jure, Tr. 58. n. 39.
Diſpenſans, vel diſtribuens Euchariſtiam in ſtatu malo, an peccet mortaliter, Tr. 41. n. 64. & ſeq.
Diſpoſitio requiſita in Miniſtro conficiente Sacramenta, qualis, Tr. 41. n. 59. & 60.
Diſpoſitio requiſita in ſuſcipiente Sacramenta, Tr. 41. n. 170. & ſeq.
Diſpoſitus magis, majorem recipit gratiam in Sacramento, & an etiam ex opere operato, Tr. 41. n. 168.
Diſtractiones in Officio, Tr. 54. n. 23. ſeq.
Divinum Officium. *V. Horæ Canonicæ*.
Divortium inter Conjuges, quid, & ejus cauſæ, Tr. 45. n. 24. & ſeq.
Dolor de peccatis pro Confeſſione, &c. *V. Contritio*.

E

E*Ccleſia* S. an poſſit mutare materiam, & formam Sacramentorum, Tractat. 41. n. 47.
Eccleſiæ, vel loci Sacri Immunitas. *V. Immunitas*, Tr. 59. per totum.
Eccleſiaſticum Beneficium. *V. Beneficium*.
Effectus Sacramentorum quinam ſint, Tr. 41. n. 130. & ſeq.
Effectus Sacramenti in particulari v. gr. *Baptiſmi Euchariſtiæ*, &c. vide ſub propriis titulis, & nominibus.
Eligendi ſunt Digniores ad Beneficia Curata. Tr. 55. à n. 20. & ſeq.
Epiſcopi, qui ſe oſtendunt difficiles, & nimis zelotypi in concedenda facultate pro Reſervatis, peccant mortaliter, Tr. 67. à n. 96. & ſeq. & Tr. 68. n. 20. & ſeq.
Epiſcopus quò ad Confirmationem, & Ordinationem. *Vide Confirmatio, & Ordinatio*.
Error Miniſtri circa materiam, aut perſonam quando officiat valori Sacramenti, Tr. 41. n. 121. & ſeq.
Etror Confeſſarii in ſuo officio, Tract. 71. n. 26.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.
Tr. 44. *per totum*.
Ubi

Quid ſit Euchàriſtia, n. 1. 2. 3.
Quando fuit inſtitutum, n. 4.
Ejus materia, num. 7. & ſeq. ubi plura dubia, &c.
Quomodo materia debeat eſſe præſens Sacerdoti conſecranti, n. 14. 15. & ſeq. ubi plures caſus.
Quantitas materiæ conſecrabilis, n. 21.
Forma Conſecrationis, n. 23. & ſeq. ad 28. ubi plures caſus.
Alia pulchra quæſita, n. 29. ad 33.
Effectus hujus Sacramenti ſunt duodecim, ibid. n. 34. & ſeq.
Quandonam conferat gratiam, n. 39. & ſeq. ad 48.

An

An ſub utraque ſpecie ſumptum hoc Sacram. majorem conſerat gratiam, num. 49.
Quot modis poſſit quis communicari, ibid. num. 50.
Neceſſitas ſumendi hoc Sacram. n. 51.
Feria 5. in Cœna Domini, an Sacerdotes teneantur communicare, n. 52.
An eadem die poſſit bis ſumi, una ex devotione, altera ex Viatico. Tr. 44. n. 54.
An ſit communicandus infirmus à Sacerdote cum feſtinatione, & quaſi currendo, ibid. n. 53.
Diſpoſitio requiſita ad ſumptionem Euchariſtiæ, n. 56. & ſeq.
An ſit concedenda laicis Communio frequens, & quotidiana, n. 60. & ſeq.
Examen præmittendum Confeſſioni quale, & & quantum eſſe debeat, Tr. 63. n. 2. & ſeq.
Excommunicatio major, quid, Tr. 57. n. 11. & 18.
Minor Excom. n. 12. & ſeq.
In quibus caſibus non liceat communicare cum Excommunicato, n. 20.
In quibus autem caſibus liceat. n. 21.
Ad incurrendam Excomm. quid requiratur n. 27. & ſeq.
Cauſæ duodecim excuſantes ab incurſu Excommunicationis, Tr. 57. num. 31. & ſeq.
Exorciſtatus. V. Ordo.

EXTREMÆ-UNCTIONIS SACRAMENTUM.
Tr. 46. *per totum.*
Ubi
Quid ſit, n. 1. 2.
Ejus materia, n. 3.
Ejus forma, n. 4. 5. 6.
Ejus Inſtitutio, n. 7.
Ejus Miniſter, n. 8. ad 12.
Ejus Subjectum ſuſcipiens, n. 13.
Quinam capaces, quinam incapaces recipiendi Extremam hanc Unctionem, ibid. n. 14. ad 19. ubi plures caſus.
Ejus boni effectus, n. 20. ad 23.
Regulares ſine licentia Parochi quibuſnam perſonis poſſint miniſtrare SS. Viaticum, & Extremam-Unctionem, ibid. n. 9. 10. 11. & 12.

F

FIdes Theologica Miniſtri Sacramentorum non eſt neceſſaria ad valorem &c. Tr. 41. n. 50.
Fidei infidelium. *V. Infideles.*
Forma, & materia Sacramentorum in communi, Tr. 41. n. 30. & ſeq.
Forma cujuſlibet Sacramenti. Vide ſub ſingulis titulis Sacramentorum.
Fratres Minores S. P. Franciſci an, & quando poſſint baptizare, etiam ſolemniter. Tr. 42. n. 31. & ſeq.
Fratres Mendicantes, an poſſint ordinari extra tempora. Tr. 48. n. 48. & ſeq.
Confeſſarius Fratrum noſtrorum. *V. Confeſſarius*, ubi plura.
Quo ad reliqua. *V. Regulares.*
Furtivè ordinari, quid, Tr. 48. num. 67. & ſeq.
Furtum patratum à Religioſo, quando ſit peccatum reſervatum, Tr. 68. à num. 49. ad 52.
Furtum prædictum de rebus alienis extra Monaſterium, an debeat ſolvi de rebus Monaſterii, ibid. n. 58.

G

GRatia Dei, quid; & quotuplex, Tr. 41 n. 131. & ſeq.
Gratia Sacramentalis, quid, & qualis in ſingulis Sacramentis, Tract. 41. num. 136. & ſeq.
Gratiam cauſare ex opere operato, & ex opere operantis, quid, Tr. 41. nu. 144. & ſeq.
Gratiam cauſare phyſicè, & moraliter, quid ibid. n. 148. ad 163.
Gratiam cauſare multipliciter in Sacram. ib. n. 165. & ſeq.

H

HORÆ CANONICÆ, ſeu divinum Officium.
Tr. 54. *per totum.*
Ubi
Quid ſint, n. 1.
Quinam teneantur recitare, n. 4. & ſeq.
Quanta ſit hæc obligatio, n. 12.
Pars notabilis, quæ, n. 13.
Omiſſio quæ mortalis, n. 14. & ſeq.
Beneficiatus omittens ad quid teneatur in conſcientia, n. 17. & 41.
Officium Defunctorum, & Litaniæ Majores an cadant ſub præcepto, n. 18.
Qua attentione recitandæ, numero 20. & ſeq.
Diſtractiones in recitando quænam impediant ſatisfactionem, n. 23. & ſeq.

Modus recitandi, num. 27. ad 34. ubi plures caſus.
Cauſæ legitimè excuſantes à recitatione, nu. 35. ad 39.
Hoſtia, hoſtiæ, particulæ conſecrandæ quomodò debeant eſſe præſentes? Tr. 44. n. 14. & ſeq. ad 22. ubi plura dubia.

I

IMMUNITAS ECCLESIASTICA. Tr. 59. *per totum*. *Ubi*
Quid ſit? num. 1.
Quotuplex, n. 2.
Immunitas Perſonalis, quid, n. 4. ad 9.
Immunitas Realis, quid, n. 10. ad 15.
Immunitas localis confugientium ad loca Sacra, quid? & plura dubia, n. 16. ad 36. ubi plures caſus.
Impedimentum perpetuum adeundi Superiorem pro abſolutione obtinenda à reſervatis quænam perſonæ cenſeantur habere; unde poſſint abſolvi à quovis Confeſſario Tr. 67. n. 99.
Impedimenta Matrimonii. Impedita tantùm, quæ? Tr. 47. n. 39. ad 43.
Dirimentia, quæ, n. 44. ad finem.
Quale peccatum ſit, contrahere Matrimonium cum impedimento ſcienter habito, ibid. num. 46. & ſeq. ubi plura dubia &c.

INDULGENTIÆ. Tr. 65. *per totum*. *Ubi*
Quid ſit Indulgentia, n. 1.
Quid Theſaurus Eccleſiæ, n. 2. 3.
Quotuplex ſit Indulgentia? n. 4.
Indulgentià 100. annorum quomodo intelligatur, n. 5.
Quarantena quid, Tr. 65. n. 6.
Indulgentia Plenaria, an differat à Jubilæo, num. 7.
Quiſnam poſſit validè concedere Indulgentias, n. 8. & ſeq.
Quinam ſint capaces lucrandi, n. 12. 13.
Indulgentiæ pro Defunctis Fidelibus, an eis infallibiliter proſint, n. 14.
Conditiones requiſitæ ad lucrandas Indulgentias, n. 15. & ſeq.
An Confeſſio Sacramentalis ſit neceſſariò præmittenda, n. 20.
An unica Communio poſſit inſervire pro pluribus Indulgentiis, n. 25.
An plures Indulgentiæ Plenariæ poſſint lucrari eodem die, n. 22.
Indulgentia Plenaria Portiunculæ die 2. Auguſti in Eccleſiis Fratrum Minorum, num. 23. & 24. in fine Tr. 65. eſt Apologia ipſius.
Indulgentia Plenaria ad Altare Privilegiatum quomodò intelligatur? Tract. 65. nu. 25.
Indulgentiæ conceſſæ applicandæ per modum ſuffragii Animabus Purgatorii non ſuſpenduntur anno Sancto, ibid. num. 24. & 31.
Neque pro Agonizantibus, n. 32.
Indulgentia Plenaria Recitantibus Coronam B. V. Mariæ de ſeptem gaudiis ejus, & ſeptuaginta duobus ejus annis, Tr. 65. n. 26. & 27.
Aliqua Indulgentia reverenter nominantibus SS. Nomen JESU, vel MARIÆ, n. 23.
Indulgentiæ ordinariæ non poſſunt applicari Vivis, & Defunctis. In fine Tr. 65.
Infidelium filii non poſſunt baptizari invitis eorum Parentibus, Tr. 42. n. 35.
Infantes Fidelium baptizati domi ab obſtetricibus poſſunt rebaptizari ſub conditione à Parochis in Eccleſia, Tr. 42. n. 43. & ſeq.
Infantes, parvuli ſine Baptiſmo, cur tot moriantur, n. 58.
De cæteris. *V. Baptiſmum.*
Inſtructio pro ſacra Pœnitentiaria, Tr. 71. in fine.
Interſtitia Ordinationum, quæ? Tr. 48. num. 83. & ſeq. *V. Ordo. Ordinatio.*
Integritas Confeſſionis. *V. Confeſſio.*
Intentio Miniſtri Sacramentorum, quæ, & quotuplex, Tr. 41. à n. 58. & ſeq.
Intentio faciendi, quod facit Eccleſia, quid, ibid. n. 103. & ſeq.
Intendens facere actionem externam tantùm, an faciat validè, n. 105.
Intentio perverſa Miniſtri Sacramenti neceſſitatis, an ſuppleatur à Deo? nu. 106. & ſeq.
Intentio conferendi effectum Sacramenti, an ſit neceſſaria, Tr. 41. n. 114.
Intentio Miniſtri, an debeat eſſe determinata ad materiam certam, vel perſonam, nu. 118. & ſeq.
Intentio aliqua, an requiratur in ſuſcipiente Sacramenta, n. 124. & ſeq.

IRREGULARITAS. Tr. 58. *per totum*. *Ubi*
Quid ſit, n. 1. & ſeq.
Ex quibus capitibus oriatur, n. 4.

Digitized by Google

Irregularitates *ex Defectu*, multæ, à nu. 5. ad 23.
Irregularitates *ex Delicto*, multæ, à nu. 34. ad 38.
Diſpenſare ſuper Irregularitatem quis poſſit de Jure, n. 39.
Itinerantes Religioſi cuinam poſſint confiteri, Tr. 68. à n. 28.
Jubilæum. Varia Quæſita de Jubilæo, Tr. 65. à n. 34. ad 53.
Juriſdictio requiſita in Confeſſario. Tr. 67. per totum, ubi ordinatè multa quæſita, pluresque caſus patienter require.

L

LEctoratus. V. Ordo.
Licitè, & validè conferre, aut recipere Sacramentum quid? Tr. 41. n. 176.
Litteræ dimiſſoriæ pro Ordinandis à quo concedantur de Jure? Tr. 48. n. 70. Vide plura. *V. Ordo. Ordinatio.*

M

S. *MAria* Mater Jeſu an fuerit baptizata ab ipſo Chriſto, Tr. 42. num. 6. & 7.
Maritus, & Uxor. *V. Conjuges*, *& Matrim.*
Materia, & Forma Sacramentorum in communi, Tr. 41. n. 30. & ſeq.
Materia autem, & Forma ſingulorum Sacramentorum: *Require in ſingulis titulis, ſeu nominibus propriis. Baptiſmi, Confirmationis Euchariſtiæ, &c.*

MATRIMONII SACRAMENTUM.
Tr. 47. *per totum.*
Ubi
Quid ſit, n. 1. ad 5.
Quotuplex, n. 6.
Inſtitutio illius, n. 7.
Bona Matrimonii quæ, n. 8. ad 10.
Materia hujus, n. 11.
Forma ejus, n. 12.
Miniſter ejus, n. 13.
Parochus aſſiſtens, Tr. 47. n. 14.
Conjugum obligationes, num. 15. & ſeq. ad 23.
Divortium quid, & quomodo fiat, & ejus cauſæ, à n. 24. & ſeq.
De Sponſalibus, à n. 27. ad 38. ubi plures caſus practici.
Impedimenta Matrimonii, quæ, quot? à n. 39. uſque in finem, Tr 47.
Matrimonium invalidum, quomodo poſſit revalidari, n. 49. & 50.
Mendicantes Religioſi quinam dicantur, Tr. 67. n. 86.
Mendicantium Confeſſarii. *V. Confeſſarius Regularis.*
Merila, & bona opera mortificata, an reviviſcant per Pœnitentiam, T. 61. n. 49. & 50.

MINISTER SACRAMENTORUM
Quis? Tr. 41. à n. 48. & ſeq.
Ubi
Ejus Fides, n. 50.
Ejus Bonitas, n. 51.
Conditiones ejus, n. 53.
Miniſter conſecratus, quis, n. 54.
Non conſecratus, quis, n. 55. & ſeq.
Iſte non conſecratus, an peccet miniſtrando in malo ſtatu, n. 56. ad 58.
Diſpoſitio Miniſtri qualis requiratur, ibid. Tr. 41. n. 59. & 60.
An Miniſter in ſtatu peccati mortalis adminiſtrans peccet mortaliter toties, quoties abſolvit, aut conficit Sacramentum aliud, etiam ſucceſſivè, ibid. n. 61. & ſeq. & 64. & ſeq.
Miniſtrans indignè ſuſcipientibus, ib. n. 70.
Debet negare Sacramentum indignis, & quando, ibid. n. 71.
Miniſter numquam poteſt ſimulare adminiſtrationem Sacramenti, Tr. 41. num. 74. & 75.
An debeat etiam cum periculo vitæ miniſtrare Sacramenta neceſſitatis, ibid. num. 76.
An teneatur etiam feſtinare, & currere, num. 77.
Miniſtri intentio quæ, & qualis, ibid. Tr. 40. à n. 99. & ſeq.
Mala, & perverſa Intentio Miniſtri, an ſuppleatur à Deo, ibid. n. 107.
Moralis certitudo Intentionis Miniſtri, quando judicanda adeſſe, ibid. num. 112. & ſeq.
Nonnulla quæſita circa Intentionem Miniſtri, ibid. n. 115. & ſeq.
Error Miniſtri, quomodo poſſit contingere, ibid. n. 121. & ſeq.
Sanctitas Miniſtri, an ſit cauſa majoris gratiæ Sacramentalis, ibid. n. 175.
Quò ad alia Sacramenta. Vide de Singulis Sacramentis, ſuis in locis.
Minores Fratres S. P. Franciſci. *V. Fratres*, *& Regulares.*

MISSÆ SACRIFICIUM.
Tr. 45. *per totum.*
Ubi
Quid ſit Miſſa, n. 1.

Differentia inter Sacram. & Sacrificium Miſſæ, n. 2.
Prima Miſſa mundi, quæ fuit, n. 3. & 4.
Sacrificium, quid ſit, n. 5. & ſeq.
Offerens principalis, quis, n. 9. & ſeq.
Circumſtantes, vel audientes, an ſint offerentes, n. 11.
Sacerdos bonus, & malus, n. 13.
Plures ſimul Sacerdotes an poſſint conſecrate eamdem Hoſtiam, n. 14. & ſeq.
Partes Miſſæ. quæ, n. 16. & ſeq.
Quot Oblationes fiant in Miſſa, n. 19.
Miſſa multiplici titulo, vel ſine offertur. n. 20. ad 28.
Ut Sacrificium Latreuticum, n. 20.
Ut Eucharificum, n. 21.
Ut Laudativum, n. 22.
Ut Propitiatorium, n. 23.
An conferat remiſſionem peccatorum, nu. 24. & ſeq.
Ut Satisfactorium, n. 27.
Ut Impetratorium, n. 28.
Valor Miſſæ qualis, & quantus, n. 29. ad 36. ubi plures caſus.
Fructus Miſſæ multiplex. Tr. 45. n. 37. & ſeq.
Applicatio Sacrificii pertinet ad ſolum Celebrantem, n. 38. & ſeq.
Qualis applicatio ſufficiat, n. 40. & ſeq.
Modicum tempus in celebrandis Miſſis, Tr. 45. n. 51.
De Stipendio Miſſæ, varii caſus, Tr. 45. n. 43. & n. 61. & ſeq.
Applicatio Miſſæ quo meliori modo fieri debeat, ibid. n. 44. & ſeq.
Per unicam Miſſam, an poſſit liberari una Anima à Purgatorio, n. 46.
Miſſa celebrata ad Altare Privilegiatum, an infallibiliter liberet eam Animam, pro qua applicatur, n. 47.
Sacerdos quo Jure teneatur celebrare Miſſam, n. 48. & ſeq.
Sacerdos, qui eſt in mora celebrandi, an peccet mortaliter, n. 50. 31.
Omittens unam Miſſam ex pluribus debitis, an peccet mortaliter, n. 52.
De tempore, vel hora celebrationis Miſſæ, n. 53. & ſeq.
Sabbato Sancto, an liceat privatè celebrare Miſſam, Tr. 45. n. 56.
Item Feria quinta in Cœna Domini, ibid. n. 57.
Eodem die an liceat plures celebrare Miſſas, Tr. 45. n. 58.
Qua hora diei liceat celebrare, n. 59. & 60.
Parochi an quandoque teneantur gratis applicare Miſſas pro ſuis Parochianis, Tr. 45. n. 60. in fine,
Modicum tempus ſatisfaciendi Miſſis celebrandis, Tr. 45. n. 51.
Mortificata opera, an reviviſcant per veram Pœnitentiam, Tr. 61. n. 49. & 50.
Moribundus à quovis Sacerdote, etiam præſente approbato, & Parocho, poteſt abſolvi, Tr. 67. num. 13. & ſeq. & Tract. 61. n. 47.
Moribundus ſenſibus deſtitutus, qui nullum ſignum petitæ Confeſſionis dedit, poteſt, & debet ſub conditione abſolvi. Tr. 72. n. 28. & ſeq.
Mortis periculo conſtituti quinam cenſeantur, Tr. 67. n. 67.

N

NEomyſtæ, ideſt, Sacerdotes recenter ordinati, an conſecrent eamdem hoſtiam, & celebrent eamdem Miſſam cum Epiſcopo, Tr. 45. n. 14. & 15.

O

O*Blatio* Sacrificii Miſſæ. *V. Miſſa.*
Obligationes Beneficiati. *V. Beneficium.*
Obligationes Clericorum. *V. Prima Tonſura.*
Obligationes cæteræ. Vide ſub nomine proprio, *Parochi*, *Confeſſarii*, *Conjugum*, &c.
Obſtetrices baptizantes domi infantes ſæpè errare ſolent in eſſentialibus; ideòque Infantes debent cum conditione iterùm baptizari à Parocho, Tractat. 42. num. 43. & ſeq.
Obtinere Beneficium Eccleſiaſticum. *V. Beneficia Eccleſiaſtica.*
Occaſio proxima peccandi, Tr. 62. n. 70. & ſeq.
Officium divinum. *V. Hora Canonica.*
Opinioni probabili pœnitentis debet ſe conformare Confeſſarius in praxi ad abſolvendum. Tr. 71. n. 9.
Opiniones faventes pœnitentibus ſunt regulariter eligendæ à Confeſſario, Tract. 68. num. 8.
De Opinione probabili: *Require in Prima Parte hujus Lucis.*
Opiniones damnatæ. *V. Propoſitiones.*
Earum Declaratio eſt in Additione erga finem hujus Tomi.
Opus operatum, & opus operantis, quid ſignificet, Tr. 41. n. 145.

Opera injungenda pro pœnitentia, aut ſatiſ-factione. V. *Satisfactio*.

Opera bona mortificata reviviſcunt per Pœnitentiam. Tr. 61. n. 50.

ORDINIS, vel ORDINATIONIS SACRAMENTUM.

Tr. 48. *per totum*.

Ubi.

Quid ſit Ordo, n. 1.

Differentia inter Ordinem, & Ordinationem, n. 2. & ſeq.

Quot ſint Ordines, n. 10. & ſeq.

An ſinguli Ordines ſint Sacramenta, n. 19. & 20.

Majores Ordines per quid diſtinguantur à Minoribus, n. 24.

Quando fuit inſtitutum hoc Ordinis Sacramentum, n. 25.

Ordines Majores, quot, n. 26.

Minores quot, n. 27.

Materia Ordinis, n. 28. 29.

Forma Ordinis quæ. Tr. 48. n. 30.

Qualis contactus materiæ requiratur. ibid. n. 31. & ſeq.

Miniſter hujus Sacramenti, quis, n. 36. & ſeq. ubi plura quęſita de Epiſcopo Ordinante, ad n. 41.

A quo Epiſcopo debeat quis ordinari, n. 38. ad 42.

Regulares à quonam Epiſcopo debeant ordinari, n. 43. ad 46.

Tempora ſtatuta pro ordinatione facienda, n. 47.

Extra tempora poſſunt ordinari Regulares Mendicantes ex Privilegio, n. 48.

Quænam ſint de Eſſentia Ordinis, n. 49.

Quænam requirantur ad licitam Ordinationem, n. 50.

Plura quæſita de Ordinandis. Tr. 48. à n. 51. ad finem &c.

Titulus requiſitus ad Ordinationem pro Subdiaconatu, n. 55. & ſeq.

Patrimonium fictum, quid, n. 60. & ſeq. ubi plura dubia, &c. uſque ad n. 66.

Qui furtivè ordinaretur, quid incurreret, ib. n. 67. & ſeq.

Litteræ Dimiſſoriæ à quo concedendæ, n. 70.

Regulares à quo obtinere debeant Litteras Dimiſſorias. Tr. 48. n. 70. & ſeq.

Quibuſnam diebus habenda ſit Ordinatio de Jure, ibid. n. 75. & ſeq.

Eodem die an poſſint conferi plures Ordines. Tr. 48. n. 78. & ſeq.

Ordinari per ſaltum, quid, ibi. n. 82.

Interſtitia Ordinum quid, n. 83. & ſeq. ac n. 86. & ſeq.

Ætas requiſita in Ordinandis. Tr. 48. n. 94. & ſeq.

Scientia requiſita in Ordinando, n. 100. & ſeq.

Coactè ordinatus, n. 103.

Effectus Ordinis quinam ſint, n. 104.

De Charactere Ordinis, n. 108. & ſeq.

Finis, quem debet habere Ordinandus, quis, n. 110. ad 112.

Quinam arceantur ab Ordinatione, vel ſint inhabiles de Jure ad Ordinationem. n. 113.

DE ORDINIBUS IN PARTICULARIS.

Examen pro *Prima Tonſura*. Tr. 49. per totum, ubi ſunt puncta 72.

Examen pro *Minoribus Ordinibus*. Tr. 50. per totum, ubi ſunt puncta 77.

Examen pro *Subdiaconatu*. Tr. 51. à n. 1. ad 48.

Examen pro *Diaconatu*. Tr. 51. à n. 49. ad 68.

Examen pro *Concionatore*. Tr. 52. per totum, ubi ſunt 63. puncta.

Examen pro *Presbyteratu*. Tr. 53. per totum ubi ſunt puncta 43.

Ordinatio novi Sacerdotes, qui *Neomiſtæ* dicuntur, an conſecrent, ac celebrent Miſſam cum Epiſcopo. Tr. 53. n. 25.

An illa Miſſa Ordinationis ſit una tantùm, an verò tot, quot Sacerdotes novelli, ibid. n. 26. & ſeq.

Si unus ex dictis Sacerdotibus novellis perficeret verba Conſecrationis priùs, quàm Epiſcopus, validè non conſacraret. ibid. n. 31. & ſeq.

Non poſſunt prædicti Neomyſtæ, ſeu Sacerdotes novelli applicare eam Miſſam pro ſe, nec pro alio. ibid. n. 34. Vide plura ibid.

Oſtiariatus. V. *Ordo* ſuprà.

P

P*Arentes* tenentur procurare quamprimùm, ut filii ſui infantes baptizentur. Tr. 42. n. 37.

Et nequeunt domi eos baptizare niſi in caſu extremæ neceſſitatis. ibid. n. 42.

Neque poſſunt ſupplere defectum voti Baptiſmi pro ſuis infantibus morientibus ſine Baptiſmo in re ſuſcepto. ibid. n. 55.

Neque poſſunt licitè impedire ſponſalia, & matrimonia filiorum ſuorum. Tr. 47. n. 34.

Circa alias obligationes Parentum erga filios: *Require in Prima Parte hujus Lucis*,

PA-

PAROCHUS.

Parochus poteſt, & debet rebaptizare ſub conditione infantes jam baptizatos domi ab Obſtetricibus. Tract. 42. num. 43. & ſeq.

Parochi an teneantur diebus Feſtis gratis applicare Miſſas pro ſuis Parochianis. Tr. 45. in fine n. 60.

Parochus aſſiſtens Matrimonio. Tract. 47. n. 14.

Parochus quo ad Pœnitentiariam, nempè pro petendis diſpenſationibus in Matrimoniis, &c. Tr. 71. in fine.

Parochus extra ſuam Parochiam, & Diœceſim, an poſſit audire, & abſolvere ſuos Parochianos. Tr. 67. n. 28. 29. & 37.

Parochus quo ad alia. Vide ſub aliis titulis, ut puta *Confeſſarius*. *Confeſſio*. *Concionari*. *Miniſter Sacramentum*, *&c.*

Parochi, quamvis arte Concionatoria non polleant, tenentur tamen Doctrinali quodam modo prædicare populo; ſi volunt Cœlum intrare. Tr. 52. n. 7. & 8.

Parvuli. V. *Infantes*.

Patrinus an ſit adhibendus in Baptiſmo privato. Tr. 42. n. 49. & ſeq.

Obligatio Patrini. ibid. n. 50. & ſeq.

Patrinus in Confirmatione, qualis. Tr. 43. n. 26. & ſeq. ubi plures caſus, &c.

Patrimonium requiſitum pro Subdiaconando. Tr. 48. num. 60. & ſeq. ubi plura dubia &c.

Paupertas Minoritica. Tr. 68. n. 44. & ſeq.

Pecunia, & denarii. ibid. n. 48.

Pecunia, an poſſit dari Sacerdoti ad habendum Sacramentum. Tr. 41. n. 97.

Peccatum. V. *Materia Pœnitentiæ*; & Tr. 39. in prima Parte.

Peccatum philoſophicum, ejus damnatio Tr. 72. n. 20.

Ejus declaratio eſt in Additione, & Brevi notitia in fine ejuſdem Tr. 72.

Percuſſio Clerici, vel Monachi, quæ incurrit Excommunicationem, declaratur. Tr. 49. à n. 48. ad 56.

Periculo mortis, quinam cenſeantur eſſe in eo. Tr. 67. n. 67.

Et quo ad abſolutionem. V. *Abſolutio*, & *Articulo mortis*, & *Moribundus*.

Perverſa Miniſtri Sacramentorum Intentio; an ſuppleatur à Deo. Tr. 41. n. 107.

Petendi Diſpenſationes à Sacra Pœnitentiaria modus, & forma. Tr. 71. in fine.

Petere Sacramentum ab indigno Sacerdote, quandonam liceat. Tr. 41. num. 87. & ſeq.

POENITENTIÆ SACRAMENTUM.

Tr. 60. *per totum*.

Ubi.

Quid ſit? n. 1. ad 5.

An conſiſtat in ſola Abſolutione, n. 6.

An ſit verum Sacramentum? n. 7.

Quando inſtitutum, n. 8.

Quare fuit inſtitutum, n. 9. 12.

Peccatores quomodo ſalvabantur ante hoc Sacramentum, n. 10. & 11.

An fuerit expediens, n. 15.

Quare ſit ad modum Judicii, n. 17.

Neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ, num. 19.

Sacramentum in Voto, quid, num. 22. & ſeq.

Poteſtas Clavium, quid, n. 25.

An hoc Sacramentum reverà remittat peccata, n. 26. & ſeq.

An remittat & pœnam, n. 31. & ſeq.

Effectus hujus Sacram. n. 35. & ſeq.

Eſt ſecunda Tabula poſt Naufragium, num. 38.

De Materia, & Forma Sacram. Pœnitentiæ.

Tr. 61. *per totum*.

Ubi.

Quænam ſit materia hujus, n. 2. & ſeq.

Materia remota, n. 5.

Sufficiens, n. 6. ad 8.

Neceſſaria, n. 9. 10.

Materia proxima, n. 11.

Actus pœnitentis quare dicantur, *quaſi materia*, n. 12.

Contritio, Confeſſio, & ſatisfactio, an ſint partes eſſentiales, an integrales, nu. 14. & ſeq.

Quare tot actus requirantur, n. 16.

Contritio quomodo poſſit eſſe pars, n. 17.

Peccatum Originale nequit eſſe materia, n. 18.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ. Tr. 61.

Ubi.

Quænam ſit, n. 20. & ſeq.

Quænam verba præciſè ſint de valore, n. 22. ad 41. ubi plures caſus, &c.

An Abſolutio poſſit dari per ſigna, aut Scripturam, n. 42. & ſeq.

Abſolutio danda moribundo non valenti confiteri, aut loqui, n. 47.

Abſolutio danda puero fugienti per turbam, n. 48.

Abſolutio nequit dimidiari, n. 51.

Sacramentum hoc nequit eſſe validum, & informe, n. 52. & ſeq.

Propoſitum non peccandi de cætero. Tract.

Tract. 62. num. 9. & ſeq. & num. 56. ac ſeq.
Pœnitentia injungenda pœnitenti. V. *Satiſfactio, ubi etiam de Pœnitente quò ad hunc, &c.*
Pœnitens, qui Confeſſario ſuo tribuit rem reſtituendam, eo non reſtituente, adhuc obligatur ad reſtitutionem. Tr.68. n. 57.
Pœnitentiaria Sacra, forma, & modus petendi Diſpenſationes. Tr. 71. in fine.
Portiuncula Indulgentia. V. *Indulgentia*.
Prælati tam Sæculares, quàm Regulares oſtendentes ſe difficiles, ac nimis duros ad concedendam facultatem pro Reſervatis, peccant mortaliter. Tr.67. n. 96. & ſeq. & Tr.68. n.20.
Prædicator. Concionator. Examen pro Concionatoribus. Tr.52. per totum, ubi invenies 63. puncta.
Presbyteratus Ordo. Examen pro hoc Ordine Sacro. Tr. 53. per totum, ubi ſunt 43. puncta.
Privilegia Clericorum. V. Prima Tonſura. Tr.49. à n.40. ad 56.
Propoſitum non peccandi. V. *Contritio*.
Propoſitiones quomodò qualificentur, vel cenſurentur. Tr.72.n.1. ad 13.
Propoſitio ſcandaloſa an ſit etiam falſa? ibid. n. 14.
Propoſitiones damnatæ ab Innoc. P. X. ſunt quinque, ibid. n. 15.
Propoſitiones damnatæ ab Alex. P. VII. ſunt 45. ibid. n.17.
Propoſitiones damnatæ in re morali ab Innoc. P. XI. ſunt 65. ibid. n. 19.
Propoſitiones damnatæ ab Alex. P. VIII. primo loco ſunt II. Tr.72.n.20. ſecundo autem loco ſunt 31. ibid. Tr.72. n.21.
Pœnæ fulminatæ contra eos, qui ſuſtinebunt, defendent, docebunt aliquam ex dictis damnatis propoſitionibus. ibid. n.22. ad 27.
Propoſitionum damnatarum Declaratio eſt in Additione finali hujus 2. partis.
Proprietatis peccatum in Religioſo. Tr. 68. n.43. 45. ad 51. & 58.
PRUDENTIA CONFESSARII.
Tr. 71. *per totum.*
Ubi
Quid ſit iſta Prudentia, n. 1.
Qualis eſſe debeat? n. 2.
Confeſſarius ut Judex, n. 3.
Ut Medicus, n.4.
Ut Pater, n. 5.
Ut Magiſter, & Doctor, n. 6.
Quotuplex ſit iſta Prudentia, n.7.
Erga ſe ipſum. Tr.71. n. 8.
Erga pœnitentes, n. 9.
Erga adſtantes, n. 10.
Erga Scrupuloſos, n.32.
Quò ad interrogandum pœnitentem, n. 11. ad 15.
De quibuſdam caſibus difficilibus in praxi. n. 16. ad 19.
Quomodo poſſit formare judicium Prudens de diſpoſitione pœnitentium. Tr.71. n.20. ad 25.
Quando erraverit in ſuo Officio, ibid. n. 26. ad 29.
An Confeſſarius teneatur ſtudere Morali ſcientiæ, n. 30.
Modus inveniendi, & reſolvendi Caſus Conſcientiæ, n. 31.
Modus petendi diſpenſationes à Sacra Pœnitentiaria. Tr. 71. in fine.
Prudentia Confeſſarii erga Scrupuloſos. Tr. 71. n. 32.
Erga illos, qui in Paſcha accedunt, ſed non confitentur validè. Tr.63. n. 61.

R

Rebaptizare infantes debent ſub Conditione Parochi, quando ab Obſtetricibus domi fuerunt baptizati. Tr. 42. num. 43. & ſeq.
Recipientes Sacramenta. V. *Suſcipiens, &c.*
REGULARES.
Regulares, Religioſi quando, & quibus poſſint miniſtrare SS. Viaticum, & Extremam Unctionem ſine licentia Parochi. Tr. 46. n.9. 10. 11. 12.
Regulares à quonam Epiſcopo poſſint ordinari. Tr.48. n.43. & ſeq.
Item à quo debeant recipere litteras dimiſſorias pro ordinatione. Tr.48. n. 70. & ſeq.
Item quò ad approbationem pro Confeſſionibus audiendis. Tr.68. n. 2. & 3.
Item ad abſolvendos ſæculares à Caſibus aliàs Reſervatis. Tr 67. n.85.
Item ad abſolvendos ſæculares à Cenſuris Papalibus, & Epiſcopalibus. Tr. 57. à n. 76. ad 85. & Tr. 67. n.93. & ſeq.
Item ad audiendas Confeſſiones Monialium. Tr. 67. n.53. ad 56.
Religioſi itinerantes quò ad confitendum. Tr.68. à n.28.
Regularis, Religioſus proprietarius, &c. Tr. 68. n.45. ad 58.
Regularis Ordinis Minorum de Corpore Obſervantiæ quò ad Examen pro Confeſſionibus inter fratres. Vide Tr.68. per totum.

Digitized by Google

tum: ubi ſunt 56. puncta ordinata in gratiam Confeſſarii noſtri Ordinis, &c.
Regularis, aut Religioſi debita contracta ex delicto. Tr. 68. n. 58.
Regula Juris Canonici quid? Tr. 72. n 30.
Quot ſint Regulæ Juris in Quinto, & Sexto Decretalium. ibid. n. 33.
Ibique omnes illæ Regulæ, ordinatè poſitæ ſunt, & expoſitæ ſecundùm Gloſſas Juriſperitorum, breviſſimè, &c. ibid. Tr. 72. à n. 33. & ſeq.
Religioſus. Vide ſuprà *Regularis*.
Reliquia peccatorum quid ſint? Tractat. 60. n. 37.
Reſervatio Caſuum. Vide Tr. 67. à n. 56. ad 98. ordinatè. Ubi plura dubia; variique Caſus, &c. quos patienter requires.

S

SAbbata Ordinationi. V. *Ordo*.
Sabbato Sancto, an liceat Miſſas privatas celebrare. Tr. 45. n. 56.

SACERDOS.

Miniſtrans in ſtatu peccati mortalis aliquod Sacram. an toties peccet, quoties miniſtrat, etiam ſucceſſivè. Tr. 41. num. 61. & ſeq.
Diſpenſans Euchariſtiam in malo ſtatu, an toties peccet, quoties communionem præbet. ibid. n. 64. & ſeq.
Indignè miniſtrans quale peccatum committat, n. 65.
Agens Sacramentalia in malo ſtatu, an peccet, n. 69.
Miniſtrans Sacram. Indigis quando peccet, n. 70.
An debeat denegare diſpenſationem Sacram. indigno petenti in publico, n. 71.
An petenti indigno in ſecreto denegandum ſit Sacram. & quomodò, n. 72.
An poſſit aliquando ſimulare adminiſtrationem Sacram. & quomodò poſſit contingere ſimulatio, n. 74. & 75.
An cum periculo ſuæ vitæ teneatur miniſtrare Sacram. neceſſitatis, n. 76.
Etiam currendo, n. 77.
In conſecrandis particulis quomodò ſe debeat gerere. Tr. 44. n. 15. 18. & ſeq. ubi plures caſus, &c.
Advertens poſt Conſecrationem Hoſtiæ, hoſtiam fuiſſe duplicem quid agere debeat. ibid. n. 22.
Celebrans cum ſola Contritione, ad quid teneatur. ibid. n. 58.
Celebrans cum Stipendio. V. *Stipendium*.

SACERDOS.

Miniſtrans Extremam-Unctionem infirmo non laboranti gravi, & periculoſo morbo, an peccet. Tr. 46. n. 19.
Cur Sacerdos, vel Parochus aſſiſtat Matrimonio. Tr. 47. n. 14.
Sacerdotes an teneantur ſumere Euchariſtiam fer. 5. in Cœna Domini. Tr. 44. n. 52.
An Sabbato Sancto, & feria 5. in Cœna Domini poſſint Sacerdotes privatè celebrare. Tr. 45. n. 56.
Sacerdos quò ad alia: Vide ſub aliis titulis *Sacramentorum*.
Sacerdotii. *Examen* pro Ordine Sacerdotali. Tr. 53. per totum, ubi ſunt 43. puncta ſpectantia ad Sacerdotis notitiam.
Sacerdos in celebrando. V. *Miſſa*.
In abſolvendo. V. *Confeſſarius*. *Abſolutio*.
Sollicitatio ad venerea in Confeſſione. V. *Sollicitatio*, & ſic de ſimilibus titulis.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Tr. 41. *per totum*.

Ubi

Invenies 195. puncta, per quæ multa dubia, & varii caſus reſolvuntur per Ordinem ad Examen Ordinandorum,
Sacramenta, & Sacramentalia quomodò differant. Tr. 41. n. 18. ad 20.
Sacrificium Miſſæ. V. *Miſſa*.

SATISFACTIO SACRAMENTALIS

Tr. 64. *per totum*.

Ubi.

Quid ſit Satisfactio, n. 1.
Quotuplex, n. 2. 3.
Qualia opera injungenda, n. 4. 5.
An opus aliàs debitum, n. 6.
An Suffragium pro Defunctis, n. 8.
An neceſſariò ſit imponenda aliqua Satisfactio pœnitenti. ibid. n. 10. & 11.
An verba illa, *Paſſio Domini noſtri*, &c. recitata à Confeſſario poſſint inſervire ex intentione ipſius, pro bona parte Satisfactionis, &c. n. 14. ad 18.
Satisfactio qualem effectum habeat, n. 19.
An ſit adimplenda in ſtatu gratiæ, n. 20.
Quanta Pœnitentia ſit imponenda pœnitentibus, num. 21. ad 31. ubi plures caſus, &c.
Cauſæ propter quas Confeſſarius prudenter poſſit imponere minorem pœnitentiam, n. 32.
An pœnitens teneatur acceptare, & implere pœnitentiam, n. 33.
An ſit abſolvendus, qui nullam vult acceptare pœnitentiam, n. 34.

Alia

Digitized by Google

Alia quæſita de hac materia &c. Tr. 64. n. 35. ad 40.
An pœnitentia poſſit commutari, & à quo, n. 41. ad 44.
Scientia requiſita in Confeſſario. Tr. 66. à n. 27. ad 54.
Scotus Doctor Subtilis, quàm benè ſcripſerit, ac ſenſerit. Tr. 60. n. 18.
Scrpuloſorum Regulæ. Tr. 71. n. 32.
Vide etiam *Conſcientia Scrupoloſa*, in Part. 1. Tr. 1. à n. 62.

SIGILLUM CONFESSIONIS.
Tr. 70. *per totum.*
Ubi.

Quid ſit? n. 1. 2. 3.
Ubi habeatur præceptum de hoc Sigillo, n. 4. & ſeq.
Infractione Sigilli, an dari poſſit parvitas materiæ, n. 10. ad 16.
Ficta Confeſſio an obliget ad Sigillum, nu. 17. & ſeq.
Ex Confeſſione etiam invalida oritur obligatio Sigilli, n. 20.
Uti notitia habita extra Confeſſionem, & poſteà in Confeſſione, an liceat, n. 21. & ſeq.
Pœnitens an poſſit dare licentiam Confeſſario revelandi ſuam Confeſſionem, n. 25. & ſeq.
Licentia talis, ut ſit licita quomodo debeat concedi, n. 30.
Si Confeſſarius loquatur extra Confeſſionem cum eodem pœnitente de audītis, &c. an frangat Sigillum, n. 31. & ſeq.
Quænam cadant ſub Sigillo, n. 34.
Quot modis poſſit frangi Sigillum Confeſſionis, n. 35. ad 45. ubi plures Caſus neceſſarii, &c. pro omni Confeſſario.
Quinam obligentur ad Sigillum Sacramentalis Confeſſionis, ibid. n. 46.
An Confeſſarius poſſit uti ſcientia, vel notitia habita in Confeſſione, n. 47. ad 57. ubi plures caſus practici.
Frangens Sigillum ad quid teneatur, n. 58.
Cognitio Cauſæ fractionis Sigilli ad quemnam Judicem ſpectet, n. 59.
Pœnæ frangentis Sigillum, n. 60.
Simulare adminiſtrationem Sacramenti nunquam eſt licitum. Tr. 41. n. 74. 75.

S I M O N I A.
Tr. 56. *per totum.*
Ubi.

Quid ſit, n. 1. & ſeq.
Quotuplex ſit, n. 8. & ſeq.
Simonia palliata, n. 20. & ſeq. ubi plures Caſus.
Pœnæ contra Simoniacos. Tract. 55. n. 29. & ſeq.
Sollicitare pœnitentes ad turpia. Vide Tr. 69. per totum.

S P O N S A L I A.

Sponſalia, quid. Tr. 47. n. 27. & 28.
Conditiones requiſitæ ad valorem ipſorum. n. 29.
Quiſnam poſſit contrahere ſponſalia, n. 29. & 30.
Quandò, & quomodò obligent, n. 31.
Secretò facta, an teneant, n. 32.
Filii, qui contra voluntatem ſuorum Parentum contrahunt ſponſalia, n. 33.
Parentes impedientes, n. 34.
Cauſæ, propter quas diſſolvuntur ſponſalia, n. 35.
Secunda an diſſolvant prima ſponſalia, n. 36. ad 38.
Status gratiæ requiſitus in Miniſtro Sacramentorum. Tr. 41. n. 59. 60.
Quomodò quis poſſit ſe conſtituere in ſtatu Gratiæ, ibid. n. 60.
Stipendium Miſſæ. Tr. 45. n. 43. & 61. uſque in finem.
Subdiaconatus. *V. Ordo*.
Subjectum capax Sacramentorum. Tract. 41. n. 78.
Fictè ſuſcipiens Sacramentum. Tr. 41. n. 79. & ſeq.
An ſit licitum ſuſcipere Sacramenta à malo Sacerdote, & quandò. Tract. 41. n. 87. & ſeq.
Superna. Bulla, quæ incipit, *Superna*. Tr. 67. n. 99.
Suſcipiens Sacramenta an debeat habere aliquam intentionem ſuſcipiendi. Tr. 41. n. 124. & ſeq.
Quid ſit ſuſcipere Sacramentum validè, licitè, fructuosè. Tr. 41. n 176.
Suſpenſionis Cenſura. Tract. 57. à n. 44. & ſeq.

T

Tabacchi ſumptio, an frangat Jejunium Naturale ante Communionem. Tr. 44. n. 61. & ſeq.
An ſumere Tabacchum ſit quid vitioſum, ibid. n. 65.
Tactus materiæ in Ordinatione an debeat eſſe phyſicus, vel moralis. Tr. 48. num. 31. 32.
Titulus, ad quem quis debet ordinari in Subdiaconatum. Tr. 48. n. 55. & ſeq. *V. Patrimonium*.

Digitized by Google

Tempus modicum ad Miſſas celebrandas, ex obligatione. Tr. 45. n. 51.
Tempora Ordinationis, quæ. Tr. 48. n. 47.
Extra Tempora Mendicantes Regulares poſſunt ex Privilegio ordinari. Tract. 48. n. 47.
Quibus diebus facienda eſt Ordinatio de Jure Tr. 48. n. 75. *V. Ordo.*
Tonſura. Prima Tonſura. Examen. Tr. 49. per totum, ubi ſunt 72. puncta ordinata pro Examine.

V

V*Alidum*, & Informe Sacramentum, quid, Tr. 41. n. 49.
Confeſſio nequit eſſe valida, & informis. Tr. 61. n. 52.
Validè, Licitè, Fructuosè, differunt. Tr. 41. n. 176.
Valor Sacramenti. V. *Sacramentum*.
Valor Miſſæ. V. *Miſſa*.
B. Virgo Maria fuit baptizata à Christo Filio ſuo. Tr. 42. n. 6.
Vinum. Vide *Materia Eucharistiæ*. Tr. 44. n. 7. & ſeq.
Unctio-Extrema. *V. Extrema, &c.*
Votum Paupertatis. Tract. 68. num. 44. & ſeq.
Votum. Sacramentum in voto an poſſit cauſare Gratiam. Tr. 41. n. 194. *V. Sacramentum*, ubi plura.

F I N I S.

Quæ tibi, mi Lector, hic non occurrunt, fortè invenies in Indice Primæ Partis.

Digitized by Google

ADDITIO.
BREVIS NOTITIA,

Simulque Confutatio Propoſitionum damnatarum,

AB ALEXANDRO PAPA VII.

A B

INNOCENTIO UNDECIMO,

& nonnullorum Moralium

AB ALEXANDRO OCTAVO

Luci Morali in gratiam Tyronum ab Auctore annexa.

Digitized by Google

BREVIS NOTITIA,

Simulque confutatio Propoſitionum quadraginta quinque jam damnatarum, & prohibitarum

A SS. D. N. ALEXANDRO PAPA VII.

QUæritur I. Homo Chriſtianus tenetur-ne aliquando in vita ſua elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præciſa Præceptorum Divinorum ad eas virtutes Theologales pertinentium?

Reſpondetur Affirmativè. Ratio eſt: quia certum eſt, dari præcepta formalia, & poſitiva credendi, ſperandi, & diligendi DEUM; atqui omnia præcepta formalia, & poſitiva aliquando obligant nos ad proprios actus eliciendos, ut patet diſcurrenti per Decalogum: aliàs fruſtrà darentur præcepta, niſi quandoque obligarent; ergo præcepta formalia, & poſitiva Virtutum Theologalium per ſe, & ex vi propria aliquoties obligant nos ad credendum, ſperandum, & diligendum DEUM.

Tum quia: ex ipſomet dictamine rationis, & fidei rectæ cognoſcitur, repugnare, quòd homo ad imaginem DEI creatus numquam, vel rariſſimè in vita ſua ſe ſe convertat ad DEUM, credendo, quæ ipſemet DEUS dignatus eſt nobis revelare per Sacram Scripturam, & Eccleſiam Catholicam, ſperando in ejus promiſſionibus, & miſerationibus promiſſis, & diligendo ejus Summam Bonitatem, & infinitam Amabilitatem.

Tum quia: eſſet quidam contemptus, & enormis ingratitudo, ferè numquam uti habitibus infuſis Virtutum ſupernaturalium Fidei, Spei, & Charitatis, quibus condecorati ſumus ad colendum DEUM, & ad Chriſtianè vivendum pro conſecutione ultimi Finis, qui eſt ipſe DEUS clarè viſus in Patria Cœleſti. – Vide plura ad propoſitum apud Joannem de Cardenas, *part. 4. Criſi Theol. diſſert. 11. à cap. 1. art. 1.* & apud Dominicum Viva *in Trutina Theol. part. 1. pag. mihi 10. & ſeq.* – Unde meritò damnata fuit *Prima propoſitio ab Alex. VII.* quæ dicebat, prout ſequitur:

1 *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Quæritur II. Vir nobilis ad duellum provocatus, poteſtne illud acceptare, ne apud alios incurrat notam timiditatis.

℞. Negativè. Ratio eſt: quia vitam propriam, ſimul & alienam exponere periculo ob cauſam levem, & vanam, eſt peccatum contra Legem Naturæ *de amore ſui, & proximi*; atqui in caſu noſtro vir nobilis provocatus ad duellum, illudque acceptans, ne incurrat notam timiditatis, ob levem, & vanam cauſam exponit periculo manifeſto vitam ſuam, & alterius provocantis; ergo, &c. Quare meritò damnata eſt Secunda propoſitio hæc:

Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt 2
illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

Quæritur III. Epiſcopi poſſuntne abſolvere ſibi ſubditos ab hæreſi, & aliis Caſibus in Bulla Cœnæ contentis, quando iſta crimina ſunt occulta?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia ipſa Bulla Cœnæ expreſsè prohibet omnibus etiam Epiſcopis, ne aliquem abſolvant à dictis Caſibus, niſi tantùm in mortis articulo conſtitutum: *non obſtantibus cujuſvis Concilii decretis*; ergo hæc Bulla derogat decreto Concilii Trid. *ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform.* Ita Felix Poteſt., *tom. 1. n.* 3336. & Dom. Viva, *p. 1. pag. mihi 16.* & 17. – Unde meritò damnata eſt hæc propoſitio: videlicet:

Sententia aſſerens, Bulla Cœnæ ſolùm pro- 3
hibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt: & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt: anno 1629. 18. Julii in Conſiſterio Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

Quæritur IV. Prælati Regulares poſſuntne in foro conſcientiæ abſolvere ſæculares pœnitentes ab hæreſi occulta?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia Bulla Cœnæ, §. finali expreſsè abrogat omnia Indulta, & Privilegia Regularium quoad hanc abſolutionem. -- Ita Dominicus Pueronus in Comment. dictæ Bullæ. -- & Domin. Viva, *part.* 1. *pag.* 20. Quare meritò damnata eſt ſequens propoſitio:

4 *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientia abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.*

Quæritur V. Quando tibi evidenter conſtat, aliquem eſſe hæreticum, tenerisne eum denunciare Officio S. Inquiſitionis, etiamſi non valeas probare per alios teſtes.

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia Edicta Generalia DD. Inquiſitorum, quæ vim Legis habent, obligant ad denunciandum, nulla facta mentione de probatione delicti. -- Tum quia denunciator in hoc Foro non tenetur probare, ſed tantùm deponere, quod audivit, & ſcit, veluti Teſtis, non ut Actor. -- Ita Felix Poteſtatis, *tom.* 2. *n.* 62. 260. 596. & alibi. -- Diana *Coord. tom.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 1. & 2. -- Dom. Viva, *part.* 1. *pag.* 23. Unde meritò damnata fuit ſequens propoſitio:

5 *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.*

Quæritur VI. Confeſſarius, qui in actu Confeſſionis tribuit pœnitenti epiſtolam, vel chartam ſcriptam poſtea legendam, in qua ad venerea invitat, eſtne denunciandus?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia dum traditur talis ſcriptura, incipit moraliter ſollicitatio ad turpia; fitque injuria Sacramento in terminis Bullæ Gregorii XV. incipien. *Univerſi Dominici Gregis*. Ita Diana *Coord. tom.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 47. -- Felix Poteſt. *tom.* 2. *n.* 507. & 567. & alii DD. communiter. -- Unde meritò damnatur hæc propoſitio, quæ ſequitur:

6 *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat: non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione; ac proinde non eſt denunciandus.*

Quæritur VII. Si perſona jam ſollicitata ad turpia à D. Titio Confeſſario, confiteatur denuò apud eumdem, liberaturne ab onere denunciandi ipſum, ſi eam non admoneat de tali obligatione?

℞. Quamvis Confeſſarius ſollicitans non teneatur monere pœnitentem à ſe ſollicitatum, non per hoc tamen pœnitens liber eſt ab onere denunciandi; quia hoc onus non imponitur à Confeſſario, ſed à Romano Pontifice; ut patet in Bulla citata Greg XV. -- Ita Anacletus noſter, *in moral. tract.* 14. *diſt.* 8. *qu.* 5. *nn.* 65. & 66. -- Felix Poteſt. *tom.* 2. *n.* 609. & alii DD. Unde meritò damnatur ſequens propoſitio:

Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt: Sollicitatus confiteatur cum ſollicitante; hic poteſt illum abſolvere abſque onere denunciandi. 7

Quæritur VIII. Sacerdos pro eadem numero Miſſa poteſtne recipere duplicatum ſtipendium, applicando alteri partem ſpecialiſſimam fructus illius Sacrificii, quæ ſibi celebranti ſolet competere?

℞. Negativè. Quia hoc eſſet contra Decretum Urbani VIII. De Celebratione Miſſarum. incipien. *Cùm ſæpè contingat*; ubi, §. 2. habentur hæc verba: *Sub obteſtatione Divini Judicii mandat, & præcipit, ut abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; itaut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur*. Ita Decretum. -- Tum quia, vel illa pars ſpecialiſſima, quæ ſolet ipſimet celebranti ſemper competere, non eſt applicabilis alteri, vel certè hoc eſt valdè incertum, vel dubium apud Theologos claſſicos; atqui dat ſtipendium pro uno Sacrificio, valorem certum, & ſolitum ſibi applicari intendit, non autem valorem incertum, vel dubium; ergo eſt omninò illicitum, & injuſtum accipere duplex ſtipendium pro uno Sacro cum illa metaphyſica applicatione ab avaritia inſinuata. Ita etiam Maſtrius, *in Theol. Moral diſp.* 19. *num.* 77. cum multis DD. -- Anacletus, *moral. tract.* 14. *diſt.* 5. *quæſt.* 5. *num.* 53. & *ſeqq.* -- Dom. Viva, *part.* 1. *pag.* 30. -- Unde meritò damnatur hæc propoſitio:

Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebranti correſpondentem; idque poſt Decretum Urbani Octavi. 8

Quæritur IX. Sacerdos, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certò ſtipendio pinguiori, poteſtne licitè eamdem Miſſam alteri Sacerdoti celebrandam committe-

re,

re, retenta ſibi parte illius pinguioris ſtipendii?

℞. Negativè. Quia hoc eſſet expreſsè contra Decretum citatum Urbani Octavi de Celebratione Miſſarum, ubi §. 4. leguntur hæc verba: *Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.* Ita Decretum. Ex quibus verbis, quæ connexionem habent cum præcedentibus ſuprà, nu. 8. citatis, manifeſtè colligitur, quòd faciens contra hoc Decretum in re gravi, peccaret mortaliter, & ad reſtitutionem teneretur: ut cum multis rationibus probat Dominicus Viva, in Trut. ſupra hanc ipſam theſim. Unde meritò damnata fuit ſequens propoſitio:

9 *Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.*

Quæritur X. Peccatne contra Juſtitiam Sacerdos, qui plura ſtipendia recipit pro pluribus Sacrificiis, & tamen unum tantùm applicat Sacrificium pro illis.

℞. Affirmativè. Ratio eſt evidens; nam ex verbis Decreti Urbani ſuperiùs, num. 8. relatis habemus, dictum Sacerdotem ſic facientem *peccare mortaliter, & ad reſtitutionem teneri*; atqui non teneretur ad reſtitutionem, niſi peccaſſet contra Virtutem Juſtitiæ commutativæ; ergo de facto peccavit contra juſtitiam. Intercedit enim quidam contractus innominatus *Do, ut Facias* inter perſonam dantem ſtipendium, & inter Sacerdotem facientem, & applicantem Miſſas. Unde meritò damnatur hæc theſis, nempe:

10 *Non eſt contra Juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendia accipere, & Sacrificium unum offerre. Neque etiam eſt contra fidelitatem: etiamſi promittam promiſſione, etiam juramento firmata danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.*

Quæritur XI. Peccata mortalia in una Confeſſione rationabiliter omiſſa, aut inculpabiliter oblita, tenemurne in ſequenti Confeſſione confiteri, ſi memoriæ occurrant?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia, ceſſante impedimento, ſatisfaciendum eſt Præcepto Divino de Integritate Confeſſionis; nam Concilium Trident., ſeſſ. 14. cap. 5. docet: *Inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem .... Et Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tamquam Præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, &c.* Tum quia, ipſa conſuetudo, & praxis omnium Catholicorum hoc probat; ergo meritò damnata eſt propoſitio hæc:

Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere. 11

Quæritur XII. Regulares poſſuntne deinceps virtute ſuorum Privilegiorum abſolvere ſæculares à Caſibus Epiſcopo reſervatis?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia Privilegia quoad hoc fuerunt expreſsè revocata à pluribus Summis Pontificibus, ſpecialiter à Clemente VIII. Paulo V. Urbano VIII. & Clemente X. in Bulla incipien. *Superna*; ut videre eſt apud P. Felicem Poteſt. *in Exam. Eccleſ. tom. 1. à n.3413. & ſeqq.* & apud P. Dom. Viva, *in Trut. Theol. p. 1. pag. mihi 42. à n. 8. & ſeqq.* Unde meritò damnatur hæc theſis:

Mendicantes poſſunt abſolvere à Caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate. 12

Quæritur XIII. Sæcularis, qui in Paſchate confitetur alicui Confeſſario Regulari, qui ſe præſentavit Epiſcopo Diœceſano, ſed injuſtè fuit reprobatus ab eo, ſatisfacitne Præcepto annuæ Confeſſionis?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia ex doctrina Concilii Triden. ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione, habemus, Nullum, etiam "Regularem poſſe Confeſſiones ſæcularium "audire, nec ad id idoneum reputari, niſi "priùs obtineat Approbationem ab Epiſ"copis: ibique abrogantur Privilegia, & Conſuetudines in contrarium; ergo Regularis præſentatus tantùm, & non approbatus, non poteſt dici Confeſſarius idoneus pro Sæcularibus: & conſequenter nec licitè, nec validè poteſt eorum Confeſſiones audire; ideoque meritò damnatur propoſitio hæc:

Satisfacit Præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato. 13

Quæritur XIV. Qui facit Confeſſionem voluntariè invalidam, ſatisfacitne Præcepto Eccleſiæ?

℞. Negativè. Ratio eſt; quia Deus, &

Digitized by Google

Eccleſia præcipit Confeſſionem fidelem; atqui Confeſſio voluntariè invalida non eſt fidelis, imò eſt nulla, & Sacrilega, ſi conſequatur abſolutionem; ergo per hanc nequit ſatisfieri mandato Divino-Eccleſiaſtico. Ita ex cap. Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. Anacletus, *moral. tract.* 10. *diſt.* 3. *q.* 2. *à nu.* 20. — Cardenas, *diſſert.* 34. *cap.* 1. *&* 2. — Viva, *part.* 1. *pag.* 49. — Unde meritò damnata eſt propoſitio hæc:

14 *Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam ſatisfacit Præcepto Eccleſiæ.*

Quæritur XV. Pœnitens propria auctoritate poteſtne ſubſtituere ſibi aliquem, qui, vice ipſius adimpleat ſatisfactionem Sacramentalem?

℞. Negativè. Ratio eſt; quia hoc eſſet contra textum Concilii Lateranenſis, relatum in cap. Omnis utriuſque; ibi enim dicit: *Et injunctam ſibi pœnitentiam proprii viribus ſtudeat adimplere.* Tum quia ſatisfactio facta per ſubſtitutum, nequit eſſe Sacramentalis. Ita TT. communiter apud Anacletum, *moral. tr.* 14. *diſt.* 10. *q.* 1. *à n.*13. *& ſeq.* Ideò meritò damnatur hæc:

15 *Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.*

Quæritur XVI. Parochi poſt Tridentinum Concil. poſſuntne ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Epiſcopo Diœceſano?

℞. Negativè. Ratio eſt; quia hoc eſſet manifeſtè contra Decretum ipſiuſmet Concilii, ſeſſ. 23. cap. 15. ibi, Decernit ta-
„ men S. Synodus, nullum, etiam Regula-
„ rem, poſſe Confeſſiones ſæcularium, et-
„ iam Sacerdotum, audire, nec ad id ido-
„ neum reputari, niſi aut Parochiale Be-
„ neficium, aut ab Epiſcopis per examen,
„ ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs
„ idoneus judicetur, & approbationem, quę
„ gratis detur, obtineat Privilegiis, conſue-
„ tudine quacumque, etiam immemorabili,
non obſtantibus. *Hæc Conc.* Ergo ſimplex Sacerdos non approbatus ab Epiſcopo Diœceſano nequit eſſe idoneus Confeſſarius pro ſæcularibus, etiam Sacerdotibus, etiam Parochis. Idòque damnatur ſequens theſis.

16 *Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

Quæritur XVII. Eſtne licitum privata auctoritate ad ſui defenſionem occidere Calumniatorem?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia eſſet ſpecies vindictæ privatæ, quæ prohibetur à Deo, Levit. 19. v. 18. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* — Item, Rom. 12. v. 17. *Nulli malum pro malo reddentes.* Vindicta autem occiſiva prohibetur Quinto Decalogi præcepto: *Non occides:* cum communi DD. Maſtrius, *moral. diſp.* 11. *num.* 106. Tum quia, ut licita ſit occiſio ad ſui defenſionem, debet conſtare evidenter *de moderamine inculpatæ tutelæ*; atqui in defenſione occiſivà contra calumniatorem non poteſt conſtare evidenter *de hoc moderamine inculpatæ tutelæ*; nam occiſio calumniatoris non eſt unicum medium promulſandi, vel impediendi calumniam, quæ aliquando nequit impediri, cùm jam ſit ſparſa per vulgum, quandoque verò non habet, ſeu non ſortitur ſuum effectum; cùm calumnia, ut calumnia, creditur à viris verè prudentibus, ſolum calumniatorem inhonoret, ac damnificet; ſemper autem calumniatus poteſt ſe defendere per recurſum ad Superiores, ac Judices, ſicque per viam rectam Juſtitiæ ſe liberare à damno futuro; ergo, &c. — Tum quia, dato, & non conceſſo, quòd aliud non eſſet medium liberandi à te calumnia illata, vel inferenda, niſi hoc unum, nempe *occidendo Calumniatorem*, adhuc omninò illicita, & injuſta foret defenſio occiſiva; quia in rei veritate magis æſtimanda eſt vita corporalis proximi, quàm fama tua; nam vita naturalis majus bonum eſt, quàm fama, & bona opinio hominum. — Tum quia in Jure defenſionis ſemper conſiderandum eſt, ne ejus uſus in perniciem Reipublicæ vergat; atqui defenſio occiſiva contra calumniatores, ſi concederetur ut licita, ſtatim vergeret manifeſtè in magnam perniciem, ac ruinam Reipublicæ; nam omnes injuriati, & calumniati arriperent gladios, ſclopos, & arma contra injuriantes, ac calumniantes, ſicque ubique paſſim neces, & vulnera pro verbis reprenderentur; ergo damnata fuit jure meritò ſequens propoſitio:

Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calum- 17
niatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit: uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè,

Digitized by Google

publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

Quæritur XVIII. Innocens, ut Reus accuſatus, & expectans certò ſententiam ab iniquo Judice, poteritne licitè tàlem occidere Judicem, ſi alia via non poſſit damnum evitare?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia adeſt de facto alia via, qua Innocens poſſit ſe à damno liberare: V. G. adhibendo alios Teſtes ad probandam ſuam innocentiam, vel appellando Judicem Supremum, reclamando; quòd ſi nullo ex his modis licitis nequeas impedire injuſtam ſententiam, & damnum temporale inde ſecuturum, non ideò tibi unquam licebit occidere Judicem injuſtum; quia nemo Judex in propria cauſa, & nemini privato licet vindictam ſumere contra Superiorem injuſtum; aliàs innumeris vindictis, & cædibus aperiretur via in maximum Reipublicæ detrimentum; ſed DEO vindictam relinquendam jubet Sacra Scriptura, Deut. cap. 32. v. 35. *Mea eſt ultio: & ego retribuam in tempore:* dicit Dominus, *Qui facit judicium injuriam patientibus;* Pſ. 145. Et de omnibus malis permiſſis bonum aliquod elicit: ut dicit D. Thom. in Apocalipſ. 8. Vide plura apud Cardenas, *differt.* 21. *cap.* 2. *art.* 1. *& ſeqq.* -- Viva, *p.* 1. *pag.* 58. *& ſeqq.* Quare meritò damnatur hæc propoſitio:

18 *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.*

Quæritur XIX. Maritus deprehendens uxorem ſuam in adulterio, poteſtne licitè eam occidere?

℞. Negativè. Ratio patet ex dictis, *n.* 17. *& ſeq.* tunc enim Maritus ſe poſitivè vindicaret auctoritate privata, cùm nulla Lex contulerit Marito hanc poteſtatem judiciariam, & vindicativam. Tum quia injuſtum eſt, parte inaudita, aliquem reum damnare, & morti tradere; ergo injuſtus foret in caſu noſtro, ſi Maritus propriis manibus necem inferret uxori in actu adulterii; hoc enim eſſet necare corpus, & Animam perdere propriæ uxoris inauditæ, & inconfeſſæ. Tum quia, cap. Inter hæc, 33. quæſt. 2. ibi, Nicolaus Papa I. dicit, *Non licere ſecundùm Eccleſiaſticas Leges uxorem adulteram interficere.* -- Vide plura apud Viva, *p.* 1. *pag.* 61. Quare meritò damnata fuit hæc theſis:

Non peccat maritus occidendo propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehenſam. 19

Quæritur XX. Beneficiatus culpabiliter omittens Horas Canonicas, teneturne in foro conſcientiæ ante omnem ſententiam Judicis Eccleſiaſtici reſtituere fructus pro rata, & parte?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia Concilium Lateranenſe ſub Leone Papa X., *ſeſſ.* 9. Statuit, quod Beneficiarius omittens Horas, poſt ſex menſes ab obtento Beneficio, fructus non faciat ſuos, ſed illos pro rata omiſſionis, tamquam injuſtè præceptos, teneatur in fabricam Beneficii, aut in eleemoſynas erogare. Et S. Pius V. in ſua Conſt. 135. quæ incipit, *Ex proximo Lateran.* idipſum confirmavit, & declarando ſtatuit: Ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes Beneficii, vel Beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur; qui verò Matutinum, tantùm dimidiam; qui cæteras omnes Horas aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat. *Hac Pontifex.* -- Cùm ergo expreſsè dicatur Beneficiario omittenti, *quòd fructus non faciat ſuos tamquam injuſtè perceptos:* nam Beneficium datur propter Officium: quis non vidit, ante omnem aliam ſententiam, Beneficiarium teneri in foro conſcientiæ reſtituere, quod alienum eſt, & injuſtè retinetur? Ita Dom. Viva, *part.* 1. *pag.* 63. -- & Anacletus *moral. tract.* 6. *diſt.* 1. *qu.* 3. *à n.* 31. *& ſeq.* -- Unde meritò damnatur ſequens propoſitio:

Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis: eò quòd ſit pœna. 20

Quæritur XXI. Beneficiatus, ſi ſtudio litterarum vacet, poteſtne in conſcientia ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia obligatio recitandi Officium eſt onus omninò perſonale, non ſecùs, ac onus audiendi Miſſam, jejunandi, implendi pœnitentiam à Confeſſario impoſitam, & ſimilia; ergo eſt evidens, quòd Beneficiatus non poteſt ſatisfacere huic oneri, & obligationi per tertiam perſonam. -- Prætereà Conc. Trid., ſeſſ. 24. cap. 12. de Reform. ſtatuit, dicendo: *Omnes verò* (Beneficiati) *Divi-*

Divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire Officia. Tum quia Beneficium datur propter Officium; ut habetur *cap.* ult. de Reſcript. in *6*. Tum quia: qui ſentit commodum, debet ſentire, & onus: reg. 55. jur. in *6*. Ergo, & Beneficiatus, qui ſentit commodum fructuum ſui Beneficii, debet perſonaliter ſentire onus Officii Divini. -- Meritò igitur damnatur hæc propoſitio:

21 *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.*

Quæritur XXII. Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, eſtne contra Juſtitiam?

℟. Affirmativè. Ratio eſt: quia Collator Beneficii Eccleſiaſtici tenetur ex Juſtitia diſtributiva conferre Beneficium digno, vel digniori, & hoc gratis, nempè excluſo quocumque pacto Simoniaco, quocumque pretio, munere, pecunia, &c. Unde ſequitur, quòd ſi Collator aliquid exigat pro ipſa Collatione Beneficii, (quippe quæ eſt ſpiritualis muneris actus, qui gratis acceptus, gratis dari debet) peccat peccato Simoniæ. Tum quia Judex vendens ſententiam juſtam, peccat contra ipſammet Juſtitiam; tunc autem cenſetur vendere, quando pro ferenda ſententia accipit pecuniam, vel munus; ergo à ſimili de Collatore Beneficiorum Eccleſiaſticorum diſcurrendum eſt; quia reverà Beneficium vendit, quando confert illud ex pecunia accepta. Vide plura apud Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. §. 5. -- Dom. Viva, *part.* 1. *pag.* 68. Unde meritò damnatur hæc:

22 *Non eſt contra Juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis; quia Collator conferens illa Beneficia, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

Quæritur XXIII. Præceptum Eccleſiaſticum de Jejunio obligatne ſub mortali?

℟. Affirmativè. Ratio eſt; quia conſtat non ſolùm ex perpetua traditione Eccleſiæ, ſed etiam ex Jure Canonico, *cap. Non licet, de Conſecr. diſt.* 3. Et *cap. Non oportet ibid.* -- Et *cap. Quadrageſima, ibid. diſt.* 5. Ubi apponuntur verba ſufficienter exprimentia præceptum in re gravi. Tum quia, omnia quinque Præcepta univerſalia Eccleſiæ ex genere ſuo ſunt obligatoria ſub mortali: ut etiam pueri Catholici ſciunt; Præceptum autem de Jejunio eſt unum ex illis; ergo, &c. Unde meritò damnatur ſequens theſis:

23 *Frangens Jejunium Eccleſiaſticum, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat: puta quia non vult ſe ſubjicere Præcepto?*

Quæritur XXIV. Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſuntne peccata diverſæ ſpeciei moralis?

℟. Affirmativè. Ratio eſt: quia illa ſunt peccata diverſæ ſpeciei moralis, quæ apud Theologos ſortiuntur diverſam deformitatem formalem, & conſequenter diverſam definitionem; atqui Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſortiuntur diverſam deformitatem formalem, ac diverſam definitionem; ut patet conſideranti; nam quodlibet ex dictis peccatis importat ſpecialem diſſonantiam cum recta ratione, & diverſimodè Virtuti Caſtitatis opponitur, & diverſam malitiam indicat, & objectum formaliter diverſum reſpicit; item diverſis præceptis prohibentur illa tria vitia ex motivis, & turpitudinibus formaliter diverſis, ut notum eſt apud omnes Scripturales, & Canoniſtas, & Theologos; ergo dicta tria peccata erunt abſolutè ſpecie morali diverſa, & importabunt malitias diverſas neceſſariò exprimendas in Confeſſione Sacramentali. Unde jure meritò damnata eſt ſequens theſis:

24 *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideoque ſufficit dicere in Confeſſione: ſe procuraſſe pollutionem.*

Quæritur XXV. Qui habuit copulam cum fœmina ſoluta, quando poſtea (pœnitens) vult confiteri, tenetur explicare copulam habitam?

℟. Affirmativè. Ratio eſt: quia, peccata mortalia explicando ſunt ſecundùm propriam, & formalem malitiam ſpecificam; atqui habere copulam cum ſoluta peccatum fornicationis, quod ſpecie differt à cæteris; ergo pœnitens tenetur dicere, ſe fornicatum eſſe, vel habuiſſe copulam cum ſoluta, quod idem eſt in ſpecie morali. Ita omnes TT. ſanæ mentis. Ideoque meritò damnatur hæc aſſertio:

25 *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra Caſtitatem, non explicando copulam.*

Quæ-

Digitized by Google

Quæritur XXVI. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſtne licitè Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia alienum omninò eſt ab æquitate, ſi duo litigantes æquale jus habeant, Judicem (quem oportet eſſe Juris interpretem, Juſtitiæque adminiſtratorem) uni eorum totum adjudicare, & alteri negare. Accedit Juris Regula 12. in 6. *In judiciis non eſt acceptio perſonarum habenda.* Tum quia, Judex eſt conſtitutus à Republica, ſeu Principe, uti unicuique juxta merita Cauſæ jus ſuum tribuat: & pro ferenda juſta ſententia nequit in conſcientia inclinare ad partem plus offerentem, alioquin ſententiam redderet venalem, ut communiter docent Juriſtæ cum Baldo in *cap. Super eo, de Tranſact.* Quòd ſi hoc faceret, peccaret mortaliter contra Juſtitiam.

Ad quid ergo tenetur Judex in caſu, quo litigantes æquales de Jure, vel de facto haberent rationis probabiles?

℞. Cùm Laymanno, *lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 3. num. 16. verſ. Quæres.* Tenetur vel ad ſuperiorem Judicem cauſam ablegare: vel arbitros conſenſu partium ſtatuere: vel compoſitionem partibus ſuadere: vel denique Jus dividere, adjudicando dimidium uni, & dimidium alteri Juris, aut rei, de qua litigatur. — Abbas autem in *cap. ut not. 4. de major. & obed.* dicit: in tali caſu nimis intricato, quod Judex debet imperare partibus Compoſitionem inter ſe. Unde meritò damnata fuit ſequens propoſitio,

26 *Quando Litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.*

Quæritur XXVII. Eſtne bonum, ac prudens hoc Argumentum, nempe: *Hæc opinio aſſeritur ab Authore moderno, & non eſt rejecta à Sede Apoſtolica tamquam improbabilis: ergo hæc opinio debet cenſeri probabilis?*

℞. Negativè. Ratio eſt: quia non ſufficit authoritas cujuslibet moderni Scriptoris, (niſi talis ſit, ut ejus authoritas nullam pati poſſit exceptionem) ad fundandam veram, & practicam probabilitatem extrinſecam; nam patet experientia quotidiana, quod inveniuntur Authores non pauci moderni, in quorum libris leguntur propoſitiones morales improbabiles, abſque ſcilicet gravi, & ſolido fundamento rationis traditæ: & conſequenter damnabiles. Et quòd hoc ſit verum, manifeſtè probatur ex damnatione Pontificia multarum propoſitionum modernis temporibus facta, & ex verbis Romanorum Pontificum in præfationibus Decretorum condemnationis, & prohibitionis earum. Ergo illud argumentum propoſitum non eſt bonum, nec prudens; quinimò cenſetur pravum, ac deceptorium.

Dices. Libri moderni approbantur à pluribus Cenſoribus, vel Reviſoribus deputatis; ergo opiniones horum Librorum cenſeri debent, ut probabiles in praxi.

℞. Nego conſequentiam. Ratio eſt: quia illi Cenſores non habent tantam authoritatem, ut poſſint conferre probabilitatem extrinſecam propoſitionibus Authoris moderni, quando iſte ex proprio loquitur ingenio, atque nullo gravi nititur fundamento rationis, & authoritatis. Tum quia ſæpè accidit, ut ex Cenſorum negligentia culpabili, aut ex conniventia multi Codices approbentur, qui poſtea ſuſpenduntur, vel reprobantur, qui poſtea ſuſpenduntur, vel reprobantur à *Sacra Congregatione Indicis Librorum prohibitorum.* Eccleſia enim Romana non configit ſtatim opiniones laxas; qui non ſtatim ad ejus Tribunal deferuntur; tum quia opus eſt maturo examine Conſultorum, & conſequenter multo ſtudio, ac tempore opportuno. Negari tamen non poteſt, quòd ſi Libri tranſirent per ignem rigoroſi examinis, antequam imprimerentur, non haberemus tot propoſitiones damnatas, neque tot libros prohibitos. Vide plura apud Dom. Viva, *p. 1. Trutina à pag. 82.* — Et Cardenas, *p. 1. Criſi, tract. 1. diſp. 11. cap. 12. 15. & ſeqq.* — Unde meritò damnata eſt ſequens propoſitio:

Si liber ſit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio cenſeri probabilis; dùm non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica, tamquam improbabilem. 27

Quæritur XXVIII. Peccatne populus abſque legitima cauſa non acceptans Legem à Principe promulgatam?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia, ut ſupponitur, Lex à Principe ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſtico lata, & promulgata eſt juſta; ergo obligat ſubditos independenter ab illorum conſenſu, & acceptatione

Digitized by Google

tione: & ſubditi in conſcientia tenentur obedire Superioribus ſuis, quando iſti juſta præcipiunt, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 13. *Omnis Anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta eſt*. Vide plures alias rationes apud Viva, *cit. pag.* 85. *& ſeqq.* -- Quare meritò damnatur hæc theſis:

28 *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat Legem à Principe promulgatam.*

Quæritur XXIX. Si quis die Jejunii Eccleſiaſtici ſæpiùs modicum quid comederet, frangeretne Præceptum?

℞. Affirmativè; dummodò in fine diei ad notabilem quantitatem cibi perveniret. Ratio eſt: quia ſicut in aliis præceptis, quæ parvitatem materiæ admittunt, datur unio parvarum materiarum, quæ ſimul unitæ conſtituunt notabilem præcepti tranſgreſſionem, & conſequenter mortalem culpam: (Ut V.G. in furtis parvis replicatis, in operibus ſervilibus modicis, ſed replicatis eodem feſto in omiſſionibus particulæ Officii eodem die, & ſimilibus,) ita in hoc de abſtinentia à pluribus comeſtionibus in die Jejunii. -- Tum quia plures comeſtiones modicæ quantitatis (ultra totalem, & completam) adverſantur Temperantiæ ab Eccleſia præceptæ; ergo frangunt Jejunium Eccleſiaſticum; fruſtrà enim præciperetur abſtinentia, ſi liceret omni ferè hora diei fruſtum, vel fruſtulum panis comedere. -- V. Dom. Viva, *p.*1. *pag.* 89. -- Unde meritò damnatur hæc aſſertio:

In die Jejunii qui ſæpiùs modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.

Quæritur XXX. Omnes Artifices, qui in Republica corporaliter laborant, excuſanturne à Jejunio Eccleſiaſtico?

℞. Negativè; illi enim tantùm prudenter excuſantur, quorum labor aſſiduus eſt incompatibilis cum Jejunio; nam Papa Eugenius IV. declaravit, eos dumtaxat excuſari, *qui laborioſa opera exercent*. Ita cum communi Maſtrius, *moral. diſp.* 12. *n.*21. Viva cum multis rationibus, & DD. *p.*1. *pag.* 92. -- Unde meritò damnatur hæc propoſitio:

30 *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione Jejunii; nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum Jejunio.*

Quæritur XXXI. Qui itinerantur curru, vel equo utcumque, excuſanturne ab obligatione Jejunii?

℞. Negativè. Quia Lex Jejunii obligat quotieſcumque ſine magno damno ſanitatis poteſt jejunium ſervari; atqui ſine dubio, regulariter loquendo, iter agentes curru, vel equo per paucos dies poſſunt ſuſtinere jejunii rigorem ſine magno ſanitatis damno (ut teſtantur experti;) nam fatigatio iſta corporis modica cenſetur; ergo regulariter ſic itinerantes non eximuntur à Lege Eccleſiaſtica de Jejunio. -- Ita Dom. Viva, *part.* 1. *pag.* 94. cum aliis DD. Quare meritò damnatur ſequens aſſertio:

31 *Excuſantur à Præcepto Jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant; etiamſi iter neceſſarium non ſit; & etiamſi iter unius diei conficiant.*

Quæritur XXXII. Conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſimali Jejunio obligatne ſub culpa gravi?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia hoc non ſolùm habemus certum, & evidens ex immemorabili Conſuetudine Eccleſiæ, verùm etiam deducitur ex *cap. Denique, diſt.* 4. ubi D. Gregorius Papa ait: *Par eſt, ut qui his diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam trahunt originem carnis, jejunemus: à lacte videlicet, caſeo, & ovis;* Præterea, in *Can.* 56. *Sextæ Synodi Trullanæ*, ſub pœna Excommunicationis prohibetur eſus Lacticiniorum in Quadrageſima. Ita P. Viva, *in Trut. part.* 1. *pag.* 97. cum communi DD. -- Unde meritò damnata eſt hæc propoſitio:

32 *Non eſt evidens, quòd Conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.*

Quæritur XXXIII. Beneficiatus obligatus ad reſtituendos aliquos Beneficii ſui fructus ob omiſſionem Horarum Canonicarum, poteritne ſatisfacere etiam per eleemoſynas, quas ante omiſſionem recitationis fecerat?

℞. Negativè; nam videtur iſte Caſus moraliter impoſſibilis in praxi. Quomodo enim poſſum ſatisfacere debito, antequam illud contraxerim? Ergo à ſimili, quomodo Titius Beneficiatus poterit ſatisfacere obligationi de reſtituendis fructibus ex omiſſione Officii, antequam omittat Officium.

Dices. Poſt omiſſionem Officii V.G. hujus diei, Titius reflectens, ſe nudiuſtertius dediſſe eleemoſynam pauperi ad valorem unius julii Romani, qui eſt fructus

conſ-

Digitized by Google

correſpondens ratæ ſui beneficii pro uno die, poterit ſibi perſuadere habuiſſe intentionem ſaltem habitualem ſatisfaciendi, cum illa eleemoſyna, debito forſan futuro; ergo poterit ſic diſcurrere intra ſe: Altera die ego feci eleemoſynam pro valore unius Julii, craſtina die deberem reſtituere ob omiſſionem Officii ſimilem valorem: valeat ergo eleemoſyna præterita pro reſtitutione præſenti, & currenti.

℞. Iſte diſcurſus eſt ſine intellectu, vel ſine conſcientia; nam eleemoſyna præterita fuit gratuita donatio; eleemoſyna autem præſens, quam ratione omiſſionis Officii debet facere Titius Beneficiatus, eſt debita ex Juſtitia. Item, altera die nondum currebat obligatio reſtituendi; hodie autem, vel cras currit obligatio non præviſa. Quomodo poteris concordare hanc moralitatem? Lege Trutinam P. Dom. Viva, *part. 1. pag. 64. nu. 9.* Quare meritò damnata eſt ſequens propoſitio:

33 *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerat.*

Quæritur XXXIV. Si quis Clericus, vel Beneficiatus recitaret Dominica Palmarum Officium Dominicæ Paſchatis, ſatisfaceretne?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia falſum eſt illud dicterium quorumdam Clericorum: *Officium pro Officio ſufficit*. Nam qui hoc facit, non peragit penſum impoſitum, ſed aliud diverſum à mente, & praxi S. Matris Eccleſiæ. Tum quia, dato, & non conceſſo, quòd mutatio Officii pro Officio valeret, deberet tamen eſſe mutatio in *Æquivalens*; at quis non videt diſparitatem ponderis in caſu noſtro? Ergo variatio eſt ſubſtantialiter diverſa, & malitioſè facta; ergo non ſatisfit debito currenti. Unde meritò damnatur hæc theſis

34 *In die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit Præcepto.*

Quæritur XXXV. Unico Officio Divino poteritne quis ſatisfacere duplici præcepto pro die currenti, & die craſtino?

℞. Negativè. Quia obligatio recitandi Horas Canonicas eſt onus quotidianum, & affixum diei; quatenùs pro quolibet die Officium proprium recitari debet. Sicut patet in aliis ſimilibus præceptis; V. G. Audiendi Sacrum omni die Feſto: jejunandi per totam Quadrageſimam; & ſimilibus. Ita praxis univerſalis totius Cleri comprobat factum, & faciendum. Unde meritò damnatur hæc:

Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino. 35

Quæritur XXXVI. Regulares in foro conſcientiæ poſſuntne uti ſuis Privilegiis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia *Omnis res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*: ut habetur in reg. 1. jur. in 5. Atqui Privilegia Regularium nata fuere per conceſſionem Pontificiam; ergo per revocationem pariter Pontificiam diſſoluta fuerunt; ſicut Jus novum abrogat vetus. Manifeſtum autem eſt, Tridentinum expreſsè revocaſſe multa antiqua Privilegia Regularium, & ſignanter ſeſſ. 23. capit. 12. 13. 15. & alibi. Seſſ. 25. de Reform. Regularium, cap. 22. ergo, &c. Vide etiam Bullam Pii Papæ Quarti in calce ipſius Concilii, quæ incipit, *In Principis Apoſtolorum Sede*. Quare meritò damnata fuit ſequens propoſitio:

Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti Privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum. 36

Quæritur XXXVII. Indulgentiæ olim conceſſæ Regularibus, & poſtea revocatæ à Paulo Papa Quinto, ſuntne modò revalidatæ?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia non eſt credibile, nec veriſimile, Paulum Papam Quintum poſt revocatas Regularibus Indulgentias, & loco illarum revocatarum in ſua Bulla, novas conceſſas, voluiſſe revocatas ſtatim reſtituere; cùm nulla de novo ſit aſſignabilis ratio ad mutandam ſententiam in re tam gravi; ergo non eſt præſumendum de revaliditate antiquarum revocatarum, dum nulla hucuſque eſt demonſtrabilis Bulla ejuſdem, vel alterius Summi Pontificis circa revalidationem certam Indulgentiarum annullatarum; ut cum multis rationibus, & citationibus Bullarum probat P. Dom. Viva, *part. 1. à pag. 108.* cum noſtro P. Portello, & aliis DD. — Unde meritò damnatur hæc ſubſequens theſis:

Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ. 37

Quæritur XXXVIII. Verba Concilii Tridentini, ſeſſ. 13. cap. 7. ubi dicit: *Quòd ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque præ-*

via

via Confeſſione celebraverit quamprimùm confiteatur: importantne præceptum?

℞. Affirmativè. Ratio eſt; quia Miſſale Romanum tit. de Defectibus in Celebratione Miſſarum, § 8. explicat illa verba Tridentini dicendo clariùs; *Debet tamen cùm primùm poterit, confiteri*; ergo mandatum Concilii importat verum, & rigoroſum præceptum de re gravi. Tum quia, ſic uſus, & communis DD. conſenſus intelligit. Unde meritò damnatur hæc aſſertio videlicet:

38 *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.*

Quæritur XXXIX. Illâ particula *Quamprimùm* poteſtne explicari hoc modo, videlicet: *ſuo tempore confiteatur*: vel *quando Sacerdos ſuo tempore confitebitur?*

℞. Negativè. Ratio eſt: quia etiam quilibet Laicus, ſi cum ſola contritione communicet urgente neceſſitate, tenetur ſuo tempore peccatum ſuum confiteri; unde præceptum Concilii nullius eſset valoris. Tum quia ſequeretur, quòd Sacerdos ille (de quo loquitur Concilium) ſi per ſex menſes differret novam Celebrationem, poſset etiam differre tanto tempore Confeſſionem, &c. ergo ly *Quamprimùm* debet intelligi, ut communiter intelligunt DD. & TT. nimirùm, ut confiteatur *cùm primùm poterit*, vel ſtatim, ac habuerit copiam Confeſsarii. Vide Viva in Trutina, *part.* 1. *pag.* 115. cum multis DD. ibi citatis. — Unde meritò damnata eſt ſequens theſis:

39 *Illa particula Quamprimùm intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.*

Quæritur XL. Eſtne probabilis illa opinio, quæ docet: oſculum laſcivum eſse tantùm veniale peccatum?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia tale oſculum (ſicut & tactus, & amplexus libidinoſi) habet annexam delectationem veneream deliberatè quæſitam, aut volitam, quæ numquam excuſat à mortali culpa etiam ratione (ut dicunt) parvitatis materiæ. Vide plura apud Viva, cit. pag. 117. Unde meritò damnatur ſubſequens propoſitio:

40 *Eſt probabilis opinio, quæ dicit: eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſualem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.*

Quæritur XLI. Eſtne obligandus à Confeſſario concubinarius ad ejiciendam ſuam concubinam, etiamſi hæc ſit ei valdè utilis pro menſa, & domo paranda?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia occaſio proxima peccandi mortaliter (ſicuti eſt concubina domi peccantis retenta) omninò debet tolli, & projici; niſi detur hic, & nunc impoſſibilitas phyſica, aut moralis eam repudiandi. Atqui in caſu noſtro utilitas concubinarii non ſapit impoſſibilitatem ullam, ſed tantùm vel lucrum, vel commodum, vel blandimentum, vel delicias, &c. ergo omninò abjicienda eſt concubina. Ita cum multis rationibus, & DD. P. Joannes de Cardenas, *part.* 4. Criſis, *diſſert.* 40. *cap.* 7. *per totum*. — Et P. Dominus Viva, *part.* 1. Trutinæ, *pag. mihi* 123. *à num.* 8. — Unde meritò damnatur ſequens aſsertio laxa nempè:

Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſset ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illo nimis agrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur. 41

Nota illud nomen *Regalo*, quod eſt Hiſpanum, & latinè ſonat Blandimentum, Delicium, Suavitas epularum.

Quæritur XLII. Eſtne licitum mutuanti, aliquid ſupra ſortem mutuatam exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia obligatio mutuantis non repetendi ſortem per aliquod tempus certum, ut puta per menſem, annum, &c. eſt intrinſeca, & eſsentialis conditio hujus contractus; nam qui mutuat pecuniam amico, privat ſe per aliquod tempus ſtatutum dominio, & uſu talis pecuniæ; ergo exigere aliquid plus ultra ſortem ex hoc tantùm motivo, reverà eſt lucrum procedens immediatè à *Mutuo*, quod eſt uſura formaliter. Quòd ſi hoc eſset licitum, uſura quoque eſset licita: vel aperiretur latum oſtium uſuris palliatis; omnis enim avarus, & aſtutus diceret: *Mutua tibi hanc pecuniam per unum diem gratis, deinde auctarium peto non ratione mutui, ſed pro obligatione non repetendi pecuniam per menſem, vel annum.* — Vide Dom. Viva, *cit. pag.* 127. — Et Cardenas, *cit. diſsert.* 25. *cap.* 2. & Felix Poteſtatis, *tom.* 1. *n.* 2405. — Quare meritò damnatur hæc theſis:

Lici-

42 *Licitum eſt Mutuanti aliquid ſupra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.*

Quæritur XLIII. Annuum Legatum perpetuum pro Anima Teſtatoris relictum quot annis durare debet?

℞. Si eſt perpetuum, ſemper durare debet; quia talis fuit intentio Teſtatoris, ut ſupponitur; ergo pia voluntas ejus adimplenda eſt ab hæredibus, & ſucceſſoribus ſub culpa gravi; ut cum multis DD. docet Layman, *lib. 3. tr. 5. cap. 11. num. 12.*

Dices. Probabile eſt, quòd Anima Teſtatoris non permaneat in Purgatorio (ſi ſalva eſt) uſque in finem mundi; ergo probabile erit, Legatum pium non obligare hæredes in perpetuum; ergo poſt aliquot annos, ut puta *decem*, non obligabit ampliùs in conſcientia.

℞. Retorquendo argumentum ſic: Probabile eſt; quòd Anima Teſtatoris, ſi eſt modò in Purgatorio, poſt unum diem exeat, & aſcendat in Paradiſum: ergo probabile eſt Legatum perpetuum duraturum per unum tantùm diem; ergo die altera hæredes non ampliùs obligantur ſolvere pecuniam pro Sacrificiis. Quid abſurdius in re morali?

Dicendum eſt igitur ſano, & ſolido diſcurſu ſic. Etſi Anima Teſtatoris foret certò in Beatitudine, adhuc Hæredes tenerentur ſatisfacere obligationi Legati annui, & perpetui; quia talis fuit voluntas Teſtatoris, ut Suffragium illud perpetuum proſit aliis Animabus in Purgatorio exiſtentibus ſucceſſivè uſque in finem Mundi. Hoc patet ex uſu perpetuo Eccleſiæ Catholicæ, quæ celebrat Anniverſaria, & quandoque perpetua pro Defunctis Fundatoribus. Incertum eſt enim quanto tempore illæ Animæ Sanctæ cruciabuntur pœnis Purgatorii, Certa eſt obligatio Vivorum. Certum Teſtamentum, & Legatum pium; ergo tene certum, & relinque DEO incertum in hoc negotio de tempore pœnæ luendæ in Purgatoriis flammis. Vide plura apud Viva, *cit. pag. 131. à n. 7. & ſeq.* Quare meritò damnata eſt ſequens propoſitio.

Annuum Legatum pro Anima relictum non durat plùs, quam per decem annos. 43

Quæritur XLIV. In foro conſcientiæ quando Reus eſt correctus, & emendatus, ceſſantne Cenſuræ, quibus erat ligatus?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia Cenſura eſt pœna; ſed pœna ſtat etiam in homine jam contrito; ergo & cenſura, quæ ex ſe nequit ceſſare, niſi tollatur à poteſtatem habente, ut colligitur ex cap. Qua fronte, de Appell. & cap. Cùm deſideres, de ſent. excom. Unde meritò damnatur propoſitio, quæ ſequitur:

Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, 44
ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant Cenſuræ.

Quæritur XLV. Libri prohibiti ſub formula *donec corrigantur* poſſuntne retineri apud ſe, donec de facto expurgentur, aut corrigentur, aut corrigantur?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia *in Regula Indicis decima* abſolutè prohibetur à Pontifice, ne quis apud ſe habeat, vel retineat libros quovis titulo interdictos; ergo parendum eſt Pontifici ſic mandanti, ut tales libri deferantur D. Inquiſitori S. Officii. Vide plura apud Viva, *in Trut. p. pag. mihi 137.* Unde damnatur hæc propoſitio, quæ eſt ultima:

Libri prohibiti, donec expurgentur, *poſ-* 45
ſunt retineri uſque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quæ omnes, & ſingulæ propoſitiones damnatæ fuere ab ALEXANDRO PAPA VII. tamquam ſcandaloſæ, & pernicioſæ in praxi; inſuper annexa eſt pœna Excommunicationis reſervatæ Summo Pontifici pro tempore exiſtenti contra illum, qui aliquam ex dictis theſibus docuerit, aut defenderit: & tamdem in virtute S. Obedientiæ præcipitur, ne quis ullam ex iis propoſitionibus in praxim deducat; ut videri poteſt in duplici Decreto damnationis, uno dato die 24. Septembris anno 1665. altero emanato die 18. Martii 1666.

BRE-

BREVIS NOTITIA,

Simulque confutatio Propoſitionum ſexaginta quinque jam damnatarum, & prohibitarum

A SS. D. N. INNOCENTIO PAPA XI.

QUæritur I. Eſtne licitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore?

Reſpondetur. Negativè. Ratio eſt: quia Sacramenta novæ Legis ſunt myſteria omnimodæ veritatis, & conſequenter non poſſunt admittere falſitatem etiam materialem; quare virtus Religionis majorem inducit obligationem in adminiſtratione certa Sacramentorum, quàm in alia quacumque materia; & ideò in ipſis conferendis ſemper tenemur (quando præſertim nulla urget neceſſitas in contrarium) ſequi tutiorem, & certiorem viam, ne ipſummet Sacramentum exponatur periculo falſitatis, & nullitatis. Vide Maſtrium, *lib. 2. ſent. diſp. 5. quæſt. 3. art. 1.*

Tum quia, ex ipſamet Chriſti inſtitutione, ſeu de Jure Divino tenentur Miniſtri Sacramentorum eadem conficere Sacramenta taliter, ut ſuſcipientes validè percipiant fructus Sacramentales, propter quos inſtituta fuerunt; ſed ſic eſt, quòd fructus Sacramenti certò haberi non poſſunt, niſi Miniſter adhibeat certam, & ſecuram materiam, & formam; igitur, quando hæc adhiberi poteſt, non erit omninò licitum adhibere tantùm probabilem. Vide plura apud Joannem de Cardenas *in 4. p. Criſis, differt. 2. cap. 2. & 3.* -- Quare meritò damnata fuit ſequens propoſitio:

1 *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opininionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, &c.*

Quæritur II. Eſtne probabile in praxi, Judicem licitè poſſe judicare, vel ferre ſententiam juxta opinionem etiam minùs probabilem?

℟. Negativè. Ratio eſt: quia omni Jure tenetur Judex in ferenda ſententia inter litigantes, vel contra Reos ſequi opinionem magis probabilem; ut deducitur ex *L. in Obſcuris, ff. de reg. jur. & ex reg. 45. jur. in 6.* -- Aliàs non judicaret rectè juxta merita cauſæ, & malè conſuleret bono publico; ut cum multis probat Dominicus Viva *in Trutina p. 2. pag. mihi 19.* Quapropter meritò damnatur hæc theſis:

Probabile exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem. 2

Quæritur III. Generaliter, & univerſaliter, ſeu in omni prorſùs materia, & caſu eſtne licitum ſequi opinionem minùs probabilem?

℟. Negativè. Ratio eſt: quia in quæſtionibus, quæ verſantur in materia facti, & circa valorem alicujus actus, (cum iſte valor non dependeat ex judicio noſtro, ſed ex natura rei, vel voluntate, & inſtitutione alterius) contra prudentiam eſſet, relicta via tutiori, aut probabiliori, practicè, ſequi opinionem minùs probabilem; tunc enim opinio minùs probabilis *ſpeculativè*, evadit non probabilis *practicè* cum non ſit de facto practicabilis. Unde ſequitur, quòd ubi agitur de valore Sacramentorum, de electione medicamenti ad ſanandum infirmum, de ferenda ſententia inter partes, &c. tenemur ſequi opinionem ſecuriorem, vel probabiliorem practice; ut cum multis probat Maſtrius, *lib. 2. ſent. diſp. 5. qu. 3. art. 1. à n. 142. & ſeq.* Quare meritò damnatur ſequens aſſertio univerſalis:

Generatim, dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. 3

Quæres hìc obiter. Quid ſignificat, opinio *tenuis probabilitatis*?

℟. Cum P. Cardenas hìc, denotare opinionem dubiæ probabilitatis, vel opinionem in praxi improbabilem; ergo ex hoc etiam motivo damnata eſt prædicta theſis; nam vera opinio eſt etiam innixa

gra-

Digitized by Google

gravi, forti, & fundatæ rationi, quæ dicitur *probabilitas intrinſeca*, & docetur à Magiſtro catholico magnæ authoritatis, quæ dicitur *probabilitas extrinſeca*.

Quæritur IV. Infidelis excuſaturne à peccato ſuæ Infidelitatis non relinquendo ſuam ſectam, ſi probabilis tantùm ei appareat ejus Religio, in qua eſt?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia hìc agitur de ſumma rerum, ideſt, de invenienda vera Religione, in quo ſummo punčto homo non poteſt, nec debet duci, vel moveri à probabilitate, ſed à certitudine. Tum quia falſum eſt ſuppoſitum, nempe quòd infidelis, ut puta, *Turca*, *Judæus*, *Hæreticus*, poſſit habere probabilitatem veram de veritate ſuæ ſectæ, ſeu Religionis; quia omnis vera, & moralis probabilitas eſt de rebus incertis, in quibus reperitur ignorantia invincibilis de reali veritate; atqui Infidelis nequit habere hanc probabilitatem: quia ad ſummum ejus probabilitas erit umbratilis, & apparens; ergo hæc ſua probabilitas non eſt ſufficiens ad excuſandam coram DEO infidelitatem illius Infidelis. Tum quia omnis adultus Infidelis, ſi ſincero animo quæreret Veritatem Veræ Religionis, petendo conſilium à Viris doctis, & ſimul exorando DEUM VERUM, perveniret ad certitudinem falſitatis propriæ Sectæ, & Veritatis Chriſtianæ, & Catholicæ Religionis noſtræ; nam, ut inquit San. Auguſtin. lib. 1. Soliloq; *DEUS eſt Summum bonum, quod nemo rectè quæſivit, & minimè invenit*; ergo ejus ignorantia eſt culpabilis; quia vincibilis. -- Vide plura apud Cardenas, *citat. diſſert. 5. capit.* 1. & 2. Quare meritò damnatur ſequens propoſitio:

4 *Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.*

Quæritur V. Quonam tempore obligat nos Præceptum Charitatis, & Dilectionis DEI ad eliciendum actum Amoris erga ipſum DEUM?

℞. Notandum I. Præceptum de diligendo DEO eſt maximum, & primum mandatum utriuſque Teſtamenti, ut habetur Matth. 22. v. 38. & Marc. 12. v. 31. Eſt primum in intentione Legiſlatoris Divini; quia Finis omnis præcepti eſt Charitas; eſt primum in obligatione Legis Divinæ; quia fundamentum totius Decalogi eſt Amor Dei, & proximi propter Deum; eſt primum in dignitate: quia Charitas Dei facit nos DEO Summo Bono inhærere; Vide Segnerum in Manna 29. Julii.

Not. II. Charitas major eſt omnium virtutum: eſt radix, mater, forma Regina Virtutum; nullaque virtus habet tantam inclinationem ad ſuum actum, nec ita delectabiliter operatur, ſicut ipſa Charitas. -- Vide D. Thom. 2. 2. qu. 23. per omnes articulos.

Not. III. Cauſa diligendi DEUM, eſt ipſe Deus, in cujus dilectione nequit dari exceſſus in modo, nam Deus eſt infinitè amabilis; ergo numquam ſatis diligitur. -- Vide D. Bonavent. *in 3. ſent. diſt. 27. qu. 5.*

Not. IV. DEUS ſummum bonum eſt hominis, & Summum bonum appetere, eſt benè vivere, & qui Deum diligit, iſte ſine dubio ſeipſum etiam diligit; imò ſverò ſolus ſe novit diligere, qui DEUM diligit. Vide Div. Auguſtinum, lib. de moribus Eccl. Cathol. à cap. 24. ad 26. Quod confirmari poteſt ex Deuter. cap. 30. v. 20. *Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas, ipſe eſt enim vita tua, & longitudo dierum tuorum* -- Vide etiam Medit. Divini Amoris P. Didaci Stella à cap. 23. & ſeq.

Not. V. Si tale, & tantùm eſt bonum DEUM diligere, nos, etiam ſine prævio mandato, deberemus frequenter amare ſuper omnia Deum amabilem ſuper omnia, ac inſtanter petere ab ipſomet DEO maximum donum ſuæ Dilectionis. His prænotatis.

℞. *I.* Circa tempus præfixum, quo obligamur ex vi primi, & maximi mandati elicere actum formalis dilectionis erga DEUM noſtrum, V. G. an hoc anno, menſe, die, & hora per vitæ noſtræ decurſum, hucuſque non eſt definitum ab Eccleſia; quare varii ſunt modi dicendi, & opinandi DD. & TT. circa hoc grande mandatum; ut videre eſt apud Maſtrium *Moral. diſp. 10. à numero* 49. -- & Laymannum, *lib. 2. tractat. 2. capit. 2. num. 6.*

℞. *II.* Ex ipſa dignitate, magnitudine, & primatu hujus Præcepti probabiliſſimum eſt, ita obligare, ut non multum temporis differamus actum dilectionis DEI ſuper omnia: ob ratione, quas vidimus in declaratione primæ propoſitionis dam-

damnatæ ab Alexand. VII. & ob alias, quas videre licebit apud Suarez 2. 2. *diſp.* 5. *de Charitate ſect.* 5. -- Cardenas, *diſert.* 6. *cap.* 2. *art.* 1. & 2. Dominic. Viva, *part.* 1. *pag. mihi* 10. -- Quare meritò damnatæ fuerunt ſequentes propoſitiones, videlicet:

5 *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis DEI ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.*

6 VI. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare Præceptum Charitatis erga Deum.*

7 VII. *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus.*

Quale autem, quantum cenſeri debeat notabile, vel multum tempus dilationis actus Amoris Dei formalis, relinquitur prudentiæ Viri timorati, docti, & pii. Si quis autem ſaltem *ſemel in anno* DEI Præcepto de formali dilectione ſatisfacere per actum poſitivum Amoris ſatageret prudenter ageret juxta doctrinam P. Didaci Alvarez, *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 6. nam etiam Præceptum Divinum de Confeſſione, & Communione ſufficienter impletur ſemel in anno, ut tenet etiam P. Ledeſma 2. *p. Sum. tract.* 3. *de charit. cap.* 5. *concl.* 6.

Quæritur VIII. Eſtne vitioſum comedere, & bibere ob ſolam voluptatem?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia Natura ipſa docet, utendum, non fruendum voluptatibus corporeis in neceſſariis pro conſervatione individui, & ſpeciei; nam Philoſophus moralis Seneca, lib. de vita beata, cap. 10. cuidam Epicureo dixit: *Tu voluptate frueris, Ego utor.* -- Tum quia Deus, (dicitur à Philoſophis *Natura naturans*) annexuit delectationem illam in gula, & coitu, non ut finem hominis comedentis, & generantis, ſed ut medium aptum ad alliciendum operantem ergo comedere, & bibere, vel etiam opus Conjugii exercere ob ſolam voluptatem brutalem, eſt pervertere Ordinem naturalem à Deo inſtitutum, & conſequenter eſt quid vitioſum, & peccaminoſum ſaltem venialiter. -- Unde meritò damnantur ſequentes theſes:

8 *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.*

IX. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem* 9
exercitum, penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

Quæritur X. Tenemurne diligere proximum interno actu, an verò ſolummodò externo?

℞. Interno, & externo. Ratio eſt: quia de ratione actus dilectionis eſt poſitivè velle bonum proximo; ergo requiritur actus internus. Tum quia dicit dilectus Diſcipulus Joan. 1. epiſt. cap. 3. v. 18. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate,* ergo verus amor, & verum opus requiruntur in dilectione proximi, quem tenemur amare ſicut noſmetipſos. Igitur meritò damnantur ſequentes propoſitiones:

Non tenemur proximum diligere actu inter- 10
no, & formali.

XI. *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere* 11
poſſumus per ſolos actus externos.

Quæritur XII. Divites noſtri temporis cenſendi ne ſunt habere ſuperflua ſtatui proprio, & conſequenter ſæpiùs obligari ad Eleemoſynam erogandam pauperibus?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia ſtatus Chriſtianorum divitum ſive Laicorum, ſive Eccleſiaſticorum debet menſurari de præſenti juxta regulas Temperantiæ Chriſtianæ, non verò de futuro juxta regulas inſatiabilis faſtus, ambitionis, & pompæ mundialis; atqui de præſenti plurimi divites inveniuntur abundantes, plurimique pauperes graviter indigentes; poſitis autem his circumſtantiis, omnes Leges, Sacræ Scripturæ, omnes SS. Patres, omneſque melioris notæ Theologi clamant contra divites, & in favorem pauperum; ergo divites noſtri temporis tenentur ad Eleemoſynas erogandas pauperibus, ſicut tenebantur divites temporis antiqui, non ſemel, non bis, ſed ſæpè juxta neceſſitatem, & opportunitatem pauperum, & egenorum. Vide plura apud Segnerum *in Chriſtian. Inſtr. part.* 1. *ſerm.* 17. -- Vivam, *part.* 2. *pag.* 36. *à num.* 4. Cardenas, *diſert.* 9. *per totam.* -- Unde meritò damnata fuit ſequens propoſitio:

Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Re- 12
gibus, ſuperfluum ſtatui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

Quæritur XIII. Eſtne licitum, mortem corporalem proximi inefficaciter deſiderare,

Digitized by Google

tare, aut de ea jam ſecuta gaudere propter noſtrum aliquod temporale emolumentum?

℟. Negativè. Ratio eſt: quia his affectibus deſiderii, vel gaudii, &c. deliberatè volitis noſtrum emolumentum temporale præfertur vitæ proximi, quæ eſt in ordine longè ſuperiori bonis temporalibus ergo notabiliter læderemus Ordinem Charitatis erga proximum, quem tenemur diligere ſicut noſmetipſos, ut notum eſt. Meritò igitur damnatæ fuerunt ſequentes theſes, nempe:

13 *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.*

14 *XIV. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura eſt pinguis hæreditas.*

15 *XV. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.*

Vide abundantiores rationes confutantes metaphyſicam illam abſtractionem deſiderii inefficacis, & conditionati apud Vivam, *part.* 2. *à pag.* 41. *ad* 43. — & Cardenas, *diſſ.* 10. *per totam.*

Quæritur XVI. Daturne Præceptum ſpeciale Fidei obligans nos ad frequentes actus credendi?

℟. Affirmativè. Ratio eſt, quia Fides eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem æternam, juxta dictum Apoſtoli ad Hebr. 11. v. 6. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo*. Et Concilii Trident. ſeſſ. 6. capit. 8. *Fides eſt humana ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis*. Sed ſic eſt, quòd medium ad hanc ſalutem conſequendam non poteſt non eſſe præceptum ſpeciale nos obligans ad ipſum adhibendum toties, quoties oportet eo uti ad ſalutem procurandam; ergo, &c. Vide plura apud Cardenas, *diſſert.* 11. *c.* 1. *&* 2. Unde meritò damnatæ ſunt ſequentes theſes:

16 *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.*

XVII. Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere.

17 *Quæritur XVIII.* Chriſtianus, qui à publica Poteſtate interrogatur de Fide Catholica, quam profitetur, tenetur publicè eam confiteri?

℟. Affirmativè. Ratio eſt: quia tunc currit præceptum de Fide noſtra confitenda reſpondendo candidè, & fideliter interroganti. Tum quia Chriſtus D. N. dicit Luc. 9. v. 26. *Qui me erubuerit, & meos ſermones: hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in Majeſtate ſua, & Patris, & Sanctorum Angelorum*. Ubi Lyranus noſter gloſſat, dicens: Ratio hujus eſt; quia non ſolùm credere eſt neceſſarium ad ſalutem ſed etiam confiteri ore; ſecundùm quod dicitur Rom. 10. v. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem*. Hæc autem Confeſſio pertinet ad Præceptum affirmativum, quod licèt obliget ſemper, non tamen ad ſemper: ſed pro loco, & tempore, occurrente caſu, in quo ex omiſſione Confeſſionis Fidei ſubtraheretur honor debitus DEO. Ut ſi quis interrogatus de Fide taceret, quando ex ſua taciturnitate crederetur ab aliis, ipſum Fidem non habere, vel ipſam Fidem falſam eſſe: vel ob ejus taciturnitatem alios averti à Fide contingeret; & ſic peccaret mortaliter, & per conſequens inter DEI filios non eſſet computandus. *Hæc Lyranus*, & omnes TT. — Vide plura apud Cardenas, *diſſert.* 12. *capit.* 1. *&* 2. & Viva, *part.* 2. *pag.* 45. *à n.* 6. *& ſeq.* — Unde meritò damnatur ſequens aſſertio:

Si à Poteſtate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, ut DEO, & Fidei glorioſum conſulo, tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno. 18

Quæritur XIX. Pia affectio voluntatis eſtne neceſſaria ſimpliciter ad aſſenſum Fidei ſupernaturalis, & meritoria?

℟. Affirmativè. Ratio eſt; quia Actus Fidei Divinæ eſt liber; nam liberum eſt credere, & non credere; alioquin credere non eſſet meritorium, & non credere demeritorium; igitur ad credendum requiritur pia affectio Voluntatis. Tum quia Intellectus eſt potentia neceſſaria, & naturalis, & per conſequens in actibus illius præciſè nequit ſtare libertas, nec meritum; ut igitur meritoriè credamus, oportet, quòd per affectum voluntatis velimus credere: velle autem credere vocatur *pia affectio ſupernaturalis*; ergo hæc ſimpliciter erit neceſſaria. Confirmatur ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. ibi, *Diſponuntur autem ad ipſam Juſtitiam,*

tiam, dum excitati Divina Gratia, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in DEUM; credentes vera eſſe, quæ Divinitùs revelata, & promiſſa ſunt, &c.

Præterea, pia affectio voluntatis neceſſaria eſt ad firmitatem, & omnimodam certitudinem in credendo: ut ſcilicet firmiſſimè, & certiſſimè credamus ea, quæ Divinitùs revelata ſunt; Ratio eſt; quia objectum Fidei licet ſit certiſſimum, eſt tamen inevidens, & obſcurum; atqui ab objecto inevidenti, & obſcuro intellectus noſter non poteſt à ſe ipſo, & ex vi ſua cogi, & determinari ad aſſenſum; ergo indiget imperio voluntatis ex pia affectione ad credendum. Vide plura apud Cardenas, *differt.* 13. *c.* 1. & 2. — & Viva, *p.* 2. *pag.* 48. *à nu.* 7. & *ſeq.* Unde meritò damnantur ſequentes theſes:

19 *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus Fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.*

20 *XX. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.*

Quæritur XXI. Aſſenſus Fidei ſupernaturalis poteſtne ſtare cum notitia ſolùm probabili Revelationis.

℞. Negativè. Ratio eſt: quia Fides ſupernaturalis ſicut reſpuit omnem falſitatem (nam Fidei Divinæ nil poteſt ſubeſſe falſum,) ita etiam reſpuit omnem formidinem, & conſequenter omnem opinionem; ergo aſſenſus veræ Fidei ſupernaturalis nequit ſtare cum notitia tantùm probabili Revelationis. Tum quia actus Fidei formatur hoc argumento: Quidquid credit Sancta Mater Eccleſia, eſt ſibi infallibiliter revelatum à DEO; ſed DEUS neque fallere, neque falli poteſt: ergo quidquid credit S. Mater Eccleſia, eſt infallibiliter verum, & certum. *Subſumo*, atqui Eccleſia hoc myſterium credit, & docet; ergo hoc myſterium, quod & ego ut filius Eccleſiæ credo, eſt verum, & certum infallibiliter. — Unde ergo poterit eſſe locus formidini, aùt probabilitati? Meritò igitur damnatur ſequens theſis:

21 *Aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.*

Quæritur XXII. Fides explicita DEI Remuneratoris eſtne neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem æternam?

℞. Affirmativè. Quia dicit Apoſtolus ad Hebræos, cap. 11. v. 6. *Sine Fide autem impoſſibile eſt placere DEO, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt: & inquirentibus ſe Remunerator eſt.* Ubi Lyranus noſter gloſſat, dicens: Probat conſequenter Apoſtolus, quòd nullus placeat Deo niſi per Fidem; quia ad hoc, ut aliquis placeat Deo, opus eſt, quòd accedat ad ipſum Deum; iſte autem acceſſus eſt per Fidem; ergo, &c. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt* UNUS DEUS æternus; propter quod dicitur Exod. 3. *Qui eſt, miſit me ad vos.* Cauſa autem quare homo movetur per Fidem in Deum, eſt Spes remunerationis æternæ, & quantum ad hoc dicitur, *Et inquirentibus ſe Remunerator ſit.* Iſta enim duo credere, ſcilicet Dei unitatem, & ejus Remunerationem æternam, fuit ſemper neceſſarium ad Salutem, &c. *Hæc Lyranus.*

Item Div. Thomas ibi, *lect.* 2. *litt. B.* dicit: Non ſolùm eſt neceſſarium credere, quòd *DEUS ſit*, ſed quòd habeat Providentiam de rebus humanis; aliter nullus iret ad ipſum, ſi non ſperaret aliquam Remunerationem ab ipſo. — Hæc D. Angelicus.

Probatur ratione Theologica. Apoſtolus l. c. eodem modo loquitur de neceſſitate Fidei UNIUS DEI, ac de neceſſitate Fidei DEI Remuneratoris; atqui Fides Unius Dei explicita eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem; ergo etiam Fides explicita DEI Remuneratoris. — Vide plura apud Viva, *p.* 2. *pag.* 56. — & Cardenas, *p.* 4. *differt.* 15. *diffusè per totum.* Unde meritò damnatur ſequens theſis:

Nonniſi Fides Unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris. 22

Quæritur XXIII. Fides requiſita ad juſtificationem debetne inniti DEO revelanti?

℞. Affirmativè. Quia Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. docet ſic, *Diſponuntur autem ad ipſam Juſtitiam, dum excitati Divina Gratia, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ Divinitùs revelata, & promiſſa ſunt*; ergo Fides requiſita ad juſtificationem ex doctrina Concilii debet inniti Revelationi Divinæ. Tum quia

quia Fides diſponit ad Spem, & Charitatem; ergo debet eſſe Fides ſtrictè capta, ideſt, nixa Deo revelanti; hæc enim Fides ſupernaturalis eſt, cùm ſit (ut vidimus) initium ſalutis, fundamentum, & radix omnis Juſtificationis. Vide plura apud DD. citatos. Unde meritò damnata eſt hæc propoſitio:

23 *Fides latè dicta ex Teſtimonio Creaturarum, ſimilive motivo ad Juſtificationem ſufficit.*

Quæritur XXIV. Vocare Deum in Teſtem mendacii levis eſtne peccatum mortale?

℟. Affirmativè. Ratio eſt: quia malitia perjurii aſſertorii non deſumitur à materia, ſupra quam cadit, benè quidem ex eo, quòd Deus Prima Veritas adducatur in Teſtem falſitatis, & mendacii; ergo ſemper gravis injuria irrogatur DEO, quando vocatur in Teſtimonium cujuſvis mendacii, etiam levis; parùm enim refert, quòd falſitas illa ſit gravis, aut levis, perniciosa, vel tantùm jocoſa; ſufficit, quòd falſa, & mendax ſit Juratio. Quinimò gravius cenſetur peccatum perjurii in materia leviſſima; quia tunc homo quaſi per riſum operatur ſcelus graviſſimum, quale eſt adducere Deum in falſum Teſtem. -- Vide Cardenas, *part.* 4. *differt.* 17. *num.* 1. ubi dicit: Et quidem juramentum aſſertorium falſum, quamvis de materia leviſſima, aut jocoſa, eſſe peccatum lethale, res eſt adeò clara, & evidens, ut mirandum ſit, contrariam aſſertionem (damnatam ut infrà) cadere potuiſſe in mentem alicujus hominis mediocriter docti; ideòque meritò damnatur ſequens theſis:

24 *Vocare Deum in Teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.*

Quæritur XXV. Eſtne licitum jurare, ſine animo, aut intentione jurandi?

℟. Negativè. Ratio eſt: quia jurare verum ſine animo jurandi, eſt mendacium mentale, ac deceptio extrinſeca, aut ſimulatio; atqui numquam eſt, nec poteſt eſſe licitum mentiri, decipere, ſimulare; nam eſt intrinſecè malum; ergo jurare verum ſine animo jurandi erit illicitum; quamvis juramentum ſit nullum; non enim propriè, & verè eſt juramentum, ubi deeſt intentio jurandi; ut cum aliis probat Cardenas, *p.* 4. *differt.* 18. *num.* 2. *& ſeqq.* -- Præterea, juramentum exteriùs prolatum, ſine intentione jurandi affert ſecum irreverentiam reſpectu Dei, & Sancti Nominis ejus; ergo eſt peccaminoſum. Meritò igitur damnata eſt hæc propoſitio:

Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi; ſive res ſit levis, ſive gravis. 25

Quæritur XXVI. Eſtne licitum uti in ſermone humano reſtrictione mentali?

℟. Negativè. Ratio eſt: quia qui utitur in diſcurſu aliqua Reſtrictione mentali, mentitur; etenim humana loquela formatur per vocem, & verba; ergo ut propoſitio vocalis ſit vera, non debet, nec poteſt attendi conceptus in mente retentus, vel reſtrictus, ſed attendi debet conceptus expreſſus per verba, & ſigna externa; atqui conceptus expreſſus exteriùs per verba non correſpondet conceptui mentali quando quis loquitur cum reſtrictione mentali; ergo hæc loquela erit mendax, & fallax. Do exemplum.

Titius V. Gr. reverà occidit Sempronium: ſi Titius dicat, *Non occidi Sempronium*, addito in mente ſua, & retento per reſtrictionem mentalem, *in die Dominica*, nonne mentitur? Mentiri enim aliud non eſt, quàm habere aliud in ore, aliud in corde; atqui Titius retinet in corde unum, & exprimit in verbis aliud; ergo, &c. Plurima ad propoſitum vide apud Cardenas, *differt.* 19. *per totam.* -- Et Viva, *part.* 2. *pag.* 67. *& ſeqq.* ſuper infraſcriptas propoſitiones meritò damnatas, videlicet:

Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine, juret, ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit: intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum: reverà non mentitur, nec eſt perjurus. 26

XXVII. Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium Virtutis actum; ita ut Veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa. 27

XXVIII. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi: non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum. 28

Quæritur XXIX. Ob metum gravem eſt-

ne licitum Sacerdoti ſimulare adminiſtrationem alicujus Sacramenti?

℟. Negativè. Ratio eſt: quia ſimulatio formalis ſemper eſt peccatum mendacii, quod conſiſtit in ſignis exteriorum factorum. Non refert enim utrùm aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto: ut inquit D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 111. *artic.* 1. *in corp. Quare* cùm mendacium ſit in quovis caſu illicitum, adeòut dicat Innoc. III. cap. ſuper eo, de Uſur. *Ne pro vita quidem defendenda, licitum eſt mentiri:* multò magis illicitum erit in Sacramenti adminiſtratione. Ut fuſiùs probat Viva, *part.* 2. *pagin.* 77. & Cardenas, *diſſertat.* 20. *cap.* 1. Unde meritò damnatur hæc:

29 *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

Quæritur XXX. Eſtne licitum (coram Deo, & in conſcientia) viro honorato repercutere injuſtum percuſſorem?

℟. Negativè. Ratio eſt: quia Lex mundanorum nequit facere licitum, quod eſt evidenter contra Legem Chriſti Domini; ſed Lex Chriſti dicit, Matth. cap. 5. v. 39. *Audiſtis quia dictum eſt: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis: Noli reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Ubi Lyranus noſter ſic gloſſat: Errabant enim ibi Judæi credentes, quòd vindicta eſſet propter ſe appetenda; hoc eſt falſum; quia velle pœnam alicujus abſolutè non poteſt habere rationem boni, ſed ſolùm inquantùm appetitur propter aliud, ſcilicet propter ordinem Juſtitiæ ſervandum, vel propter illius correptionem, qui deliquit, vel propter terrorem aliorum, &c. Ubi ergo nullum bonum tale ex pœna alicujus æſtimatur evenire, ſed magis timetur de ſcandalo, vel de majori malo ſuſcitando, tunc tenetur homo deſiſtere à vindicta quærenda: *& hoc eſt neceſſitatis.* Si autem citra talem caſum deſiſtat à vindicta quærenda, eſt ſupererogationis... In caſu igitur, in quo ex reſiſtentia ſurgeret majus malum, tunc offenſus debet habere animum præparatum ad ſuſtinendum minus malum ſibi illatum, quàm quòd ex reſiſtentia ſua ſuſcitaret majus ſcandalum, & majus malum. Hæc Lyranus.

Tum quia, repercutere percuſſorem non eſt repellere, vel impedire injuriam, & offenſam, ſed merè ſe vindicare propria, & privata auctoritate; ſicuti V. G. Si Titius combuſſiſſet ſegetem meam, & ego comburerem poſtea ſegetem ſuam; hoc eſſet *eruere oculum pro oculo, & dentem pro dente.* Atqui à Lege Dei prohibetur vindicta privata, ut vidimus alibi: in propoſit. 17. Clement. VII.) ergo in conſcientia, & coram Deo vir honoratus non poteſt repercutere percuſſorem ſuum. Unde meritò damnata eſt ſequens propoſitio:

Fas eſt Viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre; ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: id quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis, fugiat. 30

Quæritur XXXI. Eſtne licitum occidere furem pro conſervatione unius numi aurei?

℟. Negativè. Ratio eſt: quia occidere hominem propter modicum detrimentum in bonis fortunæ evitandum, ipſa ratio naturalis dictat, eſſe quid inhumanum, & abſurdum. Quæ enim comparatio eſſe poteſt detrimenti levis proprii cum detrimento graviſſimo, & incompenſabili vitæ proximi? Magis ergo æſtimanda eſt vita furis, quàm conſervatio modicæ pecuniæ. Quare meritò damnatur hæc:

Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei. 31

Quæritur XXXII. Eſtne licitum defendere defenſione occiſiva impedientem me, ne ea bona poſſideam, ad quæ jus inchoatum habeo, & quæ ſperare poſſum, me brevi poſſeſſurum?

℟. Negativè. Ratio eſt: quia in Republica deſtinata ſunt media licita, & juſta ad defendenda Jura Civium. Tum quia ſola Reſpublica, vel Princeps habet jus publicum contra jus privatum defendendi ferro, armis jura privata: & Jus publicum prævalere debet juri privato. Tum quia etiam Legibus humanis interdictum eſt, quòd homines privatim defendant ſua jura ad aliqua bona. Et ob alias rationes jam dictas in propoſ. 17. Clem. VII. quas diffusè videre poteris apud Cardenas, *part.* 4. *Criſis, diſſert.* 21. *cap.* 5. Unde meritò damnatæ fuerunt ſequentes theſes:

Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus. 32

XXXIII. Licitum eſt tam hæredi, quàm legatario 33

Digitized by Google

gatario contra injuſtè impedientem , ne vel hæreditas adeatur , vel legata ſolvantur , ſe taliter defendere. Sicut & jus habenti in Cathedram , vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.

Quæritur XXXIV. Eſtne licitum , procurare abortum ante animationem fœtus , ne puella , cognita graviditate occidatur , aut infametur?

℞. Negativè . Ratio eſt : quia abortus etiam inanimati fœtus eſt peccatum gravius pollutione voluntaria . Sed non licet procurare pollutionem etiam ad vitandam mortem ; ergo neque licebit à fortiori procurare abortum inanimati fœtus ad ſalvandam vitam , aut famam . – Tum quia hujuſmodi fœtus ſe habet , ut alter homo in potentia proxima ; ergo procurans talem abortum reus homicidii dici poteſt ; ut conſtat , *ex cap. ſi aliquis , de homicidio.* Tum quia numquam eſt licitum directè occidere innocentem ; atqui fœtus humanus (reſpectu mortis , aut infamiæ Matris , ſeu puellæ prægnantis) omninò eſt innocens ; ergo , &c. – Tum quia ſicut non poſſumus alium non invaſorem noſtræ vitæ directè occidere , ne ab invaſore vero occidamur ; ita nec poſſumus abortum procurare , ne puella prægnans ab alio occidatur . Vide plura apud Viva , *part. 2. pag.* 82. – Quare meritò damnata eſt ſequens propoſitio :

34 *Licet procurare abortum ante animationem fœtus , ne puella deprehenſa gravida occidatur , aut infametur.*

Quæritur XXXV. Eſtne probabile , quòd omnis fœtus quamdiù in utero Matris ejus eſt , careat Anima rationali ?

℞. Negativè . Ratio eſt : quia experientia prægnantium demonſtrat , fœtum poſt certum tempus moveri in utero ; ergo ſi movetur , vivit ; & ſi vivit , habet Animam humanam , & rationalem , quæ unica eſt , quæ homo eſt homo . Tum quia Lucæ , capit. 1. verſ. 44. S. Eliſabeth Mater Præcurſoris Joannis , ait ad Beatam Virginem : *Ecce enim , ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis , EXULTAVIT in gaudio INFANS in utero meo* . Atqui Infans non eſſet , nec exultaret , ſi careret Anima rationali ; ergo , &c. Vide plura apud Vivam , *citat. pag.* 85. Et Cardenas , *diſſertat.* 22. *capit.* 8. *per totum.* – Quare jure meritò damnata eſt ſequens theſis :

35 *Videtur probabile , omnem fœtum , quamdiu in utero eſt , carere Anima rationali : & tunc primùm incipere eamdem habere , cùm paritur : ac conſequenter dicendum erit , in nullo abortu homicidium committi.*

Quæritur XXXVI. Eſtne permiſſum furari in gravi tantùm neceſſitate?

℞. Negativè . Ratio eſt : quia in cap. Si quis , 3. de furtis , habentur hæc verba : *Si quis ob neceſſitatem famis , aut nuditatis furatus fuerit cibaria , veſtem , aut pecus : pœniteat hebdomades tres* . Atqui non imponeretur pœnitentia talis , ſi liceret furari in gravi neceſſitate ; ergo non erit licitum , nec permiſſum furtum in tali caſu . – Vide plura apud Viva , *citat. pagin.* 88. – Et Cardenas , *citat. diſſertat.* 23. Quare meritò damnatur ſequens theſis:

Permiſſum eſt furari , non ſolùm in extrema neceſſitate , ſed etiam in gravi . 36

Quæritur XXXVII. Licetne famulis facere ſibi occultam compenſationem , quoties ex mero eorum judicio incongruum recipiunt ſalarium à Dominis ſuis?

℞. Negativè . Ratio eſt : quia univerſim non licet homini privato facere ſibi juſtitiam , neque ſpoliare poſſeſſorem re poſſeſſa per ſolas rationes probabiles ; nam ratio poſſeſſionis dat poſſidenti jus certum prævalens rationibus probabilibus in oppoſitum ; aliàs aperiretur via ad plurima furta. Ita Cardenas , *diſſertat.* 23. *capit.* 2. – Et Viva , *part. 2. pag.* 91. cum communi DD. – Unde meritò damnata eſt ſequens propoſitio :

Famuli , & Famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam , quam majorem judicant ſalario , quod recipiunt. 37

Quæritur XXXVIII. Qui per parva furta ſubripuit gravem quantitatem rei alienæ , teneturne ſub pœna peccati gravis ad reſtitutionem?

℞. Affirmativè . Ratio eſt : quia retinere quantitatem notabilem , & gravem rei alienæ invito Domino , eſt gravis injuria , ac injuſtitia contra ipſum Dominum. Tum quia Conc. Lateran. Can. 39. docet ſic : *Non multum intereſt , præſertim quoad periculum Animæ , detinere injuſtè , ac invadere alienum* . Atquì invadere alienum in magna quantitate eſt peccatum contra Juſtitiam ; ergo pariter retinere alienum in notabili , gravique quantitate erit peccatum contra Juſtitiam ; Omne autem peccatum contra Juſtitiam habet

annexam obligationem reſtituendi; ergo, &c. Meritò igitur damnata eſt ſequens propoſitio:

38 *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumvis ſit magna ſumma totalis.*

Quæritur XXXIX. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum Tertio, teneturne ad iſtius damni reſtaurationem?

℟. Affirmativè. Ratio eſt: quia, ex communi DD. ſententia, quicumque eſt cauſa phyſica, vel moralis efficax damni illati, tenetur reſtaurare illud damnum; ſed qui conſilio ſuo movet, & inducit alium, ad inferendum damnum proximo, eſt cauſa moralis efficax damni illati; ergo tenetur ad reſtaurationem illius. Unde meritò damnatur hæc:

39 *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum Tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.*

Quæritur XL. Contractus, qui apud Hiſpanos dicitur *Mohatra*, ſeu *Barata*, Italicè verò *Stocco* eſtne licitus?

℟. *I.* Fieri ſolet hoc modo contractus iſte: Quidam Titius indigens pecunia numerata adit Mercatorem, qui nolens pecuniam dare mutuam, offert merces ſuas (quibus Titius non indiget) emendas creditò pretio ſummo, puta 105. ut deinde ſtatim ſibimet retrovendat pretio infimo, utputa 100. numerata pecunia. Sicque Mercator ille non ex contractu mutui, ſed Venditionis, & Emptionis lucratur illa *quinque*.

℟. *II.* Iſte Contractus, ſi fiat cum pacto prævio retrovenditionis, continet Uſuram palliatam. Ratio eſt: quia ſub pallio Venditionis, & Emptionis reverà habetur Mutuum, & lucrum ex mutuo; ergo non ſolùm eſt illicitus, ſed etiam injuſtus, & uſurarius. Ut cum pluribus docet P. Viva in ſua Trutina, *part. 2. pagin. mihi* 100. *à numer.* 5. *& ſeqq.* Ideòque meritò talis contractus damnatur in ſequenti:

40 *Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem Perſonæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri.*

Quæritur XLI. Mutuans pecuniam, poteſtne licitè exigere aliquid ultra ſortem hoc titulo: *Quia pecunia numerata, & præſens pretioſior eſt numeranda, & futura?*

Negativè. Ratio eſt: quia falſum eſt, & palliatum illud motivum, falſus titulus, falſa eſt cauſa. Quis enim ſanæ mentis non videt, pecuniam in capſa reconditam ejuſdem eſſe ponderis, & valoris in ſe, quàm in manibus Titii, aut Caji? Tum quia utilitas pecuniæ mutuatæ Titio nequit fructificare Cajo Mutuanti; nam mutuata res fit Mutuatarii, nempe ejus, qui mutuam accepit; ergo Titius mutuator, ſeu mutuans nequit de jure, & ratione contractus *Mutui* aliquid plus ultra ſortem exigere ex mera carentia pecuniæ, ſeu ex privatione, ſeu abſentia ejus, quæ ampliùs ſua non eſt, ſed alterius.

Tum quia: recipere aliquid ultra ſortem in præciſo contractu *Mutui*, & ſecluſo omni alio contractu, eſt Uſura; atqui recipere aliquid ſupra ſortem ex mera carentia pecuniæ mutuatæ, eſt recipere lucrum ex mero contractu *Mutui*, ſecluſo omni alio contractu; ergo, &c.

Dices. Mutuator ſi hoc menſe, vel anno haberet ſuam pecuniam, poſſet ea uti negotiando; ergo privatio illius pecuniæ eſt cauſa privationis lucri; ergo pretioſior eſt pecunia præſens, quàm abſens?

℟. Tunc ſumus extra præciſum contractum *Mutui*; nam ſi ex mutuo redundaret de facto Mutuatori damnum emergens, vel lucrum ceſſans, hoc deberet annecti contractui obligando Mutuatarium ad reddendum indemnem ipſummet Mutuatorem; & tunc lucrum ceſſans non procederet ex mera privatione pecuniæ; ſed ex privatione negotiationis, & induſtriæ. Vide plura apud Cardenas, *differtat.* 25. *capit.* 2. *per totum.* Quare meritò damnatur hæc theſis:

Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram; poteſt Creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari. 41

Quæritur XLII. In mutuo poteſtne exigi aliquid ultra ſortem tamquam debitum ex benevolentia, aut gratitudine?

℟. Negativè. Ratio eſt: quia eſſet Uſura palliata eo titulo; cùm reverà exigatur *ut debitum* ex vi contractus. Eſt enim modus quidam ridiculus iſte, V. G. Si Titius petat quinque pro centum aureos mutuatos Cajo, dicendo: *Peto illos quinque aureos, non titulo juſtitiæ, ſed tantum*

titulo

Digitized by Google

titulo benevolentiæ; imponit enim ſemper onus indebitum ex vi contractus. Unde damnatur etiam hæc:

42 *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; ſed ſolùm ſi exigatur tamquam ex Juſtitia debitum.*

Quæritur XLIII. Eſtne licitum ad ſui defenſionem imponere falſum crimen alicui?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia mentiri in re gravi eſt gravis culpa; at imponere detractori, vel Teſti, aut alteri crimen falſum, eſt mentiri in re graviſſima; ergo erit culpa etiam graviſſima. Tum quia imponere falſum crimen alicui eſt peccatum formalis detractionis contra omnem Juſtitiam, & Legem; ergo numquam poteſt eſſe licitum medium ad ſui defenſionem. Vide plura apud P. Viva, *part.* 2. *pagin.* 107. *numer.* 6. *& ſeqq.* Unde meritò damnantur ſequentes theſes:

43 *Quidni nonniſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?*

44 *XLIV. Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Et ſi non ſit probabile hoc, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

Quæritur XLV. Eſtne quid Simoniacum, dare temporale tamquam motivum impulſivum ad obtinendum Spirituale?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia ut Simoniacum prohibetur hoc à Sacris Canonibus, ſicut habetur *ex cap. Tua nos*. Et *ex cap. ultim. de Simonia*. Et *ex cap. Si quæſtiones*, §. *Quod autem*, *tit. eodem*; juxta omnes Interpretes eorum capitum apud Cardenas, part. 4. diſſert. 27. cap. 2. Tum quia D. Thomas 2. 2. quæſt. centeſima, art. 2. ad 5. docet, *Simoniacum eſſe, per pecuniam parare ſibi viam ad rem Spiritualem obtinendam*; Sed ſic eſt, quòd qui dat aliquod temporale tamquam motivum ad Spirituale Beneficium obtinendum, parat ſibi viam per pecuniam ad rem Spiritualem; ergo, &c. Unde meritò damnantur hæ theſes:

45 *Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi Spirituale: Vel etiam, quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro Spirituali, aut è contra.*

XLVI. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi Spirituale; imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic, ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis. 46

Petes. Quomodo poteſt eſſe quid Simoniacum dare temporale pro Spirituali obtinendo, quando datur ſolùm ex gratuita compenſatione.

℞. Quia Spiritualia Beneficia debent gratis conferri; ut vidimus in propoſitione 22. damnata ab Alex. VII. Vide plures rationes apud Cardenas, *diſſertat.* 27. *capit.* 3. -- Tum quia illa gratuita compenſatio includit pactum aliquod, ſaltem implicitum, aut æquivalenter de conferendo tale Beneficium danti illud temporale; ergo adeſt aliquod pactum Simoniacum. Vide plura apud Viva, *part.* 2. *pagin.* 109. *& ſeqq.*

Quæritur XLVII. Eccleſiaſtici Electores tenenturne ſub gravi culpa eligere digniorem ad Beneficium habens annexam Curam Animarum?

℞. Affirmativè. Et primò probatur auctoritate clariſſima Concilii Tridentini, ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformat. ibi: *Eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi præfici diligenter curaverint, quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint.* Eadem ſeſſ. cap. 18. ibi: *Ex hiſque Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit.* -- Ibidem infrà: *Is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Epiſcopo præſentare tenetur, ut ab eo inſtituatur.* Ibidem item, *Tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem.* Secundò probatur ratione. Jure Naturæ Electores tenentur eligere ad gubernationem Spiritualem Animarum eum, qui habeat omnia requiſita ad tale munus; nam Optimum Superiorem omnes naturaliter appetunt; multoties autem accidit, impoſſibile eſſe hìc, & nunc invenire Optimum; ergo ſaltem melior eligendus erit, nempe is, qui plura, vel meliora ex requiſitis habeat ad utilitatem illius populi.

Tertiò probatur experientia. *Qualis Rector eſt Civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Eccli. 10. verſ. 2. -- Experientia probat in iis locis, unum Parochum zelo, & fervore flagrantem influere brevi tempore Spiritum, & pietatem in omnes ferè illos, qui ad ejus Curam pertinent. Ita Cardin. de Lugo, *tom.* 2. *de Juſt. diſp.* 35.

ſect. 2. *num.* 19. Vide plura apud Cardenas, *diſſert.* 28. *cap.* 4. — Unde meritò damnata eſt ſequens propoſitio, & explicatio.

47 *Cùm dixit Concilium Tridentinum*: Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent: *Concilium, vel primò videtur per hoc*, Digniores, *non aliud ſignificare, velle niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundo locutione minùs propria ponit*, Digniores, *ut excludat indignos, vel tandem loquitur tertiò, quando ſit Concurſus.*

Quæritur XLVIII. Simplex fornicatio eſtne intrinſecè mala, ſeu prohibita quia mala, ac juri naturæ adverſans?

℞. Affirmativè. Ratio eſt quia fornicatio importat inordinationem talem ut, vergat in nocumentum vitæ prolis, quæ ex tali concubitu naſcitur, vel naſci poteſt. Quando enim concubitus eſt vagus, & proles incerta, parùm ſolliciti ſunt Parentes de vita, & educatione prolis: ut patet experientia; hoc autem totius generis humani bono valdè repugnat; ergo fornicatio prohibita eſt, quia in ſe mala; & Legi Naturæ repugnans eſt; ut fuſiùs probat D. Thomas, 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 3. Et in Comment. *Epiſt.* 1. ad Corinthios *cap.* 6. *lect.* 3.

Tum quia: Quotieſcumque ratio irrefragabilis probat malitiam alicujus actionis, malitia illius actionis non poteſt non eſſe diſſona rationi raturali; atqui D. Paulus Apoſtolus in Epiſt. cit. adducit rationes irrefragabiles ad probandam malitiam Fornicationis; ergo malitia Fornicationis eſt diſſona rationi naturali; & conſequenter eſt intrinſecè mala moraliter. — Vide plures alias ratione apud Cardenas, *diſſert.* 49. *cap.* 2. — Et apud Viva; *part.* 2. *à pag.* 120. *& ſeqq.* — Unde meritò damnata eſt ſequens aſſertio.

48 *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.*

Quæritur XLIX. Mollities eſtne prohibita Jure Naturæ?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia mollities magis repugnat bono communi totius generis humani, magiſque diſſona eſt rectæ rationi, quàm ſimplex fornicatio; at ſimplex fornicatio prohibita eſt Jure Naturæ, ut ſuperiùs probatum eſt, ergo, &c. Tum quia Mollities connumeratur inter peccata Luxuriæ contra Naturam; ergo non poteſt non eſſe intrinſecè mala, ac diſſona rationi rectæ. — Vide D. Thomam, 2. 2. q. 154. *artic.* 11. & alios DD. nuper in ſuperiori reſolutione citatos. Unde meritò damnatur etiam ſequens propoſitio:

Mollities jure naturæ prohibita non eſt; 49
unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

Quæritur L. Copula cum conjugata conſentiente ejus marito, debetne cenſeri verum adulterium?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia Maritus nequit validè renunciare *Juri Conjugii*, quod reſpicit non tantùm juſtitiam propriam, quàm juſtitiam communem ſtatus conjugalis, & jus prolis legitimæ naſcendæ; ergo conſenſus mariti nequit auferre malitiam adulterii ſuæ conjugis. Tum quia, ſemper verificatur *acceſſus ad alienam*; ergo ſemper erit adulterium formaliter. — Vide plura apud Viva, *part.* 2. *pag.* 125. — & Cardenas, *diſſert.* 30. Unde meritò damnatur ſequens theſis:

Copula cum conjugata, conſentiente mari- 50
to, non eſt adulterium; adeòque ſufficit in Confeſſione dicere: ſe eſſe fornicatum.

Quæritur LI. Eſtne licitum famulis inſervire Dominis ſuis per eas actiones, quæ ſcienter deſerviunt, aut proximè juvant ad peccandum.

℞. Negativè. Ratio eſt: quia numquam licitum eſt ſcienter cooperari, aut aſſentiri peccato alterius; ergo nec famuli, (nec alii quicumque) licitè poterunt inſervire alicui per eas actiones, quæ deſerviunt, aut proximè juvant ad peccandum; hoc enim eſſet, cooperari formaliter peccato alterius, quod numquam licitè fieri poteſt. Vide quæſo Laymannum, *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *à nu.* 4. Cardenas, *diſſer.* 31. *per totam.* — Viva, *part.* 2. *pag.* 128. Unde meritò damnata eſt ſequens propoſitio:

Famulus, qui ſubmiſſis humeris, ſcienter 51
adjuvat Herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit, deferando ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti: puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

Quæri-

Digitized by Google

Quæritur LII. Præceptum ſervandi Feſta obligatne per ſe ſub mortali?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia ex perpetua traditione, & communi Eccleſiæ Catholicæ conſenſu omnia Eccleſiæ præcepta obligant ſub mortali per ſe; ergo & iſtud de Feſtis ſervandis. Vide Suarez, *tom. 1. de Religione, tract. 2. libr. 2. cap. 2. num. 2.* — & Cardenas, *part. 4. diſſert. 32. cap. 2.* — Ergo meritò damnatur hæc propoſitio:

52 *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.*

Quæritur LIII. Satisfacitne Præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda die Feſto, qui duas partes Miſſarum ſimul à diverſis Sacerdotibus celebrantibus audit?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia Eccleſia præcipit, ut una Miſſa integra audiatur. Cap. Miſſas, diſt. 1. de Conſecr. ibi, *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus; ita ut ante Benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat.* Ratio etiam eſt: quia duæ medietates non conſtituunt unam Miſſam totam, cùm reverà illæ non ſint Unum Sacrificium; ergo, &c. Vide plura apud Cardenas, *diſſertat. 32. capit. 5.* — Unde meritò damnatur hæc theſis:

53 *Satisfacit Præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor, ſimul à diverſis Celebrantibus audit.*

Quæritur LIV. Qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, vel ex carentia Breviarii, vel ob aliam legitimam cauſam, teneturne ad reliquas Horas recitandas?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia juxta illud Axioma legale, *Qui non poteſt in totum, ſolvat in partem*; materia enim hæc eſt diviſibilis (ut patet) in ſeptem partes, vel Horas, & quælibet pars cadit ſub præcepto; ergo ſi non potes majorem partem perſolvere, teneris ad minorem, quam potes. Lumen ipſum naturale hoc dictare videtur, ut patet in aliis debitis diviſibilibus. Igitur meritò damnatur ſequens theſis:

54 *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas: ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem.*

Quæritur LV. Qui in Paſcha Communionem ſacrilegè recipit, ſatisfacitne Præcepto?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia Deus, & Eccleſia præcipit reverentem, & devotam Communionem more Chriſtiano; ut habetur capit. Omnis utriuſque: ex Conc. Lateran. ibi, *Suſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*; atqui Communio ſacrilega nequit dici reverens, devota, & Chriſtiano more facta; quinimò proditoria, & injurioſa æſtimanda eſt; ergo, &c. Vide Cardenas, *diſſertat. 34. cap. 3.* Meritò igitur damnatur hæc propoſitio:

Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per Sacrilegam Domini manducationem. 55

Quæritur LVI. Frequentia Sacramentorum Confeſſionis, & SS. Communionis in iis perſonis, quæ depravatis continuò moribus vivunt, poteſtne dici, quòd ſit unum ex ſignis Prædeſtinationis ad Gloriam?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia potiùs debet dici unum ex ſignis Reprobationis, ac damnationis æternæ; non ex frequentia Sacramentorum, *ut ſic*, ſed ex abuſu ipſorum: & depravatione conſcientiæ recipientis, ſimilis Judæ proditori. Vide plura in Viva, *part. 2. pag.* 138. — & Cardenas, *part. 4. diſſert. 35.* Quare meritò damnatur hæc theſis:

Frequens Confeſſio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota Prædeſtinationis. 56

Quæritur LVII. Attritio merè naturalis eſtne ſufficiens diſpoſitio ad Sacramentum Pœnitentiæ validè ſuſcipiendum?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia non alia Attritio ſufficit ad hoc Sacramentum, quàm deſcripta à Concilio Tridentino; atqui Attritio deſcripta à Tridentino eſt verè ſupernaturalis: patet ex verbis illius, ſeſſ. 14. cap. 4. ibi, *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur: ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ: declarat (S. Synodus) non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam Donum Dei eſſe, & Spiritus-Sancti impulſum; &c.* — Igitur meritò damnata fuit ſequens theſis, quæ dicebat:

Probabile eſt: Sufficere Attritionem naturalem, modò honeſtam. 57

Quæritur LVIII. Confeſſario interroganti teneturne pœnitens manifeſtare conſuetudinem, quam habet, peccandi?

Aa 4 ℞. Af-

Digitized by Google

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia ita docent omnes Theologi, ita praxis Catholicorum, & ita exigit Inſtitutio, & finis Sacramenti Pœnitentiæ; ut diffuſè probat Joan. Cardenas, *part. 4. Criſis, diſſert. 37. per totam*; quare meritò damnatur ſequens:

58 *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.*

Quæritur LIX. Magnus concurſus pœnitentium hodie volentium confiteri eſtne cauſa juſta, & ſufficiens ad dimidiandas Confeſſiones?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia ſola impoſſibilitas phyſica, aut moralis eſt motivum ſufficiens hic, & nunc ad dimidiandam Confeſſionem, ideſt, ad non manifeſtanda omnia peccata mortalia, quæ ſunt in conſcientia pœnitentis, & ad obtinendam abſolutionem, cum onere poſtea integraliter confitendi; atqui concurſus pœnitentium non cauſat ullam neceſſitatem in ipſis ſic confitendi; ergo, &c.

Confirmatur. Nullum præceptum, ut ſupponitur, urget tot pœnitentes ad hodiernam Confeſſionem, aut Confeſſarium ad eos omnes audiendos; urget autem præceptum Divinum de integritate materiali Confeſſionis; quare igitur erunt omnes audiendi, & abſolvendi ſine prævia integra Confeſſione? Vide plura apud Cardenas, *diſſert. 38. cap. 2.* — & Viva, *part. 2. pagin. 146.* — Meritò igitur damnatur hæc theſis:

59 *Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis V. G. poteſt contingere in die magna alicujus Feſtivitatis, aut Indulgentiæ.*

Quæritur LX. Quando nulla emendationis ſpes refulget in pœnitente conſuetudinario, vel recidivo, poteſtne Confeſſarius eum abſolvere?

℞. Negativè; benè quidem poteſt, ac debet vel differre, vel negare ei abſolutionem Sacramentalem. Ratio eſt: quia Confeſſarius, ut *Judex*, non poteſt abſolvere indiſpoſitum pœnitentem; aliàs data opera impenderet abſolutionem invalidam; atqui ubi nulla refulget ſpes emendationis, ibi nequit eſſe verus dolor, verumque propoſitum ampliùs non peccandi, ſeu reſiſtendi conſuetudini inveteratæ; & conſequenter confitens cenſetur indiſpoſitus; ergo validè, & licitè nequit abſolvi à Confeſſario; & conſequenter poteſt, & debet Confeſſarius in tali caſu aut differre, aut negare beneficium abſolutionis: ut communiter docent TT. apud Cardenas, *diſſert. 39. à cap. 1. & ſeqq.* & apud Viva, *part. 2. pag. 149. & ſeq.* Unde meritò damnatur ſequens propoſitio:

Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi 60
contra Legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat: nec eſt deneganda, nec differenda abſolutio; dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

Quæritur LXI. Poteſtne aliquando abſolvi confitens; qui vult perſiſtere in occaſione proxima mortaliter peccandi?

℞. Negativè. Ratio eſt manifeſta: quia omnes TT. docent, eum, qui eſt in occaſione proxima peccandi lethaliter, quando ipſi eſt voluntaria, teneri gravi ſub obligatione illam omninò deſerere; ergo qui non vult eam deſerere, cenſetur velle cauſam ſui peccati; & conſequenter eſt incapax Reconciliationis, & Abſolutionis. — Vide plura ad propoſitum apud Cardenas, *diſſert. 40. cap. 4. & 5.* — Meritò igitur damnata fuit ſequens propoſitio:

Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima 61
occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere; quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

Quæritur LXII. Quænam cauſa eſt ſufficiens ad perſiſtendum licitè in aliqua occaſione proxima?

℞. Nulla alia cauſa in foro conſcientiæ eſt ſufficiens, niſi ſola impoſſibilitas phyſica, vel moralis deſerendi talem occaſionem. At verò tunc nulla omninò cauſa eſt ſufficiens, ut quis non teneatur avertere periculum proximum peccandi mortaliter: ſicut doctiſſimè probat Joannes de Cardenas, diſſertatione quadrageſima, capit. 7. art. 2. cum communi DD. — *Breviſſimè ſic probatur*. Quoties poteſt quis deſerere occaſionem proximam, tenetur illam deſerere: ut vidimus ſuperiùs: ergo ſolùm excuſatur ab ea obligatione, quando verè non poteſt eam deſerere; ergo ſola impoſſibilitas excuſat. — In caſu autem hujus impoſſibilitatis ſemper eſt in poteſtate hominis cum Dei adjutorio adhibere media opportuna, quibus extenuatur periculum proximum relabendi in mortale: nempe ſummè deteſtando illud peccatum, replicando propoſitum conſtans, & efficax, implorando Divinum auxilium, &c. ergo nulla erit cauſa ſufficiens excuſans hominem

nem

nem in foro conſcientiæ ab hoc, quòd teneatur extenuare, & avertere periculum proximum mortaliter peccandi. Qui hoc non facit, cenſetur amare periculum ſuum; qui autem amat periculum, in illo peribit. – Meritò igitur damnatur & hæc:

62 *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.*

Quæritur LXIII. Eſtne unquam licitum, quærere directè occaſionem proximam peccandi?

℞. Negativè. Ratio eſt evidens: quia quærere directè occaſionem proximam peccandi, eſt velle directè periculum proximum peccandi; atqui numquam licet velle directè periculum proximum peccandi; moraliter enim loquendo perinde eſt velle hoc periculum, ac velle peccatum; quia *In moralibus idem eſt committere, ac exponere ſe periculo committendi peccatum*; ergo nequit quis velle occaſionem proximam peccandi, quin velit etiam ipſummet peccatum. – Vide Cardenas, *diſſert. 40. cap. 8. per totum*. – Meritò igitur damnatur etiam hæc:

63 *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.*

Quæritur LXIV. Qui culpabiliter ignorat Myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, eſtne capax abſolutionis Sacramentalis.

℞. Negativè. Ratio eſt: quia non eſt capax abſolutionis homo, qui actualiter peccat mortaliter, dum abſolvitur; ſed ſic eſt, quòd homo, qui culpabiliter ignorat prædicta Myſteria, dum abſolvitur, peccat mortaliter peccato omiſſionis addiſcendi Doctrinam Chriſtianam de his Myſteriis; nam præceptum affirmativum addiſcendi neceſſaria ad ſalutem tunc urget magis tempore Confeſſionis Sacramentalis, quàm alio tempore, ut homo reddatur capax Juſtificationis; tum quia tempore Confeſſionis ignorantia culpabilis debet deponi, & vinci per inſtructionem, & notitiam ipſorummet Myſteriorum; ergo, &c. Quare deducitur manifeſtè, quòd homo ignarus illorum Myſteriorum debet priùs inſtrui pro ſua capacitate, antequàm abſolvatur; quinimò tenetur deteſtari, & confiteri negligentiam præteritam in adipiſcenda Doctrinâ prædicta.

Præterea ex alio capite homo ignorans prædicta Myſteria non eſt capax abſolutionis, eò quia Fides explicita horum Articulorum Fidei eſt neceſſaria neceſſitate medii, juxta probabiliorem opinionem TT. ergo qui ignorat ea Myſteria, etiam ex ignorantia invincibili, non poteſt juſtificari, nec ſalvari; ergo neque abſolvi. Vide plura apud Cardenas, *diſſert. 41. capit. 3. & 4.* Quare meritò damnata eſt ſequens propoſitio:

Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei: & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti. 64

Quæritur LXV. Sufficitne ad hoc, ut homo ſit capax Abſolutionis, quòd illa Myſteria ſemel crediderit, quamvis poſtea oblitus fuerit, & actu ignoret ea myſteria?

℞. Negativè. Ratio eſt: quia non ſufficit ad Salutem Æternam, quòd quis ſemel in vita ſua eliciat actum Fidei; quia, ut inquit Apoſtolus Paulus Rom. 1. – Galat. 3. – & Hebr. 10. *Juſtus ex Fide vivit*. Qua Fide? Fide Euangelica, cujus præcipua Myſteria ſunt illa duo, *Trinitatis, & Incarnationis*; ergo omnis Chriſti-Fidelis frequenter tenetur ad eliciendos actus Fidei de his Myſteriis. At quomodo eliciet actus circa illa Myſteria, ſi actu ea ignorat, & neſcit? Ergo interrogatus pœnitens de his Articulis principalioribus, ſi neſciat reſpondere, non poteſt abſolvi. Vide plura apud Cardenas, *cit. diſſert. 42. cap. 1. & 2.* – & apud Viva, *part. 2. pag. mihi 153.* Super has propoſitiones damnatas. – Meritò tandem damnatur & hæc ultima theſis:

Sufficit, illa Myſteria ſemel crediſſe. 65

Quæ omnes, & ſingulæ propoſitiones damnatæ fuerunt ab Innocentio Papa XI. tamquam ad minimum ſcandaloſæ, & pernicioſæ in praxi; inſuper annexa eſt pœna Excommunicationis majoris reſervatæ Summo Pontifici pro tempore exiſtenti contra illum, qui aliquam ex dictis theſibus docuerit, aut defenderit; & tandem in virtute S. Obedientiæ præcipitur, ne quis ullam ex iis propoſitionibus in praxim deducat: ut videre poteris in Decreto damnationis edito die 2. Martii, anno 1679.

BRE-

Digitized by Google

BREVIS NOTITIA,

Simulque confutatio nonnullarum Propoſitionum jam condemnatarum

A SS. D. N. ALEXANDRO PAPA VIII.

Q*Uæritur I.* Daturne, vel dari poteſt peccatum purè Philoſophicum?

Reſpondetur. Negativè. Ratio eſt: quia peccatum purè Philoſophicum ſic deſcribitur, aut definitur, quòd ſit *Actus humanus diſconveniens Naturæ rationali, & rectæ rationi, ſed non ſit offenſa DEI, neque peccatum mortale diſſolvens Amicitiam DEI, neque pœna æterna dignum.* Hæc autem definitio involvit repugnantiam, & contradictionem in terminis ſuis; ergo non datur, nec dari poteſt hujuſmodi peccatum. *Probo minorem propoſitionem ſic:*

Peccatum actuale, ut ſic, ſeu quatenùs peccatum eſt, eſſentialiter eſt quid contra Legem DEI æternam; ergo pariter erit offenſa DEI; nam qui offendit Legem, offendit Legiſlatorem. Et ſi eſt offenſa DEI in re gravi, diſſolvit etiam Amicitiam DEI, & conſequenter erit dignum pœna æterna, niſi deleatur per veram Pœnitentiam.

Prætereà. Peccatum Philoſophicum jam deſcriptum eſt *actus diſconveniens Naturæ rationali, & rectæ rationi;* atqui talis actus ſimul, & ſemel eſt contrarius etiam Legi æternæ DEI; nam lumen rationis nil aliud eſt, quàm impreſſio Divini luminis in nobis, juxta illud Pſal. 4. verſ. 7. *Signatum eſt ſuper nos Lumen vultus tui, Domine.* Ubi Gloſſa Interlinearis: ideſt, *impreſſum rationi, qua ei ſimiles ſumus.* Et Gloſſa Ordinaria, *Hoc lumen eſt totum, & verum hominis bonum, quo ſignatur, ut denarius imagine Regis.* Et Lyranus noſter, *Lumen naturale intellectus humani, quod eſt quædam impreſſio Divini Luminis, ſufficienter oſtendit, quæ ſint opera Juſtitiæ facienda.*

Prætereà. Dictamen rationis eſt veluti præco indicens nobis Divinam Legem, & voluntatem Dei æternam ſive præceptivam, ſive prohibitivam; ergo implicat, quòd peccatum adverſetur dictamini rationis, & non adverſetur ſimul Legi æternæ Dei.

Ex quibus manifeſtè deducitur, implicare peccatum, quod ſit Philoſophicum, & non etiam Theologicum; nam ex natura rei idem peccatum, V. Gr. *Homicidium Innocentis* eſt Philoſophicum, & ſimul Theologicum; quia eo ipſo, quòd contrarium eſt rationi naturali, indiſpenſabiliter, & indiviſibiliter eſt contrarium Legi æternæ Dei; adeòque eſt offenſa Dei, &c. Vide plura apud Felicem Poteſtatis, *tom. 1. part. 4. cap. 6. à nu. 3674. & ſeqq.* & apud Dom. Viva *in Trutina Theol. part. 3. pag. mihi 10. num. 8. & ſeqq.* Unde meritò damnata fuit ab Alex. VIII. anno 1690. die 24. Auguſti, ſequens theſis, quæ eſt ſecunda ex duabus ſolitariè damnatis, *pag. 291. num. 10.*

Peccatum Philoſophicum, ſeu Morale, eſt 1.
actus humanus diſconveniens Naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & Mortale, eſt tranſgreſſio libera Divinæ Legis. Philòſophicum quantumvis grave in illo, qui DEUM vel ignorat, vel de DEO actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa DEI, neque peccatum mortale diſſolvens Amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.

Quæritur II. Ignorantia omninò invincibilis excuſatne à peccato pro formali operantem ex ea?

℟. Affirmativè. Ratio eſt: quia ut malitia actus ſit imputabilis, debet omninò eſſe volita; nullum enim eſt peccatum, quod voluntarium, & liberum non ſit; at nil volitum, quin præcognitum; ergo ubi reverà datur ignorantia invincibilis de malitia actionis, etiam circa aliquod malum Juris Naturæ, nequit dari peccatum pro formali. Ita ex Sacra Scriptura, Sanctis PP. & Theologis Catholicis tenendum eſt, ut cum multis probat P. Dominicus Viva, *part. 3. pag. mihi 21. à num. 7.* — Tum quia olim à S. Pio V. Gregorio XIII. & deinde ab Urbano VIII. damnatæ fuere ſeptuaginta novem propoſitiones Michae-

lis

Digitized by Google

lis Baji, quarum ſexageſima octava erat hæc: *Infidelitas purè negativa in iis, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* Et quadrageſima ſexta erat hæc: *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet Voluntarium.* Quare meritò damnata fuit noviſſimè ab Alex. VIII. Sequens propoſitio, quæ eſt la ſecunda in ordine ad illas 31. damnatas die 7. Decembris anno 1690. & ſic ſonabat:

2 *Tametſi detur ignorantia invincibilis Juris Naturæ; hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.*

Quæritur III. Eſtne licitum, & tutum in conſcientia in rebus Juris incertis ſequi opinionem probabiliſſimam, relicta tutiore oppoſita?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia ſi eſt licitum, & tutum ſequi omnem opinionem verè, & practicè probabilem, etiam in concurſu probabilioris, & tutioris oppoſitæ, multò magis licebit ſequi probabiliſſimam, aliàs in Tutioriſmum, vel Rigoriſmum incidere oporteret.

Petes. Quid importat *Tutioriſmum vel Rigoriſmum?*

℞. Importat Scholam quorumdam Modernorum, qui docent, numquam licere hominibus ſequi in praxi opinionem faventem libertati noſtræ contra Legem, vel Præceptum, etiamſi ea opinio foret probabiliſſima, & receptiſſima apud Theologos, & Moraliſtas; quapropter Tutioriſtæ, vel Rigoriſtæ ſub ſpecie zeli ſalutis Animarum reddunt viam, quæ ducit ad Vitam, imperviam, aſperrimam, & impracticabilem. Et quid inde ſequitur? Experientia demonſtrat, quòd ſequatur ruina, & pernicies debilium, & imperfectorum, qui nimio preſſi onere, onus ipſum excutiunt, dicentes: Viam mandatorum Dei, & Eccleſiæ eſſe impoſſibilem greſſibus humanis, onus, & jugum Chriſti eſſe intollerabile, & importabile, ideoque deſperantes, ſe ſe vitiis, ac libertati omnimodæ committunt; ergo aſperitas perdit, quos lenitas ſervaret. Melius erat eis *mediam tenere viam*. Vide plura apud Viva, *part. 3. pagin. 24. & ſeqq.* — Meritò igitur damnata fuit ab Alex. VIII. ſequens theſis, la

3 *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.*

Petes iterùm. Probabilioriſmum quid importat?

℞. Aliam indicat Scholam quorumdam Modernorum docentium, mordicùſque ſuſtinentium, homines teneri, ſemper, & in omni materia ſequi opinionem probabiliorem, relicta, & rejecta probabili oppoſita Probabilioriſtæ mihi videntur onus grave imponere humeris hominum, ſpiritu infirmorum, quos debemus ex charitate ſuſtinere, ne cadant, & ruant in pejus; ut notavi, *Tract. 2. num. 16.* nam ut (inquit P. Viva cum Segnero) ferè omnes rationes, quæ à Probabilioriſtis congeruntur ad probandum, nos omnes teneri, ad ſequendum ductum opinionis probabilioris, indiviſim evincunt, teneri, ad ſequendum ſemper, quod eſt tutius. V. P. Viva, *part. 1. pag. 10 num. 6. in fine.*

Quæro IV. *Timor Inferni gehennalis, quo Chriſtianus deteſtatur peccata præterita, & ſibi cavet à futuris, eſtne propriè ſupernaturalis.*

℞. Sine dubio eſt ſupernaturalis. Quia Sacræ Scripturæ ſæpè ſæpiùs excitant Viatores homines ad pœnitentiam, & ad ſervanda Dei mandata timore iſto ſervili; ut videri poteſt Iſaiæ, *cap. 33.* Lucæ, *c. 13.* — Matthæi, *cap. 25. verſ. 46. & alibi.* — Item ex Conciliis generalibus, præſertim à noviſſimo Concil. Trident. *ſeſſ. 7. can. 8. ſeſſ. 14. cap. 4. & can. 3. & alibi.*

Probatur etiam ratione Theologica. Timor Inferni, & aliarum pœnarum à DEO infligendarum propter peccata noſtra, procedit à virtutibus Theologicis Fidei, & Spei. Atqui iſtæ virtutes ſunt ſupernaturales; ergo, &c. Meritò igitur damnata fuit ſequens theſis, quæ eſt la 14. ex damnatis ab Alex. VIII.

Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis. 4

Quæro V. *Attritio Chriſtiana, quamvis ſit ſine dilectione DEI propter ſe, ideſt, ſine Charitate perfecta, eſtne ſufficiens diſpoſitio peccatoris ad Gratiam ipſius DEI recuperandam cum Sacramento Pœnitentiæ in re ſuſcepto?*

℞. Certiſſimè. Nam Concilium Trident. *ſeſſ. 14. cap. 4.* docens nos ita dicit: ibi,

Attritio quamvìs ſine Sacramento Pœ- “
nitentiæ per ſe ad Juſtificationem perdu- “
cere peccatorem nequeat; tamen eum diſ- “
ponit ad DEI Gratiam in Sacramento Pœ- “
nitentiæ impetrandam, “

Quid ultrà requirit intellectus docilis, & catholicus? At ſpeculativus objiciet. Et quid? Ego ei dicerem: Dogmatica dogmaticè, Moralia moraliter, non verò ſpe-

Digitized by Google

rò ſpeculativè reſolvenda ſunt. Sed, quæſo, quid diceret hic Speculativus?

Poſſet dicere: Concilium Tridentinum loquitur de diſpoſitione remota, non de proxima. — Contrà; pauciſſimis verbis eum arguerem ſic: Quis te hanc docuit diſtinctionem? Fuiſtine Conſiliarius, aut Doctor ipſius Concilii? Noſtrùm non eſt, quinimò nobis prohibitum eſt interpretari, vel gloſſare verba Sacroſancti Concilii.

Nihilominus tibi dico, quòd tua diſtinctio non eſt bona, neque favorabilis Sacramento, cujus effectus primarius (de mente ipſius Concilii, ſeſſ. 14. cap. 3.) eſt *Reconciliatio hominis cum DEO*. Tum quia Attritio ſupernaturalis jam habet ex ſe independenter à Sacramento hanc qualitatem, nempe eſſe diſpoſitionem remotam ad Juſtificationem; ergo *ut unita Sacramento* aliam fortiorem, ac nobiliorem habebit. Et qualem? Jam intellexiſti, & ignoras? Habebit qualitatem, vim, virtutem proximam reconciliandi hominem cum ipſomet DEO; ergo erit, & eſt diſpoſitio (unita, ut ſuprà) proxima ad Gratiam DEI impetrandam; ſicque pœnitens *ex attrito fit contritus*: ut docent omnes Theologi. — Vide, ſi vis plura, P. Dominicum Viva ſupra ſequentem meritò damnatam theſim, quæ eſt la 15. ex damnatis ab Alex. VIII. & dicebat: & male ſonabat.

5 *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.*

Quæro VI. *Valetne Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque ſolitam obſervat; intra ſe tamen, in corde ſuo non intendit facere, quod facit Eccleſia Dei?*

℟. Negativè. Ratio eſt: quia Concil. Tridentinum, ſeſſ. 7. de Sacram. can. 11. decrevit, *Si quis dixerit, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia; anathema ſit*. Quod etiam anteà definitum fuerat à Concil. Florentino in Decreto Fidei, ſeu Unionis, ibi, *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur: rebus tamquam Materia: verbis tamquam Forma: & Perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum Intentione faciendi, quod facit Eccleſia; quorum ſi unum deſit, non perficitur Sacramentum.*

? *Dices*. Qui omnem ritum externum juxta morem Eccleſiæ adhibet, cenſetur habere intentionem ſeriò faciendi materialiter, quod facit Eccleſia; atqui hæc eſt aliqua intentio; ergo hæc ſufficiet.

℟. Iſta intentio non ſufficit ad valorem; quia Miniſter Sacramentorum in conficiendis Sacramentis, debet operari ut Miniſter Chriſti, vel Eccleſiæ; ergo neceſſariò ejus intentio debet eſſe Sacramentalis, ideſt, formalis intentio faciendi Sacramentum à Chriſto inſtitutum; aliàs ſeriò non ageret, ut Miniſter Chriſti, vel Eccleſiæ, ſed jocosè, illuſoriè, & fictè. Ita communis TT. ſententia apud Maſtrium, *Moral. diſput. 16. num. 37.* — & P. Dom. Viva, *part. 3. pag. 114. & ſeqq.* — Quare meritò damnata eſt inter alias hæc propoſitio, la

Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui 6 *omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat; intùs verò in corde ſuo apud ſe reſolvit*: Non intendo facere, quod facit Eccleſia.

Declarationem, ſimulque confutatio- “
nem aliarum damnatarum propoſitionum “
tam à prædicto, quàm ab aliis Romanis “
Pontificibus de induſtria omiſi; tum quia “
earum notitia mihi non videtur neceſſa- “
ria, proficua, utilis, neque accommoda- “
ta tyronibus Confeſſariis, quibus directè “
inſervio; tum quia error, malitia, dolus, “
turpitudo, & (reſpectivè) hæreſis ea- “
rumdem ex mera grammaticali lectione “
omni Catholico adulto non infimæ plebis “
ſtatim apparent. — *Hæc igitur pro brevi no-* “
titia ſufficiant.

SOLI DEO HONOR, ET GLORIA.

F I N I S.

INDI-

INDICULUS
HUJUS ADDITIONIS
LUCI MORALI.

ABortum procurare. Vide propoſitionem 24. & 25. ex damnatis ab Innocent. XI.

Abſolvere ab hæreſi occulta, à cenſuris, à reſervatis, & à cæteris peccatis. Propoſ. 3. 4. & 12. Alex. VII. & prop. 59. 60. 61. & 64. Innoc. XI.

Actus Fidei, Spei, & Charitatis quandonam eliciendi? Propoſ. 1. Alex. VII. – & Propoſ. 5. 6. 7. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 64. & 65. Innoc. XI.

Adulterium. Propoſ. 50. Innoc. XI. & 19. Alex. VII.

Attritio naturalis. Propoſ. 57. Innoc. XI. – & Attritio ſupernaturalis. Propoſ. 4. & 5. Alex. VIII.

Baptiſmus collatus ſine debita intentione. Prop. 6. Alex. VIII.

Beneficia Eccleſiaſtica collata cum Simonia. Prop. 22. Alex. VII. – & 45. 46. Innoc. XI. Conferenda Dignioribus. Propoſ. 47. Innoc. XI.

Cenſuræ quoad ceſſationem. Prop. 44. Alex. VII. – & quoad abſolutionem. Propoſ. 3. & 4. Alex. VII.

Charitas erga DEUM. Propoſ. 1. Alex. VII. & 5. 6. 7. Innoc. XI. – Charitas erga proximum. Prop. 10. 11. 13. Innoc. XI. – Actus Charitatis. Vide *Actus*.

Comedere, & bibere. Vide *Voluptas*.

Communio Euchariſtiæ annua. Propoſ. 55. Innoc. XI. – frequens, ſed ſacrilega. Propoſ. 56. Innoc. XI.

Concubinarius. Vide *Peccata carnalia*.

Confeſſarius Regularis quoad abſolvendum ſæculares. Prop. 4. 12. 13. Alex. VII.

Confeſſarius in ordine ad differendam, vel negandam abſolutionem. Prop. 41. Alex. VII. – & 59. 60. ad 64. Innoc. XI.

Sollicitans ad turpia. Prop. 6. 7. Alex. VII.

Confeſſarium ſibi eligere. Prop. 16. Alex. VII.

Confeſſio Sacramentalis: confiteri. Propoſ. 11. ad 15. 24. 25. 38. 39. Alex. VII. – dimidiatè confiteri. Prop. 59. Innoc. XI.

Conſuetudo non comedendi lacticinia in Quadrageſima. Prop. 32. Alex. VII. – peccandi mortaliter. Prop. 58. 60. Innoc. XI.

Conſuetudinarii non ſunt ſtatim abſolvendi. Propoſ. 60. Innoc. XI.

Contractus Mohatra: *Stocco*. Propoſ. 40. Innoc. XI.

Crimen falſum imponere. Prop. 43. 44. Innoc. XI.

Defunctorum Animabus legatum annuum. Propoſ. 43. Alex. VII.

Denunciare ad S. Officium Inquiſitionis. Propoſ. 5. Alex. VII.

Deſideria mala: deſiderare malum proximo. Propoſ. 13. 14. 15. Innoc. XI.

Duellum acceptare. Prop. 2. Alex. VII.

Eleemoſyna facienda pauperibus à divitibus. Propoſ. 12. Innoc. XI.

Falſum crimen. Vide *Crimen*.

Famuli, famulæ compenſantes ſibi. Propoſ. 37. Innoc. XI. Cooperantes peccato Dominorum ſuorum. Prop. 51. Innoc. XI.

Feſta ſervanda. Propoſ. 52. Innoc. XI.

Fides. Vide *Actus Fidei*. – Fidem publicè confiteri. Prop. 18. Innoc. XI.

Furtum: furari. Prop. 36. ad 39. Innoc. XI.

Gaudere de morte proximi. Propoſ. 15. Innoc. XI.

Gulæ indulgere. Prop. 8. Innoc. XI.

Horæ Canonicæ: earum recitatio, &c. Propoſ. 20. 21. 33. 34. 35. Alex. VII. – & 54. Innoc. XI.

Jejunium Eccleſiæ. Propoſ. 23. 29. 30. 31. 32. Alex. VII.

Ignorantia Myſteriorum Fidei. Prop. 64. 65. Innoc. XI. – Invincibilis excuſat. Prop. 2. Alex. VIII. quæſt. 2.

Indulgentiæ revocatæ. Prop. 37. Alex. VII.

Juramentum illicitum. Propoſ. 24. ad 28. Innoc. XI.

Legatum annuum pro Animabus Purgatorii. Propoſ. 43. Alex. VII.

Lex. Leges recipiendæ. Prop. 28. Alex. VII.

Libri prohibiti non retinendi. Propoſ. 45. Alex. VII.

Miſſa audienda in Feſtis. Propoſ. 53. Innoc. XI.

Miſſæ ſtipendium. Prop. 8. 9. 10. Alex. VII.

Mutuum. Vide *Uſura*.

Myſteria principaliora Fidei ab omnibus ſcien-

Digitized by Google

ſcienda, & credenda. Propoſ. 22. 64. 65. Innoc. XI.
Neſcientes expreſsè Myſteria Fidei ſunt incapaces abſolutionis. Propoſ. 64. 65. Innocentio XI.
Occaſio proxima mortaliter peccandi eſt deſerenda, & fugienda. Propoſ. 61. 62. 63. Innoc. XI.
Occidere, percutere injuſtè proximum. Propoſ. 17. ad 19. Alex. VII. -- & 30. ad 33. Innoc. XI.
Officium Divinum. Vide *Hora Canonica*.
Opinio probabilis quandonam relinquenda. Propoſ. 26. 27. 40. Alex. VII. -- & 1. 2. 3. 4. Innocent. XI. -- Quando autem tenenda. Propoſ. 3. Alex. VIII. quæſ. 3.
Oſculum luxurioſum. V. Peccata carnalia.
Peccata carnalia. Prop. 25. 40. 41. Alex. VII. & 48. 50. 51. Innoc. XI. -- Contra naturam. Prop. 24. Alex. VII. -- & 49. Innoc. XI.
Peccatum Philoſophicum, quid ſit? Quæſitum primum de propoſitionibus ab Alex. VIII. damnatis, extra, &c.
Pœnitentia Sacramentalis. Propoſit. 15. Alex. VII.
Privilegia Regularium, quænam revocata. Propoſ. 36. Alex. VII.
Propoſitio probabilis. Vide *Opinio*.
Probabilioriſmum, quid importet. Vide poſt Quæſitum 3. de Propoſ. damn. Alexandr. VIII.
Procurare Abortum. Vide *Abortum*.
Regularium Privilegia revocata. Propoſ. 36. Alex. VII. eorumdem Indulgentiæ revocatæ, ibi 37. -- quoad alia Vide *Confeſſarius Regularis*.
Reſtrictio mentis, ſeu mentalis eſt illicita in praxi. Propoſ. 26. 27. 28. Innoc. XI.
Sacramenta ſimulare. Prop. 29. Innoc. XI.
Simonia in Beneficiis Eccleſiaſticis. Propoſ. 22. Alex. VII. -- & 45. 46. Innoc. XI.
Sollicitare ad inhoneſta in Confeſſione. Propoſ. 6. & 7. Alex. VII.
Spes Theologalis. Vide *Actus Fidei*, *Spei*, *&c.*
Timor gehennæ eſt ſufficiens motivum Attritionis ſupernaturalis. Vide in Quæſitis quarto, & quinto de propoſitionibus damnat. Alex. VIII.
Tutioriſmum, Rigoriſmum quid importet; Vide poſt quæſ. 3. in Propoſ. damn. Alexand. VIII.
Vocare DEUM in Teſtem. V. *Juramentum*.
Voluptas in cibo, potu, & coitu. Propoſ. 8. 9. Innoc. XI.
Uſura in aliquibus abſcondita contractibus. Prop. 42. Alex. VII. -- & 40. 41. 42. Innoc. XI.

Reſpice Finem.

Digitized by Google